DE
ROMANA
PROVINCIA
ORDINIS PRAEDICATORVM

AVTORE

F. VINCENTIO MARIA FONTANA

SAC. THEOL. MAG.

REVERENDISSIMO PATRI

FR: PETRO MARIAE
PASSERINO

VICARIO ET PROCVRATORI GENERALI
EIVSDEM ORD. D.

ROMAE, Typis Nicolai Angeli Tinassij M. DC. LXX.

SVPERIORVM PERMISSV.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

REVERENDISSIMO PATRI

F. PETRO MARIAE PASSERINO

VICARIO AC PROCVRATORI ORD.

SI Benè præſidet ille ex Angelici Do-
ctoris ſententia, qui quadripartito Op. 71.
circumamictus ornatu; paterno af-
fectu ſubditos regere: meritis ami-
cos acquirere: placabilem oranti-
bus ſe præbere: & cum clementia
delinquentibus iuſtitiam miniſtra-
re, ſtudet; diuino factum obtutu agnoſcimus, vt
Chriſti Vicarius CLEMENS PAPA IX. Ordinis
noſtri regimen tibi concrediderit, cui dum benè præ-
ſides, ex Apoſtolica Pauli ſententia duplici honore 1. Ad
dignus habendus es. Tempus me profectò deficeret Tim. 5.
enarrantem, ſi ſingulos, quibus præfulges ornatus,
in medium afferre contenderem; at cum opera tua
æquiſſima librata lance; & doctiſſimos codices
euulgando; coram Pontificibus Maxx. luculenter
orando; in Romana Sapientia docendo, atque in ſa-
cris Congregationibus grauiora fidei negotia pertra-
ctando, ipſa de ſe loquantur, ſilentio præterire com-
pellor: hoc vnum ſubdens, quod cum ſapientiæ tuæ
ſcriptis litterariam Rempublicam plurimùm illuſ-

traueris, tanquam Aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, me inter filios tuos minimum, ad compilandam enarrationem de origine, ac progressu Romanæ Prouinciæ prouocasti, quam propterea, non nisi sub nominis tui clientela, vt in futura perennet sæcula, euulgandam volui. Ex Conuentu S. Mariæ super Minernam die x. Maij 1670.

Reuerendiss. Pat. tuæ

Addictiss. filius, & Seruus

F. Vincentius Maria Fontana.

Nos Fr. PETRVS MARIA PASSERINVS S. Th. Mag. ac totius Ordinis Præd. humilis Procurator, & Vicarius Generalis, & Seruus.

HArum serie, nostrique auctoritate Officij facultatem concedimus, quantùm in nobis est, tibi Admodum Reu. P. Magistro Fr. Vincenzio Mariæ Fontana, vt librum cui titulus est *De Romana Prouincia Ordinis Prædicatorum* à te compositum publicis typis mandare valeas iam reuisum, & approbatum à duobus nostri Ordinis Theologis, seruatis aliàs de Iure Seruandis iuxta Decreta Sac. Conc. Trident., constitutiones nostras, & ordinationes Capitulorum Generalium. In quorum fidem, &c. Romæ 10. Decembris 1669.

Fr. Petrus Maria Passerinus

Mag. & Vic. Generalis.

Reg. fol. 22.

Fr. Bernardinus de Venetijs Mag. Prou. Greciæ.

A P-

APPROBATIO
THEOLOGORVM ORDINIS.

IVssu Reuerẽdiss. P. M. F. PETRI MARIAE PASSERINI totius Ordinis Prædicatorum Vicarij, & Procuratoris Generalis, Opus, cuius titulus est, De Romana Prouincia Ord. Præd. *ab Ad. R. P. Magistro Fratre Vincentio Maria Fontana compositum singulari attentione simul, & oblectatione perlegi, in quo nihil offendi, quod Catholicæ fidei, optimisque moribus consentaneum non sit: Quin imò Author, vt sagax, studio, labore, ac summa solertia, ne dum originem, amplitudinem, & nobilitatem Romanæ Prouinciæ, & quæ plerosque latent, describit, & enarrat, verùm & celebriores viros Sanctitate, Doctrina, dignitatibusque ad sectanda illorum vestigia & ipsi in numerum veniant. Quà propter promotioni pietatis, regularis obseruantiæ, ac studiorum progressus, multùm hoc opus deseruiet si lucem videat, & typis mandetur. Romæ die* 28. *Nouemb.* 1669.

Fr. Bonau. Borsellus S. Th. Magister.

IVbente Reuerendissimo P. M. F. PETRO MARIA PASSERINO Procuratore, & Vicario Generali totius Ordinis Prædicatorum *ttente legi librum* De Romana Prouincia *summa* *'iligentia A. R, P. M. F. Vincentij M. Fontana* *laboratum, Cumque nihil in eo sit, quod bonis moribus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis duersetur; ad Prouinciæ Romanæ vtilitatem, & Ordinis ornamentum, dignum reor, quod ad publicum lucem efferatur. Ita subscripsi, Romæ in Conuentu S. M. S. Mineruam* 24. *Nouemb.* 1669.

Ego F. Franciscus Iustinianus S. T. M. Ord. Præd.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

I. de Angelis Archiep. Vrb. Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Palatij Apostolici Magister Ordinis Prædicatorum.

CAPVT I.

DE ORIGINE, ET PROGRESSV Romanæ Prouinciæ.

AD erudiendam Dominus plebem suam, quasi ad excolendam vineam suam nullo tempore destitit operarios mittere (inquit S.Gregorius) inter quos præco nouus, & cœlicus missus in fine sæculi, pauper fulsit Dominicus forma præuisus catuli, qui omni ope destitutus humana, in Domino autem confisus, iactis Prædicatorum Ordinis fundamentis, ex quo tot, tantique promanauère sanctitatis, & sapientiæ fructus vberrimi, dum cum fide recta bonæ prædicator actionis extitit, huius vineæ operarius fuit. Quos fructus commemorans S.Cælestinus Papa, & Confessor, ait: *Clara Ordinis FF. Prædicatorum Religio virtutum fæcunditate referta, & tota per bonorum operum studia Domino stabilita, ex suæ institutionis exordio ad robur, & monumentum erecta fidei orthodoxæ, per insignium gratiā meritorum, & Sacræ Prædicationis doctrinam vberes hactenus in vniuersali Ecclesia honestatis fructus protulit, ac salutis, & proferre non desinit incessanter. Quare Religionem tam perinsigniem, tam Sanctam, & professores ipsius sincera diligentes in Domino charitate, in his quæ ipsius Religionis fauorem, & profectum respiciunt efficacis sollicitudinis studium libenti animo adhibemus.*

 TITV-

TITVLVS I.

De institutione Prouinciæ.

FVndatis in diuersis Christiani orbis partibus sexaginta Conuentibus, illos in plures Prouincias diuidendos voluit S. Pater Dominicus, quòd & in secundo Generali Capitulo Bononiæ habito anno 1221. de Patrum consensu præstitum est, constitutis Prouincijs, Hispaniæ, Franciæ, Lombardiæ, Romana, Prouinciæ, Theutoniæ, Hungariæ, atque Angliæ.

His octo Prouincijs fundatis, Priores Prouinciales in eodem Capitulo â S Patre Dominico, alijsq; congregatis Fratribus præfecti sunt, qui illas gubernarent, atq; nouis cœnobijs augerent, ipso Ordinis regimine supremo apud Sanctum Patrem remanente.

Fuère autem Prouinciales; Hispaniæ F. Sugerius; Franciæ F. Matthæus socius S. Patris; Lombardiæ F. Iordanus; Romanæ Prouinciæ F. Clarus Florentinus; Prouinciæ Prouinciæ Fr. Bernardus; Hungariæ F. Paulus; Angliç Fr. Gilbertus; & Theutoniç Fr. N. cuius nomen ignoratur, qui in sibi commissas prouincias pergentes, nouosque Conuentus fundantes, Ordinem mirum in modum dilatauère.

Ex præfatis sexaginta Conuentibus in Ordine tunc iam fundatis, sequentes fuere Romanæ Prouinciæ adiudicati. Romanus S. Sabinæ: Florentinus, tunc S. Pancratij, modò autem S. Mariæ Nouellæ dictus. Senensis S. Mariæ Magdalenç, nunc S. Dominici. Viterbiensis S. Mariæ ad Gradus, atque Pisanus S. Catherinæ Mar. Nec non Monasterium Monialium S. Sixti, quod prius Fratres incolebant sanctitatis domicilium, de quo Clemens Papa VIII. in suo Apostolico Breui sub Piscatoris anulo 19. Ianuarij 1602. dato, hæc habet.

Ordo Fratrum Prædicatorum à S. Dominico fundatus, tam magnos, ac suaues in Ecclesia Dei fructus semper protulit,

lit, ac quotidie profert, ut illius propagationi meritò consulendum censeamus, simulque Ecclesiæ S. Sixti via Ardeatina de Vrbe, in qua prædictus Ordo, ab Apostolica Sede confirmatus prima iecit fundamenta, restaurationi, & diuini cultus in ea restitutioni prospiciamus. Nam ea prima Ecclesia est, quæ S. Dominico in Vrbe concessa fuit, in qua suum ipse Religionis Ordinem instituit, ab Honorio Papa III. prædecessore nostro Apostolica auctoritate confirmatum. Quam Ecclesiam misericors Deus multis miraculis S. Dominici meritis, & intercessione, ut in eius vita legitur, illustrauit. Nam S. Dominicus eam in primis singulis noctibus ter suo sanguine legitur irrigasse. Quidam Architectus, dum eiusdem Monasterij fabricæ operam nauaret, saxis, & terra obrutus, Sancti Dominici precibus viuus effossus fuit. Filius item cuiusdam viduæ, qui dum mater prædicationi Sancti Dominici in Ecclesia S. Marci de Vrbe interesset, acuta febri extinctus fuerat, eiusdem S. Dominici orationibus reuixit. Neapolio Stephani Card. de Fossa noua nuncupati nepos, qui equo deiectus occubuerat, à S. Dominico suscitatus fuit; ac ipsemet S. Dominicus, dum pro eo sacrum Missæ sacrificium offerret, in ipsa Corporis Christi eleuatione, ac finita Missa pro eodem defuncto orans, uno à terra cubitu sublimis erigi ab omni populo visus fuit. Præterea deficiente pane ad Fratrum sustentationem, qui magno numero in eodem Monasterio erant, Deus per Angelos suos panem, & vinum illis abundè subministrauit. Deindè in Ecclesia eiusdem Monasterij S. Dominicus primus B. Mariæ Virginis Rosarium instituit, & promulgauit. Demum ipsemet S. Dominicus apud eandem Ecclesiam S. Sixti insigne Monasterium Monialium sui Ordinis

erexit, & moniales, quæ apud Ecclesiam B. Mariæ Regionis Transtyberinæ habitabant, in illud transtulit: pro suorum verò Fratrum habitatione conuentum S. Sabinæ in monte Auertino ab Apostolica Sede accepit, &c. Maluenda in Annal. Ord ad an. 1218.

Longa, lataque habuit confinia hæc Prouincia, Romanam ditionem, Tusciam, Vmbriam, Regnumque vtriusq; Siciliæ, tam citra, quàm vltra Pharum, complectendo: atque in tanta perseuerauit amplitudine vsq; ad S. Cœlistini Papæ tempora, qui eam in duas prouincias diuidendam voluit.

TITVLVS II.

De Diuisione Prouinciæ.

MVltiplicatis conuentibus in Regnis, ac Prouincijs ditionis Romanæ Prouinciæ, cum molestum esset nimis Prouincialibus Prioribus subditos conuentus perlustrare, plurimiq; ex ipsis demandatum sibi munus sæpè sæpius complerent absq; eo quod sibi subditos filios, & inuiserent, & cognoscerent: accedendiq; ad Prouincialia Capitula ex remotis illius partibus esset onus importabile Fratribus, ad Caroli Secundi Neapolitani Regis supplicationem placuit Cælestino V. Pontifici Sanctissimo conuentus in Vtriusque Siciliæ Regnis existentes à Romana Prouincia euellere, atq; ex eis nouam Prouinciam Regni Siciliæ nominandam, constituere, quod actum est anno millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, dato Aquilæ Kalendis Septembr. Apostolico Breui tenoris sequentis.

CAELE-

'AELESTINVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

CLara Ordini Fr. Prædicatorum Religio, virtutũ fœcunditate referta, & tota per bonorum operum studia Do-'no stabilita, ex suæ institutionis exordio ad robur, & mo-:mentum erecta Fidei orthodoxæ, per insignium gratiã me-orum, & sacræ Prædicationis doctrinam, vberes hactenus vniuersali Ecclesia honestatis fructus protulit, ac salutis, ' proferre non desinit incessanter. Quarè Religionem tam ·insigniem, tam sanctam, & professores ipsius sincera di-entes in Domino charitate, in his, quæ ipsius Religionis fa-rem, & profectum respiciunt, efficacis solicitudinis studiũ, enti animo adhibemus. Ex parte siquidem, & sanioris par-, omnium Fratrum prædicti Ordinis in Siciliæ Regno mo-itium, fuit propositum coram nobis, quod ex diffusione Ro-næ Prouinciæ, quæ secundum distinctionem Prouinciarum ta in Ordine supradicto, Romam, Tusciam, Campaniam, Maritimam, totumque Regnum Siciliæ comprehendere cebatur, Prior Prouincialis eiusdem Ordinis, qui frequẽter rebatur de Tuscia, vel de Vrbe, visitare totam ipsam Pro-ciam omittebat, præsertim præfatum Regnum Siciliæ, d causa visitationis rarò, aliquas verò partes ipsius Regni nquam intrabat, & per hoc Fratres in dicto Regno moran-, quasi Acephali, ob visitationis defectum circa regulares rruantias, & alia, quæ secundum Deum interdum per um Priorem Prouincialem, iuxta officij sui debitum ordi-

nan-

nantur, perficere non valebat, cum idem Prior dictorum Fratrum merita non agnoscens, eos pro qualitate meritorum ipsorum Fratrum, salubriter non posset corrigere, seu etiam confouère, nec dictus Ordo in Fratrum, & Conuentuum numero posset suscipere incrementa. Faticabantur etiam intollerabiliter dicti Fratres in præfato Regno manentes, in eundo ad Capitula ipsius Ordinis, quæ celebrabantur in locis remotis ab ipsis, multa quoque alia inde incongrua contingebant, ex quibus Fratres eiusdem Regni grauia sustinebant incommoda, & idem Ordini dispendium imminebat. Non igitur volentes super præmissis eidem Ordini, & Fratribus per emendationis opportunæ, remedium, prout tenemur, ex pastoralis officij debito, subuenire: Carissimi in Christo filij nostri Caroli Regis Siciliæ Illustris, nobis super hoc cum instantia supplicantis, & eorundem Fratrum dicti Regni supplicationibus inclinati, præfatam Romanam Prouinciam, Auctoritate Apostolica in duas Prouincias diuidimus, statuentes, vt eorum altera sic diuisa, totum Regnum Siciliæ vltrà, citraq; Farum tantùm contineat, & Prouincia Regni Siciliæ nominetur: Reliqua verò comprehendat totam Campaniam, Romam, & totam Tusciam, & Romana Prouincia nuncupetur: & quòd Prior Prouincialis, & Fratres ipsius Regni Siciliæ gaudeant omnibus priuilegijs, & indulgentijs, atque gratijs, tam in studentibus mittendis causa studij Parisios, & ad alia studia generalia extra suam Prouinciam, quàm omnibus alijs spectantibus ad communem statum Prouinciarum, quæ Prioribus Prouintialibus, & Fratribus aliarum Ptouinciarum per Sedem Apostolicam, & per Constitutiones, & ordinationes dicti Ordinis concessa sunt, & imposterum concedentur.

quod Prior Prouincialis eiusdem Prouinciæ Regni, primum um post Priorem Prouincialem Romanæ Prouinciæ teneat, n in Generalibus Capitulis eiusdem Ordinis pro tempore 'ebrandis, quam aliàs vbique ipsos contingat conuenire. Vo- mus etiam quod prætextu diuisionis huiusmodi à nobis factæ lectus filius Frater Ioannes de Polo Prior Prouincialis Ro- mæ Prouinciæ ab administrationis officio exercendo, quoad tam Romanam Prouinciam, sic diuisam se nequeat aliqua- us excusare, sed illud in ea tantùm teneatur gerere, sicut us. Prohibemus insuper, & districtè in virtute sanctæ edientiæ, sub pena excommunicationis praecipimus, ne 's procurare audeat, quod aedem Prouinciæ per nos iter ordinatæ, de cætero quomodolibet vniantur, siuê atres ipsius Ordinis, siue quoslibet alios, qui dictam diui- iem fieri postularunt, occasione huiusmodi molestare, seu 's aliquam pœnam, aut grauamen aliquod irrogare, qua- ique occasione, vel causa, aut vigore cuiusuis Constitutio- , & ordinationis, ab ipso Ordine promulgatæ. Quod si for- quoquam fuerit contrarium attemptatum, illud decerni- s irritum, & inane. Nulli ergò omninò hominum liceat ic paginam nostræ diuisionis, Constitutionis, prohibitionis, 'rique præcepti infringere, vel ei ausu temerario contraire. uis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Dei, Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit in- curum. Datū Aquilæ Kal. Sept. Pontificatus nostri Anno I.

Erat tunc temporis, quando Prouinciæ diuisio facta est, or Prouincialis Romanus F. Io. de Polo vir præstantissimus; is Vicarii partes in Siciliæ Regnis sustinebat F. Petrus de ia, voluitque Pontifex vt Ioannes in Romanæ Prouinciæ mine sequeretur, & Petrus tanquam Apostolicus Vica-

rius institutam nouiter Prouinciam regeret, ac gubernaret, vsque ad futurum Capitulum pro electione Prouincialis, Aquilæ in proximo Exaltationis S. Crucis festo, habendum, dato hac de re sequenti Apostolico Breui.

CAELESTINVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei. Dilecto Filio Fratri Petro de Adria Ordinis Fratrum Prædicatorum salutem, & Apostolicam benedictionem.

CVm nos ex certis causis, Rom. Prouinciam tui Ordinis, quæ secundum distinctionem Prouinciarũ in eodem Ordine dudum factam, totum Regnum Siciliæ continebat, in duas Prouincias duxerimus aucctoritate Apostolica diuidendam, statuentes vt earum altera Regnum ipsum tantùm, reliqua verò loca, quæ erant Prioris Prouinciæ eandem compræhendant, prout in litteris nostris super huiusmodi diuisione confectis plenius continetur. Nos de tua circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes: Te Vicarium loco Prioris Prouincialis in eadem ipsius Regni prouincia, tenore præsentium deputamus, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandantes, quatenus curam Fratrum eiusdem Ordinis dicti Regni tamdiu gerere studeas diligenter, prout ad Vicarij Prioris Prouincialis officium, secundum Constitutionem dicti Ordinis noscitur pertinere; donec Prior Prouincialis in ipsa Prouincia dicti Regni, per Prouinciale Capitulum ipsius Ordinis, quod in proximo imminet celebrandum, electus, confirmatus, & etiam præsens existerit in memorata Prouincia dicti Regni. Capitulum prædictum Aquilæ in Festo Exal-

tatio-

tionis S. Crucis proximo venturo celebres, iuxta morem ipsius Ordinis, cum illis Fratribus de Regno ipso, qui ad Capitulum Romanæ prouinciæ pertinebant, per quos volumus electionem fieri Prioris prouincialis Regni eiusdem secundum Constitutiones Ordinis memorati. Ad hæc tibi in virtute Sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, quod quoslibet ipsius Ordinis oriundos in dicto regno, per dictam Romanam prouinciam dispersos, ad ipsius Regni prouinciam reuocare; Omnes autem studentes Neapoli, qui de regno ipso originem non duxerunt, ad Romanam prouinciam, vbi generale ponimus studium, destinare; Nec non, & alios de Regno non oriundos eodem, de quibus videris expedire, ad loca vnde traxerunt originem, remittere non postponas, Insuper Apostolica tibi auctoritate committimus, vt iuxta ipsius Ordinis mores, & modos, Priorem, & Conuentum in loco Sancti Petri Martyris Neapolitani, per charissimum in Christo Filium Carolum Siciliæ Regem Illustrem, vt assertur, eidem Ordini denuò concesso instituas, atque ponas, non obstantibus dicti Ordinis in contrarium editis Constitutionibus, ordinationibus, & statutis. Datum Aquilæ 3. Nonas Septembris. Pontificatus nostri anno primo.

Verùm cum nimis difficile foret Fratribus, ex remotis Siciliæ, Calabriæ, atque Apuliæ partibus tam breui temporis interuallo ad Aquilàm pergere, capituli celebratio dilata est, subsequtaque Papatus renunciatione à S. Cælestino facta, ab eius successore Bonifatio VIII. Prouinciæ diuisio per Apostolicum Breue in hunc modum constabilita est Kalendis Martij sequentis anni 1295.

BONIFACIVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

ATtendentes ab olim, dum minori fungeremur officio, virtutum merita grandia, quibus plantatus in agro Dominico Sacer Ordo Fr. Prædicat. noscitur insignitus, & cõsiderãtes solliciter fructus salutis innumeros, qui ex ipso proueniunt fidelium animabus, eundem Ordinem, & professores illius speciali affectione dileximus, & diligere non cessamus, sollicitum, & efficax studium impendentes, vt idem Ordo fœlicibus augumentis proficiat, & Fratres ipsi, vt diuinis liberius insistant obsequijs, pacifici statu, & stabili plenitudine gratulentur. Sanè fide digna relatione didicimus, quod propter diffusionem nimiam Romanæ Prouinciæ, quæ secundum distinctionem Prouinciarum in Ordine ipso factã, Romam, Tusciam, Campaniam, & Maritimam, totumque Regnum Siciliæ comprehendit, Prior Prouincialis ipsius ordinis, qui frequenter eligitur de Tuscia, vel de Vrbe, omittit, seu nequit, totam eandem prouinciam visitare, præsertim Regnum Siciliæ memoratum, ad quod raro, imò rarissimè, ad aliquas verò partes ipsius causa visitationis aliquatenus non accedit; propter quod eiusdem Ordinis Fratres in prædicti Regni partibus commorantes, proficere nequeunt circa obseruantias, regulares, & alia etiam, quæ secundum Deum per Prioris Prouincialis solertiam, plerumque iuxta sui officij debitum ordinantur; nec idem Prior iam dictos Fratres, ipsorum

rum

rum merita non agnoſcens, ſalubri correctioni ſubijcere, ſeù condignis fauoribus confouère, neque præfatus Ordo in eodem poteſt Regno ſuſcipere incrementa. Nos igitur ad ſtatum tranquillum, & proſperum dictorum Fratrum, & Ordinis intendentes, ac volentes, prout ex debito paſtoralis tenemur officij, ſalubre ſuper præmiſſis remedium adhibere, præfatam Romanam Prouinciam, auctoritate Apoſtolica in duas Prouincias duximus diuidendam, firmiter ſtatuentes, vt eorum altera ſic diuiſa tantùm Regnum prædictum, vltra citraque Farum dumtaxat contineat, & Prouincia Regni Siciliæ nominetur. Reliqua verò totam Campaniam, Maritimam, Romam, & Tuſciam comprehendat, & Romana Prouincia nũcupetur. Datum Laterani Kal. Martij Pontificatus noſtri Anno primo.

Firmata in hunc modum Romanæ Prouinciæ diuiſione, in ſequenti Generali Capitulo Argentinæ an. 1296. celebrato fuit illa approbata, & recepta, conſtituto nouæ Prouinciæ Regni Siciliæ immediatè poſt Romanam, prout S. Cæleſtinus mandauerat, loco, tale decretum formando.

Item cum dictus Sanctiſſimus Pater Romanam Prouinciam duxerit diuidendam, & mandauerit Prouinciam nouã, Prouinciam Regni Siciliæ nominari, & eam immediatè ordinari poſt Romanam Prouinciam, volentes ex nunc dictam ordinationẽ exequi, mandamus quod in locis Conſtitutionum noſtrarum, videlicet in cap. de Elect. Magiſtri, & in cap. de Elect. Diffinitorum Capituli, & alijs locis, ſi qua inuenirentur, vbi ageretur de numero Prouinciarum, etiam vbi ſit mentio de Ordine, vbi dicitur 12. dicatur 13. & in ipſa nominatione Prouinciarum vbique poſt Romanam Prouinciam

ciam, immediatè Prouincia Regni Siciliæ nominetur.

Plures poſtmodum temporis decurſu hæc noua Prouincia paſſa eſt diuiſiones; nam ex ea,& Siciliæ,& Calabriæ,& Apuliæ, nouiſſimèque, & Aprutij (quæ S.Catharinæ Senen.nuncupatur) Prouinciæ promanauère.

TITVLVS III.

De iactura, & reſtitutione Regularis Obſeruantiæ Prouinciæ.

IN hunc modum conſtituta Romana Prouincia, vſque in hodiernum diem perſeuerat, quæ in regulari obſeruantia à ſuis primordijs enutrita, Eccleſiæ,atque Ordini viros ſanctitate, atque doctrina celebres protulit, quos in huius operis tertia parte, Deo dante, referemus.

Anno autem reparati Orbis 1348. mortalium culpis exigentibus ſeuiſſima peſtilentia exorta, ex ordine regularem obſeruantiam fugauit. Hæc apud Indos orta, Aſia deuaſtata, per totam ferè Europam graſſari incipiens maximam morũ, pietatiſq; ſacris Ordinibus vniuerſis attulit vaſtitatem. Perdidit illa Hiſpaniam, Galliam, Germaniam, Hungariam,atq; Italiam totam, in quibus locis adeò in mortales inualuit, vt ex eiſdem pauci fuerint relicti ſuperſtites. Templa, Cœmeteria, agrique humandis cadaueribus deficiebant, & quia ad veſtium contactum aderat lues, non erat qui ſepulturæ ea tradere auderet; proindeq; homines, & iumenta ad deſerta loca conuolabant. At quia finis vnius mali gradus eſt alterius, peſtilentiam comitata eſt fames, agrorum cultura neglecta. Maxima propterea Religioſorum,charitate vrgente, proximorum ſaluti addictorum, multitudo interjt, atque cũ ipſis ſacrarum legum obſeruantia. Cum verò cœnobia adeò deſolata eſſent, vt Ordo vnuſquiſque crederetur penè extin-

ctus,

ctus, ex incauta nouiter receptorum multitudine, relaxationis, inobedientiæ, proprietatisque vitia in Ordinum omnium cœnobia irrepsère;& qui Religiosi superfuerant pauci,cuiuscumque generis hominibus, adultis, pueris, ineruditis,atque ineptis ad habitum susceptis, dum pestilentiæ plagis mederi intendebant,proprium Ordinem insanabili plaga ciuentabãt.

Nam vt huiusmodi nouiter receptos scientiæ, & pietatis parum compotes deuincirent, omni eis commoditate, atque libertate indulta,laxè illos educauère, sperantes, vt ea ratione ad constitutiones seruandas aliquando redderentur promptiores. Verum serò nimis agnouère PP. ex otio,atque delitijs fructus, non nisi prauos,colligi potuisse, multorumque inobseruantiam pauciores superstites inquinasse. Quapropter paucis adhuc bonis illis, qui ex contagio residui fuerant, viam vniuersæ carnis ingredientibus, obliteratus plane fuit rigor antiquus Patrum nostrorum, nouusque viuendi modus à nostris sacris legibus satis alienus inductus. Vnde fugatis ieiunijs, eliminatis vigilijs, violata paupertate, silentijsque exilio pulsis, carnes per refectoria excurrere, atque dissolutiones vndique emicare videbantur. Tantis igitur plagis ordinem nostrum cum cęteris omnibus sauciatum considerantes Patres in Generalibus Comitijs Romæ 1481. atque ibidẽ 1484. congregati hæc eidem exhibuere medicamina. *Item ob frequentes pestilentias, & ægritudines, propter bella, & alia multa incommoda, cum numerus Fratrum plurimum deficere videatur, hortamur omnes Patres, & Fratres, vt Iuuenes bonę indolis, honestè natos, & bono ingenio præditos ad Ordinem introducere laborent, eosque in moribus Ordinis,in honestate vitæ, in officio, & psalmis dicendis, cantuque, & grammatica erudire conentur.*

Dum hæc agerentur, tantis infortunijs indoluère præclari quidam Sancti Viri, qui quanquam pauci, in diuersis Conuentibus residentes, contritionem populi sui, & Ciuitatis Sanctæ lamentabantur, atque omni, quo valuère conatu,cadenti Matri, ingenti vitiis indicto bello,opitulari adnisi sunt.

Inter

Inter hos autem effulsère ex Italia P.P.F.F.Io:Dominici Florentinus, Thomas de Senis, Thomas Aiutami Christo de Pisis, Hieronymus de Fulgineo, Marcolinus Foroliuiensis, Nicolaus de Rauenna, & Robertus de Neapoli. Ex Germania autem Conradus de Grossis Prutenus, Franciscus Retza, Ioan. Nider, Iacobus de Assendsa, & Iacobus Stubach.

P.F.Conradus de Grossis Prutenus mirabilium patrator primus omnium extitit, qui in Prouincia Theutoniæ in Conuentu Columbatiensi, Basilien. Diœcesis, triginta circiter Fratribus congregatis sanctam regularem obseruantiam iuxta Cõstitutionum nostrarum tenorem instituit, quam B. Raymundus de Capua Generalis Ordinis Magister pro illis Prouinciis quæ veri Pontificis Vrbani VI. partes sequebantur, approbauit, atque ad quorundam propriæ salutis desiderio flagrantium petitionem statuit, vt vnus Conuentus pro eadem regulari obseruantia exercenda in Prouinciis singulis eligeretur, dato per Ordinem decreto infra adducendo, quod Bonifatius Papa IX. ad eiusdem petitionem Apostolicis litteris in hunc modum confirmauit.

BONIFACIVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

APostolicæ Sedis benignitas personas sub Religionis obseruantia assiduò studio piæ vitæ vacantes, & eorum, ac aliorum animas Deo lucrifacere cupientes, congruo fauore prosequitur, ac his, quæ ad eorum pium desiderium consequendum prouidè facta sunt, vt illibata permaneant, libenter adhibet sollicitudinis suæ partes. Dudum siquidem pro parte dilecti filij Raymundi Magistri Generalis Ordinis Fratrum

Præ-

ædicatorum nobis exponen. quod dudum, cum ipse suum dinem visitaret, reperit inter cætera multos Fratres eiusdẽ dinis deuotionis feruore accensos, & desiderantes Regulan obseruantiam per Beatum Dominicum, & alios antiquos ratres eiusdem Ordinis ordinatam seruare. Et quod ipse nsiderans, quòd dictorum Fratrum desiderium salua conentia impediri non poterat, nec debebat; imò firmiter puet se reum coram Deo, nisi eos adiuuaret, & promoueret perfectionem huiusmodi eorum desiderij tam laudabilis per ectum filium Fratrem Conradum de Prussia eiusdem Orns professorem, virum vtique vitæ commendabilis, ac falaudabilis in partibus Alemaniæ receptum, qui prædictos atres, vt præfertur, sic desiderantes in Prouincia Theuto- secundum consuetudinem dicti Ordinis inceperat congree. Et iam in loco dicti Ordinis, sito in Columbaria Basinsis Diœcesis, circiter triginta Fratres congregauerat, qui- dictus Magister dictum Fratrem Conradum præposuerat, Constitutiones dicti Ordinis integraliter obseruabant cum ctu, & adeò prædicationi verbi Dei exemplo Beati Domi- virtuosè insistebant, quòd de tota patria circunstante conebant homines ad audiendam doctrinam eorum, quam fa- etiam virtuosè informabant: Quodque ipse Raymundus, (vt asserebat) ipsum Ordinem per decem annos, & vlgubernauerat, proponens hoc idem facere, seu ordinare ualibet Prouincia dicti Ordinis, scilicet quòd in qualibet ictis Prouincijs esset vnus locus dicti Ordinis, in quo Reris obseruantia dicti Ordinis secundum statuta Beati Doici prædicti seruaretur, iuxta tenorem prædictarum Contionum: de multorum fratrum eiusdem Ordinis consilio,

& as-

& assensu, tàm auctoritate officij sui, quàm Generalis Capituli dicti Ordinis, tunc vltimò celebrati sibi commissa, per suas certi tenoris litteras ordinauerat, decreuerat, & mandauerat, quòd infra annum à notitia litterarum suarum huiusmodi Priores Prouinciales, seu Præsidentes, & eorum quilibet in sua Prouincia ordinarent, & taliter facerent, quod in sua Prouincia esset vnus locus deputatus ad huiusmodi obseruantiam regularem; in quo possent ad minus viuere duodecim Fratres Ordinis præfati: qui dictas Constitutiones seruarent, prout in dictis litteris continetur. Et pro parte ipsius nobis fuit supplicatũ, vt ordinationem, statutum, decretũ, & mandatum huiusmodi, & quæcunque indè secuta, rata habere, & grata, illaque auctoritate Apostolica confirmare de benignitate Apostolica dignaremur. Nos ipsius Magistri in hac parte supplicationibus inclinati, ordinationem, statutum, decretum, & mandatum prædicta, ac omnia, & singula in prædictis litteris contenta, quorum tenorem nostris litteris, & præsentibus inseri fecimus, rata, & grata habentes, illa per nostras litteras easdem confirmauimus, & ipsarum litterarum patrocinio communiuimus, prout in nostris indè confectis litteris plenius continetur. Cum autem, vt nuper accepimus, nonnulli Fratres eiusdem Ordinis salutis æternæ immemores, ac timore postposito, nolentes intelligere, vt benè agant, & secum alios trahere in præcipitium satagentes, quamuis ordinationem, statutum, decretum, & mandatum huiusmodi per se obseruare desidia, & inertia non velint, neque curent, & neque tamen eam ab alijs obseruari non permittant, & nonnullos Fratres ipsius Ordinis deuotos volentes prædictam obseruantiam debitè obseruare, multis friuolis, & exquisitis colo-

ribus

ius ab laudabili proposito damnabiliter retrahant, & passim mouère conantur, & impediunt (quatenus in eis est) quo-inus ordinatio, statutum, decretum, & mandatum prædi-um debitum sortiantur effectum; & nihilominus se iactant, od vtique ordinabunt, & procurabunt, pro posse, ordina-nem, statutum, decretum, & mandatum prædicta, etiam Generali ipsius Ordinis Capitulo in festo Pentecostes proxi-è futuro celebrando, per Diffinitores ipsius Capituli iuxta di-i Ordinis morem, facere reuocari in suarum animarum peri-lum, ac in contemptum Sedis Apostolicæ, & scandalum plu-norum. Nos, quorum interest huiusmodi prauis conatibus identer ad perniciem tendentibus salubriter congruis reme-s obuiare, cupientes ne morbus factus cronicus fomenta po-emo despiciat medicinæ: omnibus, & singulis Diffinitori-s iuxta huiusmodi morem Ordinis præfati, tam præsentibus, am futuris, & etiam quibuslibet Fratribus ipsius Ordinis, aliјs cuiuscunque status, gradus, ordinis, vel conditionis istant, districtè, & sub excommunicationis pœna, quam cō-rium facientes auctoritate Apostolica incurrere volumus o facto, inhibemus expressè, ne aliquem professorem ipsius dinis ob frugem melioris vitæ huiusmodi obseruantiam re-larem supradictam, vt præmittitur, sic prouidè, sic saluti-è ordinatam obseruare volentes, perpetuis futuris tempori-aliquatenus publicè, vel occultè, directè, vel indirectè, ac uis quæsito colore impediant per se, vel per alium, seu alios, ab huiusmodi proposito, scilicet obseruantiæ huiusmodi re-hant, seu impediri, vel retrahi faciant, vel procurent quo-modo, nec ordinationem, statutum, & mandatum prædi-, maximè cum id ad eos non pertineat, ausu temerario re-

C *uocent,*

uocent, ſeu etiam contra eam aliquid attentent, aut attentare præſumant; ſed ea potius, & quæcunque, alia augmentum plurium Conuentuum, in quibus huiuſmodi obſeruantia ſeruetur per ipſum Magiſtrum forſan ordinanda concernentia; ſi non virtutis amore per ſe ad obſeruantiam huiuſmodi forſitan inclinentur, nec ſint apti, ſaltim permittant æquanimiter, vt expedit, per Fratres dicti Ordinis obſeruari: ac ipſos Fratres eandem obſeruantiam obſeruantes, & obſeruare volentes, iuxta illud, quòd in poteſtate hominum non ſunt, qui ſpiritu Dei aguntur, in huiuſmodi eorum laudabili propoſito confoueant potius, & confirment, ſi diuinam, & noſtram grauem offenſam deſiderent euitare. Nos etiam ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentatum forſan hactenus, vel impoſterum contigerit attentari. Nihilominus contra tranſgreſſores inhibitionis noſtræ huiuſmodi, ſi expedierit, grauius proceſſuri. Tenor verò ipſarum litrerarum ipſius Magiſtri ſequitur, & eſt talis.

Vniuerſis, & ſingulis Prioribus Prouincialibus, ſeu Præſidentibus, in quibuſcunque Prouincijs, tam præſentibus, quam futuris Ordinis Fratrum Prædicatorum, Frater Raymundus eiuſdem Ordinis humilis Magiſter, & ſeruus, ſalutem, & Chriſtum Dominum efficaciter imitari.

Quanto inſufficientiorem ad regimen tanti Ordinis me conſpicio, tanto magis neceſſarium video ad laborandum ſollicitè pro ipſius Ordinis reformatione, & augmento. Sanè cum reformationis vocabulum propriè dicat formæ reaſſumptionem; nullam viam inuenio meliorem ipſum ordinem reformandi,

quàm

iam si oculis mentis respiciamus ad petram, vnde præcisi
mus, & ad cauernam laci, de qua processimus, ad Abraham
ilicet multarum gentium patrem, qui virtute spiritus genuit
s, Beatum Dominicum, & ad Saram, videlicet sacram Re-
gionem per Sanctos Patres orditatam, quæ peperit nos. His
ligenter attentis iuxta gratiam mihi datam dum Ordinem
isitarem, inuentis quampluribus Fratribus, qui feruenter
siderant reduci ad primam formam obseruantiæ Regularis
r Beatissimum nostrum Patrem Dominicum inchoatam, &
r Sanctos successores eius postmodum consummatam, post
ngi temporis deliberationem, & multiplicem habitam colla-
onem cum Fratribus magis timentibus Deum, decreui omni-
, tam pro inceptione reformationis totalis, quam satisfactio-
e sancti desiderij Fratrum supradictorum totaliter ordina-
, quòd in qualibet Prouincia dicti Ordinis sit ad minus vnus
onuentus, in quo regularis obseruantia teneatur ad vnguem
ixta nostrarum Constitutionum tenorem, & formã. Quam-
brem de multorum Fratrum Deum timentium, & Religio-
em nostram feruenter diligentium, non tantùm consilio, &
sensu, sed instantia, & supplicatione feruenti, omni modo,
& via, quibus melius possum, tam auctoritate officij mei,
uàm Capituli Generalis vltimò celebrati mihi concessa, ordi-
o, statuo, & decerno, ac nihilominus quibuscunque præci-
io in virtute promissæ obedientiæ, & Spiritus Sancti, per
uem filij Dei aguntur, & congregantur, quatenus infra an-
um à notitia præsentium quilibet vestrum ordinet, & tali-
er faciat in Prouincia sua, quod sit ibi vnus Conuentus de-
utatus ad obseruantiam regularem, in quo possint viuere ad
ninus 12. Fratres, & deinde Fratres voluntarios ad dict um

 ob-

obſeruantiam ibidem aſſignet uſque ad numerum prætaxatũ, vel amplius, ſi Dominus tot ſibi dederit inuenire: ſin autem illos, quos inuenerit aſſignet in dicto Conuentu, in quo ſeruetur ad vnguem, ut eſt dictum, tenor Conſtitutionum noſtrarum, & obſeruantia regularis, ſicut in ipſis Conſtitutionibus eſt expreſſa: Fratres autem iam in quibuſdam Conuentibus Prouinciarum per me ad hanc regularem obſeruantiam congregatos, & eorum Præſidentes per me deputatos nullo modo moleſtare, aut quomodolibet præſumatis impedire, imò ipſos adiuuetis, & foueatis, ac in ſancto propoſito confirmetis iuxta gratiam vobis datam. Cæterùm quicunque veſtrum, quod abſit, ex notabili negligentia, vel quod deterius eſſet, ex propoſito dicto meo præcepto inobediens fuerit, poſt annum ſuperius prætaxatum ab officio Prioratus, ſi fuerit Prior Prouincialis, aut Vicariatus, ſi fuerit Vicarius Prouinciæ, ſit abſolutus in pœnam, & inhabilitatus per decem annos ad dictum officium reſumendum, quem, vel quos dicti mei præcepti trãſgreſſores ex nunc, prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc modo, quo ſupradictum eſt, abſoluo, & inhabilito præſentiũ per tenorem. In quorum omnium teſtimonium præſentes patentes litteras fieri feci, & ſigillo noſtri Ordinis muniri. Datum Romæ Anno Domini 1390. die 1. menſis Nouembris.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ inhibitionis, Conſtitutionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Kal. Nouembr. Pontificatus noſtri Anno quinto.

Promulgato igitur decreto de constituendo in vnaquaque
ouincia vno conuentu pro strictiori obseruantia, in Roma-
delectus est ad hunc effectum conuentus S. Dominici de
rtonio, in quo Nouitij, & inter eos S. Antoninus, proba-
nis tempus compleuit. Qui autem conuentus immediatè
st ipsum Regularem obseruantiam amplexatus sit, ignora-
is: hoc vnum ex Regestis Magistri Generalis Leonardi de
nsuetis (nam antecedentium Magistrorum Ordinis Rege-
euanuère) expiscari potuimus, cœnobium S. Marci de Flo-
tia fuisse primum in amplexu strictioris regularis obser-
ntiæ, quem Fesulanus, deindè S. Geminiani conuentus se-
ti sunt, & hi omnes dati sunt ab eodem Magistro Genera-
ub cura Vicarij Congregationis reformatæ in Lombardiæ
ouincia, testimonium eius Regestis in hunc modum per-
entibus. *Conuentus S. Marci de Florentia, Conuentus
Dominici de Fesulis, & Conuentus S. Dominici de S. Ge-
niano fuerunt suppositi R. Vicario Lombardiæ.* Perusiæ
.. Iulij 1474.

Erant & alij conuentus tunc temporis in Romana Prouin-
sub regulari obseruantia viuentes, quibus peculiaris Vica-
s datus est ab eodem Magistro Generali, cuius Regesta,
e præbent de hoc testimonium. *Magister Matthæus
Viterbio fuit confirmatus Vicarius Generalis conuentuũ
formatorum, ac reformandorum in Prouincia Romana,
n potestate plenaria in capitibus, & in membris, etiam su-
Monasteria, cum cura in spiritualibus, & temporali-
. Datum Perusij 3. Aug. 1474.*

Anno 1493. Idem Generalis Magister regularem obser-
ntiam in conuentibus Romanæ Prouinciæ constabiliturus,
Hieronymum Sauonarolam, dictum de Ferraria, ex cœno-
S. Dominici de Bononia in illud S. Marci de Florentia,
m Fr. Dominico de Piscia transtulit, prout in eius Regestis
latum reperitur. *Fr. Hieronymus de Ferraria, & Fr.*

Domi-

Dominicus de Piſcia transferuntur de Conuentu Bononien. & Prouinciæ S. Dominici, ad Prouinciam Romanam, & Conuentum S. Marci de Florentia, & inibi incorporantur pro natiuis filijs, dummodo interueniat aſſenſus Patrum ipſius Conuentus. Venetijs 27. Iunij 1493.

Florentiam petière hi religioſiſſimi Patres, & Hieronymus eiuſdem Conuentus Prior electus eſt, à P. Generali confirmatus, qui eidem, atque ſucceſſoribus ſuis Prioribus Sancti Marci pro tempore indulſit, vt eſſent perpetui Vicarij Conuentuum reformatorum Prouinciæ Romanæ, in hunc modũ: *Fratri Hieronymo, & Priori S. Marci de Florentia pro tempore, conceditur auctoritas Prouincialis ſecundum constitutiones. Item ſi Conuentus S. Dominici de Feſulis S. Catharinæ de Pijs, S. Dominici S. Geminiani, à Congregatione ſeparentur Lombardiæ, Prior S. Marci pro tempore conſtituitur Vicarius Reuerendiſſimi cum plena auctoritate Vicariorum Reuerendiſſimi, & cum auctoritate Prouincialis ſecundum conſtitutiones, & priuilegia. Florentiæ 25. Nouẽb. 1493.*

Cum autem & alij conuentus regularem obſeruantiam amplecteretur, petière Patres illorum ab eodem Magiſtro Ordinis nouam erigi Congregationem in Romana Prouincia ad inſtar Congregationis Lombardiæ. Arriſit Magiſtro facta petitio, quam proponendam in Generali Capitulo proximè celebrando voluit, tali edito decreto. *Congregatio conuentuum Reformatorum Romanæ Prouinciæ aſſignatur in Capitulo Generali Ferrariæ celebrando. Romæ 2. Aprilis 1494.*

Diſcuſſo negotio in Generali Capitulo Ferrariæ eodẽ anno congregato, decretum eſt erigendam eſſe in Romana Prouincia nouam Congregationem, in qua iuxta noſtrarum tenorem Conſtitutionum viuerent Fratres, quód & præſtitum

eſt

, Fratre Hieronymo Sauonarola primo illius Vicario in-
uto, de quo Regesta prædicta sic fantur. *Fr. Hierony-*
s de Ferraria fit Vicarius Generalis Congregationis Ro-
næ Prouinciæ cum plenissima auctoritate, & potest visi-
e monasteria, & Beguinas in ciuitate Pistorien. Ferra-
: 22. *Maij* 1494.

: hoc pacto constabilita est Congreg. reformata in Roma-
Prouincia, quæ vsque ad Clementis VII. tempora mira-
iter effulsit. Sed de hoc infra redibit sermo cum de Con-
ıtu S. Marci tractabimus.

Anno 1513. mandante Caietano Magist. Ord. cænobium
Mariæ Nouellæ de Florentia eidē Congregationi se subdi-
, alijs conuentibus id præstare renuentibus. Tandem an-
1531. Clemens Papa VII. supplicante Card. Caietano,
ongregationem Reformatam Romanæ Prouinciæ erexit in
ouinciam Romanam reformatam, & conuentus obseruan-
ım amplecti renuentes in vnam Vicariam, dictam Vicariā
omanam, vniuit: quod & in Prouinciis Lombardiæ, ac Sā-
Petri Mart. præstitit. Apostolicum Breue hoc non dum ad
ınus nostras peruenit; Si illud consequemur, in fine ope-
s apponemus.

Fuit autem hæc noua Prouinciæ instituto, in Ge-
rali Capitulo Romano anno 1532. in hunc modum Or-
ni denunciata denunc. 3. *Item (scilicet denunciamus)*
ongregationem olim S. Marci extinctam, & erectam esse in
rouinciam Romanam.

His peractis idem Clemens Pontifex voluit, vt conuen-
s cuncti ad Romanam Prouinciam prius spectantes, sed re-
rmationis causa Congregationi Lombardiæ, Apostolica
l Ordinis auctoritate subditi, Romanæ Prouinciæ reforma-
nouiter erectæ restituerentur, Prouincialisque Romanus
orundem gubernium susciperet, dato sequenti Breui.

CLE-

CLEMENS PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Officij nostri debitum exigit, ut opem, & operam omnem quantum possumus impendamus, quòd status religiosarum personarum quarumlibet peregregius in humilitate spiritus Altissimo famulan. non solum vbique floreat, sed etiam authore Domino fælicibus proficiat incrementis. Sanè cum sicut nobis innotuit olim nõnullæ domus Ordinis Fratrũ Prædicatorum, tam S.Dominici, quàm S. Petri Mart. Prouinciarum, secundum morem eiusdem Ordinis ab obedientia suorum Priorum Prouincialium, qui de laxiori vita erant, reformationis causa, & vt in eis regularia obseruarẽtur instituta, Apostolica auctoritate subtractæ fuerunt, & ex eo, quòd sub capite primum deformato cætera membra reformari non poterant, & multitudo irreformatorum, qui tunc erant plurimi, religiosum propositum impedire, & multis modis perturbare valuisset, vna Congregatio, Lombardiæ nuncupata, instituta extitit: cum postmodum auxiliante Domino reformatio in dictis Prouincijs multorum ipsius Ordinis Patrum laboribus plurimis adeò creuit, vt vice versa reformati Fratres non reformatos, non virtute solum, sed numero etiam superent, ac in dictis Prouincijs maiores, & principaliores domus obtineant, & ad cæteras reformandas sufficientes existant. Nos quibus militantis Ecclesiæ superna dispositione gubernacula commissa sunt, considerantes à dicto Ordine reformationem semper prospere processisse, cum capita, & Prælati ex refor-

:formatis instituti sunt, & Prouinciarum gubernatio viris ı obseruantiæ moribus educatis commissa sit, & quod Capitu- ı Generalia desideratæ nobis reformationis, vniuersi ip- us Ordinis sincerè, & absque factis cæremonijs, donec omnis el saltem maior pars Priorum Prouincialium, qui in capi- ılis eiusdem Ordinis diffinire, & ordinationes, leges, & sta- ıta concedere solent reformat., ac propterea obseruantiæ, & formationis zelatores existentes, verosimiliter nunquam cumbent. Ac quod dicta Congregatio Lombardiæ adeò m in S. Dominici, & S. Petri Mart. quam Romana, Regni icilie, & terræ peregrinantiū prouincijs secundum morem usdem Ordinis adeo dilatata est, quod per vnius caput re-, non soliū aliæ reformatæ domus, & expediens esset, vt aut formari nequeant; verum etiam vix, & commodè tam à se stantes domus etiam reformatæ visitari, & in obseruantia nseruari possent: ac propterea nonnulli etiam dictæ Con- egationis Patres, & religiosi desiderēt, vt vita regularis in mnibus domibus Ordinis huiusmodi non solum conseruetur, d per nouam etiam reformationem augeatur; ac cupientes antum cum Deo possumus vniuersam Ecclesiam, & Præ- caoriam præsertim Religionem, quam propter vberes fru- us, quos in vinea Domini afferre dignoscitur, speciali dile- ione, & visceribus charitatis prosequimur, ad melioris vi- instituitionem, & regularem obseruantiam adducere, vo- ntesq, futuris inconuenientibus obuiare, & ex dicta Con- egatione Lombardiæ, S. Dominici, & S. Petri Mart. pro- ncias prædictas paulatim reformare, motu proprio, non ad cuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex stra mera deliberatione, & ex certa scientia, Congregatio-

 nem

nem Lombardiæ prædictam cum omnibus exceptionibus, gratijs, ac priuilegijs, & iuribus suis auctoritate Apostolica tenore præsentium pœnitus, & omninò supprimimus, & extinguimus, ac Angelum de Fauentia modernum dictæ suppressæ Congregationis Vicarium Generalem, nec non Gabrielem Pata Procuratorem S. Dominici, amoto Prouinciali Prouinciæ, Vicarium à Vicariatu, & Ioannem Baptistam de Axereto S. Petri Martyris Prouinciæ Priorem Prouincialem à prouincialatus officijs, auctoritate, & tenore prædictis absoluimus: nec non Angelum olim suppressæ Congregationis Vicarium S. Dominici, & dilectum filium Hieronymum Fornarium Papiensem dicti Ordinis, & theologiæ professorem cuius religionis zelum, morum integritatem, & in regimine prudentiam cognouimus, quod in capitulis reformatorum Bononiæ primum, & Fauentiæ nouissimè celebratis à maiori Patrum multitudine, post electos in Vicarium Generalem desideratus, & canonicè postulatus extitit, Sancti Petri Mart. Prouinciarum prædictarum Priores Prouinciales, & Sancti Dominici Gabrielem, ac in S. Petri Mart. Prouincijs prædictis Ioannem Baptistam præfatos Vicarios Prouinciales, & vtrumque prædictorum Gabrielem, & Ioannem Baptistam in domibus non reformatis suæ Prouinciæ pro tanto tempore, quanto suis Prouincialibus pro tempore existentibus videbatur expedire, eidem auctoritate, & tenore instituimus, & deputauimus, ac vtrique Angelo, & Hieronymo in sua Prouincia plenam auctoritatem, quam in dicto Ordine Priores Prouinciales habere solent, tam super domos non reformatas, quàm super reformatas iu dictis Prouincijs: Nec non Gabrieli, & Ioanni Bapt. præfatis omnem

aucto-

ctoritatem super fratres, & sorores dicti Ordinis suæ curæ iectos, quam habent Vicarij Prouinciarum in suis Pro- cijs iuxta Constitutiones dicti Ordinis, concedimus, ac orū Angeli, & Hieronymi, sic per nos institutorum Prio- n Ptouincialium officia prædicta ad biennium dumtaxat, empore, quo dictus Angelus electus fuit in Vicarium Ge- alem inchoan. hoc est, vsque ad Capitulum Prouin- le vtriusque Prouinciæ anno Domini millesimo quingen- mo trigesimo tertio, inclusiuè celebran. ita quod in fi- Capituli Priores, & Fratres singularum Prouineiarum ant vnum Prouincialem, per duos item annos dumta- in officio Prouincialatus permansurum, prout iuxta di- suppressæ Congregationis olim concessa priuilegia Vica- s Generalis, non nisi per biennium in vicariatus officio manebat, & prout in præsentiarum in quibusdam eius- n Ordinis Prouincijs circa suos Prouinciales obseruatur. uod etiam Prouincialatus officij tempus ad faciliorem re- mationis conseruationem in Prouincia Romana eiusdem linis nuper à nobis similiter reformata obseruari volumus, eisdem auctoritate, & tenore statuimus: Ita quod tam dernis, quam perpetuis futuris temporibus dictæ Roma- Prouinciæ reformatæ Prouincialis transacto biennio à die assumptionis ad illud officium, à dicto Prouincialatus of- o absolutus esse intelligatur: Sicut & Congregationis n Tusciæ à nobis similiter suppressæ Vicarij Generales per nnium tantùm iuxta concessa ab Apostolica Sede priuile- in Vicariatus officio permanebant. Et insuper auctori- e, & tenore prædictis statuimus, & ordinamus, quod di- Anglus, & Hieronymus Prouinciales ~~quilibet~~ in sua

Prouincia domus, & loca alia quæcunque, tàm Fratrum, quàm Sororum reformatorum, vel eorundem, quibus hactenus fratribus reformatis cura commissa est, fratres, & sorores, etiam tertij habiturus Ordinis B. Dominici per se ipsos gubernent; domos verò, et loca alia quæcunq; tàm fratrum, quàm sororum non reformatorum, vel sororum de quibus hactenus curam habuerunt fratres non reformati, etiam tertij habitus B. Dominici, gubernent per Gabrielem, & Ioannem Baptistam Vicarios per nos hæc vice, vt præfertur, institutos, ac quod Priores Prouinciales prædicti in sua quisque Prouincia, domos, etiam non reformatas, visitare, reformare, & omnem Prouincialium auctoritatem, tàm in Vicario suo, ac reliquis capitibus, quam in membris exercere plenè possit, & S. Dominici, ac S. Petri Mart. Prouinciæ prædictæ, sicut & omnes aliæ in præfato ordine in omnibus subiaceant auctoritati Magistri Generalis eiusdem Ordinis, & eiusdem Vicarij, prout ipso Magistro Generali videbitur expedire. Quodq; domus dictæ suppressæ Congregationis Lombardiæ in limitibus existentibus Romanæ Prouinciæ, iuxta antequam dicti Ordinis institutionem, ad ipsam Romanam Prouinciam attineant, ac deinceps sub obedientia moderni Prouincialis Romani, ac eius in officio successorum permaneant. Mandantes eidem Prouinciali dictæ Romanæ Prouinciæ reformatæ, sub pena excõmunicationis sententiæ latæ, quatenus indilatè ad harum præsentatione, absque alia tergiuersatione dictos omnes, & singulos conuentus sub sua cura suscipiat, & in eis Fratres reformatos ponat, qui in ipsis reformationem conseruent, & augeant. Prioribus verò, ac cæteris fratribus omnibus, & singulis in dictis conuentibus assignatis, districtè

præ-

ecipiendo mandamus sub eisdem pœnis, ne vlla ratione di-dant à dictis suæ assignationis Conuentibus, etiam si essent ofessi in alia Prouincia, antequam dictus Romanus Pro-icialis præfatos conuentus visitauerit, quod omninò intra c menses fieri volumus, aut absq; expressa dicti Romani rouincialis concessione in scriptis obtenta. Aliæ verò do-ts Regni Siciliæ, & Terræ peregrinationis, & aliarum ouinciarum, quæ hactenus sub cura fuerunt dictæ suppres- Congregationis, sub cura Prioris Prouincialis S. Dominici naneant, donec per dilectum filium modernum Magistrũ cti Ordinis, vel eius in officio successores aliter fuerit ordi-tum. Et vt reintegratio S. Dominici, & S. Petri Mart. rouinciarum huiusmodi iusta cordis nostri desiderium fa-ius, & celerius effectum sortiatur, volumus quòd omnes ratres professi in vna ex eis S. Dominici, S. Petri Mart. & omana Prouincijs, vel in aliqua domorum prædictarum in a statim à præsentium præsentatione censeantur, & sint ignati, & subiecti illi Prouinciali, cui cura suarum Pro-nciarum commissa est, & à quacunque domo reuocati, ac omni officio absoluti, quòd in ea domo exercerent, in qua ius assignati fuerunt infra limites alterius prouinciæ, vel morum alteri Prouinciali subiectarum, & fratribus ipsis l eorum prouinciam, & domum reuersis, eorum Prior pro-ncialis de domibus, & officijs iuxta singulorum conditiones, r merita prouidere teneantur. Fratrum verò, qui, vt præ-rtur amoti sunt ex conuentibus alienæ prouinciæ recessum : dictis conuentibus vltra dies octo, nisi scandalum secula-um ex viduatione domorum subita timeatur, in quo eorun-em Fratrum, & Prælatorum conuentuum conscientias ag-

gra-

grauamus, prorogari nolumus. Mandantes omnibus, & singulis Fratribus dicti Ordinis, quorum interest, in virtute S. Obedientiæ, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, à qua, præter quàm à Romano Pontifice, præter quàm in mortis articulo constituti, absolui nequeant, ac etiam priuationis omnium dignitatum, officiorum, graduum, & priuilegiorum tam dicti Ordinis, quàm Sedis Apostolicæ; nec non inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, quatenus suppressionem extinctionem olim Congregationis Lombardiæ, & reintegrationem S. Dominici, & S. Petri Mart. prouinciarum, nec nõ institutiones, deputationes, voluntates, statuta, & alia præmissa inuiolabiliter obseruent. Ac decernentes transgressores huiusmodi præcepti, fauorem, & auxilium in hoc præstantes, vel etiam eisdem, quasi Prælatis suis obedire, vel quomodolibet obsequi præsumentes, eo ipso censuras, & pœnas prædictas incurrere, nec non per præfatum Hieronymum Priorem prouincialem prouinciæ S. Petri Mart. eo quòd domus determinatæ in ciuitate Placentina nunc præsideat, hæ litteræ facilè poterunt præsentari, tot præsentium transumpta manuscripta, vel impressa, ac subscriptione, & signo Notarij publici, ac sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munita, quæ vbique plenariam fidem faciant, & omnes Fratres prouinciarum, & locorum prædictorum obediẽtiæ vinculo astringant, ac si presentes originales litteræ eis exhibitæ forent, infra quatuor dies à præsentium præsentatione computandos faciant, quot sunt loca sibi subiecta huiusmodi, singulis locis sibi subiectis, prædictis, singula transumta per fideles Nuncios, ità quod infra vnum mensem ab omnibus fratribus prædictis in Italia recipiantur, dirigi: Origina-

nales verò litteras huiusmodi statim post dictos quatuor :s per proximum fidelem Nuncium destinat, ad Ange- m Priorem prouincialem Prouinciæ S. Dominici, ac per ip- m Angelum illis receptis statim, infra idem tempus qua- or dierum, singula transumpta singulis locis, & locorum ·æsidentibus sibi subiectis, infra mensem per certos Nun- os transmicti: ac ex nunc irritum, & inane decernentes, ıidquid secus super his à quo quã, quauis auctoritate sciẽter, :l ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus consti- ıtionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Congregationis, r illius domorum prædictarum iuramento confirmatione 'postolica, vel quuais firmitate alia roboratis, statutis, & nsuetudinibus, priuilegijs, quoque, & indultis Apostoli- s illis forsan concessis, quibus omnibus, etiam si pro illarum ıfficienti derogatione de illis earumque totis tenoribus spe- 'alis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad ver- um, non autem per clausulas generales idem importantes ıentio, seu quauis alia expressio habenda esset, aut aliqua lia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores illorum ro sufficienter express. habentes, illis aliàs in suo robore ermansuris, hac vice dumtaxat specialiter ex expresse dero- amus, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud .Petrum sub anulo piscatoris die 2. Septembris 1531. Pon- ificatus nostri anno octauo. Origin. huius Breuis custo- litur in Archiuio Conuentus Mineruæ.

Stante igitur decreto Apostolico de restituen- lis conuentibus Romanæ Prouinciæ, Patres in Generali Capitulo Romano anno 1532. decreuère, vt etiam Fra- :res cuncti in conuentibus obseruantiæ Congregationis

Lom-

Lombardiæ ad Romanam Prouinciam spectantes ad eandem reuerterentur, tali decreto in declarat. 6. contento. *Declaramus quòd Fratres filij conuentuum quondam Congregationis Lombardiæ* (quæ & ipsa ab eodem Pont. Max. in Prouinciam Lombardiæ fuerat erecta) *nunc verò per Breue Apostolicum Prouinciæ Romanæ reformatæ restitutorum, si infra spatium trium mensium ad proprios non fuerint reuersi conuentus, vt ibi sub obedientia Prouincialis Romanæ, sicut & cæteri faciunt, maneant, intelligantur esse translati de prouincia Romana ad prouinciam vtriusque Lombardiæ, & proprijs priuati filiationibus.*

Fuère igitur in Romanæ Prouinciæ ambitu, & Romana Prouincia ex Conuentibus obseruantiæ nouiter constituta, & Romana Vicaria, ex alijs cœnobiis, reformationem renuentibus conflata, quæ vsque ad Sanctissimi Pontificis Pij Quinti tempora perseuerauit, quo regnante in Generali Capitulo, Romę anno 1569. congregato eius conuentibus, cęterisque aliarum Prouinciarum Claustralibus Fratribus (hoc enim nomine vocabantur Fratres conuentuum reformationem non recipientium) vetitum est Nouitios ad Ordinem recipere absque expressa licentia Magistri Generalis, qua denegata, ita paulatim Claustralitas, illiusq; sectatores defecère, vt temporibus nostris vix vnum ex eis suppositem viderimus, Tiburtini conuentus alumnum. P.Fr.Gregorium Aldogattum, qui in eodem clausit diem extremum, capularis Senex anno 1636. à quo multa de Claustralium viuendi modo, à religiosa professione satis superque aliena, audiuimus : & hoc pacto eorum cœnobia cum Romana Prouincia, obseruantiæ dedita fuere paulatim vnita, vnico S.Dominici Senatum in sua segregatione à Prouincia permanente vsque ad F. Nicolai Rodulphij Magistri Generalis tempora, qui Apostolico Vrbani VIII. Breui illud Romanæ Prouinciæ subégit, vt vidimus.

TITV-

TITVLVS IV.

De Priuilegijs concessis Prouinciæ.

Nter cœtera, quæ consequta est priuilegia hæc Prouincia, primum fuit, quod ab initio Ordinis Prouincialis ɔm. Generalis Procurator Ordinis erat in Romana Curia; cum visitandæ Prouinciæ causa ex Vrbe discedere cogetur, procurationis munus vni ex Fratribus nostris Apostois Pęnitentiarijs demandabat, perseuerauitq; hoc priuigium in illis, vsque ad B. Humberti quinti Magistri Genelis tempora, qui ad regimen Ordinis assumptus an. 1254. Romana Curia Procuratorē Generalem instituit F. Troiaım, & hic anno 1257. ex Curia memoriale quoddam ad ındem Magistrum Ordinis in Capitulo Generali apud Flontiam anno eodem manentem cum Diffinitoribus, mi:, cuius initium tale est. *Ista sunt memorialia Fratris Troni Procuratoris Ordinis ad Magistrum, etc.* Estque registratum in Actis eiusdem Capituli. De quo Magistro Ge:rali Humberto tractans Sebastianus Olmeda noster, hæc :t. *Sub quo et Procurator Ordinis in Curia instituitur, ilım aliàs procurante Prouinciali Romano, aut aliquo ex Pœitentiarijs Domini Papæ,*

Habuit hæc Prouincia à sui institutione quartum locum ı Ordine; primo Prouinciæ Hispaniæ constituto, in qua orım habuit S. Pater noster Dominicus. Secundo Franciæ, ɔ quia ibidem Tolosanus conuentus primus omnium daıs est Ordini. Tertio Lombardiæ, propter officium Inquitoris, quod ibi S. Dominicus exercuit, ibidemq; duo prioı Generalia Capitula celebrauit. Quarto verò nostræ Roıanæ Prouinciæ, in qua S. Sixti cœnobium secundum Orini datum est. At cum in Gallia conuentus, & Fratres es:nt notabiliter multiplicati, visum est Patribus cum Magi-

ſtro Generali Bernardo Gallo apud Coloniam in Capitulo, an. 1301. congregatis, Franciæ Prouinciam in duas diuidere, ſecundo loco Toloſanæ, tertiò verò Franciæ Prouincijs attributo, & inde locus Romanæ Prouinciæ in Ordine quintus euaſit, qui vſque modo perſeuerat.

Conſequuta eſt præterea hæc Prouincia plura priuilegia, & à Summis Pontificibus, & à Generalibus Capitulis, quæ ſunt ſequentia.

Generale Valliſoletanum Capitulum an. 1605. congregatum eidem conceſſit, vt Magiſtri loco, & voce gaudentes, qui Magiſtri Prouinciæ communi nomine dicuntur, denarium numerum non excederent, & hic excedi non poſſet, niſi occaſione Regentium Generalis Peruſini ſtudij, tali ſancito decreto. *In Prouincia Romana ad eius petitionem ordinamus, vt in poſterum numerus Magiſtrorum in Prouincia receptorum ſit denarius, & nunquam poſſit hic numerus augeri, niſi occaſione Magiſtrorum, qui in futurum fient in ſtudio Peruſino ſecundum conſuetos ſtudiorum gradus.* Quem tamen numerum ad vicenarium Vrbanum VIII. poſtmodum ad ſupplicationem Fr. Michaelis Mazarini Prouincialis Romani, deinde S.R.E. Cardinalis, protraxit, dato ſequenti Apoſtolico Breui.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

IN his Apoſtolici noſtri muneris partes libenter interponimus, per quæ fælici Regularium perſonarum ſtatui opportunè conſuli iudicamus. Nuper ſiquidem pro parte dilecti filij Michaelis Mazarini Sac. Theologiæ Magiſtri,

ac

ac Romanæ Prouinciæ Fratrum Ordinis Prædicatorum Prioris Prouincialis nobis expositum fuit, quòd in non mediocre dictæ Prouinciæ bonum cederet, si quemadmodum in quibusdam alijs dicti Ordinis Prouincijs sancitum est, certus, ac determinatus Magistrorum in Sacr. Theologia Ordinis huiusmodi cum loco & voce, qui acceptati communiter nuncupari solent, numerus in dicta Rom. Prouincia per nos constitueretur. Nobis propterea dictus Michael Prior Prouincialis huiusmodi humiliter supplicari fecit, vt in præmissis opportunè, vt infra, prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eiusdem Prouinciæ fœlici regimini, & gubernio, quantùm cum Domino possumus, benignè consulere, ipsumque exponentem specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum seriè absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, præfatis Magistris acceptatis in Prouincia Romana huiusmodi numerum vicenarium, qui nonnisi per eos, qui in Studio Generali dictæ Prouinciæ Regentis munere functi fuerint, excedi possit: Apostolica auctoritate, tenore præsentium præscribimus, & præfinimus. Ac insuper quòd de cætero nullus nisi Regens, vt supra fuerit, in eiusdem Prouinciæ Magistrum acceptari valeat, donec & quoadusque Magistri, qui modò sunt in dicta Prouincia acceptati, quibus per præsentes nullum præiudicium inferre intendimus, ad numerum viginti redacti fuerint, auctoritate, et

tenore præsentium interdicimus, & prohibemus; Decernentes irritum & inane, si secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non Capitulorum Generalium dicti Ordinis decretis, si quæ præmissis aduersentur, ac Ordinis, & Prouinciæ huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quauis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis; etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiamsi pro sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenoribus præsentium pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub anulo Piscatoris die 17. Maij 1639. Pontificatus nostri Anno decimosexto.

Hi verò Magistri nequaquam loco, voce, cœterisque priuilegijs gaudere valent, nisi prius ab ipsa Prouincia, hoc est à Diffinitoribus, Patribusque prouinciæ in Capitulo Prouinciali congregatis, acceptentur: Et hoc ex priuilegio eidem

dem

dem à prædicto Capitulo Generali Vallisoletano concesso, quod tale est. *Et hi omnes Magistri* (subditur post decretū de numero Magistrorum supra relatum) *in Prouincia recipiendi, non recipiantur, nisi prius per decennium perlegerint, tàm artium cursus, quàm etiam theologiam per quatuor annos in aliqua Vniuersitate, computando in hoc decennio duos annos Magisterij studij: & à maiori parte Diffinitorum; & Patrum Prouinciæ in Capitulo Prouinciali existentium, acceptari debeant. Et qui aliter quocumque modo, directè, vel indirectè ad hunc gradum assumptus fuerit, nisi statim renunciauerit, sit ipso facto priuatus omnibus gradibus, & officijs, & sit omninò inhabilis in perpetuum ad hunc gradum obtinendum.*

Prædicatoribus Generalibus quoque numerus duodenarius præfixus est, ex decreto Generalis Capituli Parisiensis ann. 1611. quod tale est. *Ordinamus ad ipsius petitionem* (scilicet Prouinciæ Romanæ) *vt Prædicatorum Generalium, vocem in Prouincia habentium, numerus non excedat duodenarium in futurum*. Qui tamen Prædicatores Generales acceptandi sunt in Capitulo à maiori parte Patrum Prouinciæ, ac Diffinitoribus: Ita enim ibidem subditur. *Et quòd in posterum Prædicatores Generales voce gaudentes acceptentur à maiori parte Patrum Prouinciæ sicut in Capitulo Vallisoletano ordinatione 34. ad petitionem ipsius Prouinciæ statutum fuit de acceptatione Magistrorum.* Quod & in Capitulo Generali Bononien. anno 1615. confirmatum est. Ordinationem autem 34. dicti Capituli supra retulimus de Magistris.

In hac Prouincia nullus potest esse Lector, neque

que Lectoris titulo potiri, qui statuto tempore in Collegio Romano conuentus Mineruæ non fuerit Collegialis, Thesesque publicas impressas non defensauerit, atq; à Moderatoribus ad legendum non fuerit approbatus: Ex decreto supradicti Capituli Parisien. 1611. quod tale est. *Ordinamus, & districtè præcipimus, vt ordinationes, quæ in Prouincia nostra Romana hucusque seruatæ, & à Reuerendissimo P. nostro Mag. Gen. Ordinis confirmatæ sunt, inuiolabiliter obseruentur; videlicet, quòd nullus vnquam in dicta Prouincia fiat Lector, nec Artium, nec sacræ theologiæ, neque hoc titulo gaudeat, nisi ante per totum tempus ab ordinationibus nostri Romani Collegij S. Thomæ præscriptum, in eodem Collegio Collegialis extiterit, & à moderatoribus eiusdem iuxta formam ididem præscriptam examinatus, & approbatus fuerit, publicasque conclusiones impressas sustinuerit: nec vllo pacto Lectores ex studio nostro Generali Perusino educantur, neque ibidem ad Lectoratus officium examinentur. Item quod examinatores, ad quos Collegialium, & Lectorum examina, nec non consultatio negociorum dicti Collegij pertineant, sint A. R. P. Prouincialis Romanus, & RR. Patres Reg. Collegij, Prior Conuetus S. Mariæ super Mineruam, Baccalaureus ordinarius, Magister studentium, primus Lector Artium, & ij tantùm Patres Magistri, qui per aliquot annos in eodem Collegio Sacram Theologiam perlegerint, & si Romanæ Prouinciæ fuerint, in eadem pro Magistris acceptati sint: Quod si secus factum fuerit, quam in præfatis ordinationibus sancitum est, totum irritum sit & inane. Et ne de cætero hæc eadem in controuersiam vertantur, præsenti decreto super his omnibus, ac*

sin-

ſingulis perpetuum ſilentium imponimus.

Lectores triẽnio tenentur curſum Artiũ cõplere ex decr. Gen. Cap. Rom. 1608. quod eſt tale. *Ordinamus, & ſtatuimus, vt omnis Lector Artium ſuum curſum triennio abſoluat, nec vltra illud prorogare poſſit; quo elapſo, abſque vlla declaratione à lectione, & lectoratu, priuilegijſque omnibus actualis Lectoris excluſus, & priuatus ſit, & habeatur.*

Tres circulos in hebdomada tenentur ad minus ſuſtinere: & Lectores Caſuum Conſcientiæ ſemel in ſeptimana lectionem habere; ita ordinante Generali Capitulo Romano 1650. *Ordinamus, quòd Lectores caſuum conſcientiæ, niſi adminus ſemel in hebdomada toto illo tempore, quo exercitia ſcholaſtica haberi ſolent, lectiones habeant, nullis prilegijs, aut exemptionibus gaudeant; imò lectura caſuum priuentur. Item quod Lectores adminus ter in hebdomada circulos habeant, & circulus ſabbathinus nullatenus omittatur.*

Lector quilibet in alijs generalibus Ordinis ſtudijs inſtitutus, & approbatus, tenetur iterum in Collegio Romano ſupradicto iterum examen ſubire, & approbari vt titulo, priuilegijſque Lectoris perfrui mereatur, ex ordinatione Generalis Capituli Romani 1612. *Ordinamus, quòd de cætero Fratres eiuſdem Romanæ Prouinciæ, qui in aliarum Prouinciarum ſtudijs in Lectores fuerint examinati, & approbati, titulo, & priuilegijs Lectoris in eadem Romana Prouincia gaudere non poſſint, niſi prius in Collegio Romano Sanctæ Mariæ ſuper Mineruam in Lectores examinati, & approbati fuerint.*

Tan-

Tandem decretum est in fauorem huius nostræ Prouinciæ in Generali Capitulo Mediolanen. 1622. vt in examine pro Collegij ingressu, siue pro Lectoratus officio, à PP. Moderatoribus exclusi, promoueri nullo modo possint ad Magisterij gradum. Decretum tale est. *Ordinamus pro nostra Prouincia Romana ad instantiam P. Prouincialis, vt non possint promoueri ad gradum Magisterij, etiam saluis eiusdem Prouinciæ iuribus, qui in nostro Collegio Romano S. Mariæ super Mineruam pro Collegialibus, vel Lectoribus exclusi fuerint. Si verò literas promotionis ad eundem gradum Magisterij obtinuerint, quæ huius ordinationis expressè non meminerint, eiq; expressè non derogauerint, pro subreptitijs, & nullius roboris habeantur: neque vllo pacto exequtioni mandentur.*

Priores Prouinciales sunt biennales ex decreto Vrbani Octaui, quod tale est.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

NVper pro parte dilecti filij Michaelis Mazarini in Sacra Theologia Magistri, ac Romanæ Prouinciæ Fratrum Ordinis Prædicatorũ Prioris Prouincialis Nobis expositum fuit, quòd dictæ Prouinciæ Priores Prouinciales ante Capitulum Generale eiusdem Ordinis in Alma Vrbe nostra nouissimè de Anno 1629. celebratum, biennales erant; in eo autem Capitulo Generali statutum fuit, vt Priores Prouinciales abinde quadriennales forent, exceptis tamen

Pro-

Prouincijs speciali quo ad hoc indulto Apostolico gaudētibus. Verùm quia dubitari potest an in prædicta Prouincia Romana huiusmodi indultum vigeat; ad omnem scrupulum è medio remouendum, statutum etiam fuit in Dieta nuper in eadem Alma Vrbe in domo Regulari, seu Conuentu S. Mariæ super Mineruam dicti Ordinis habita supplicandum esse, prout idem exponens nobis humiliter supplicari fecit, vt in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur fælici Prouinciæ huiusmodi gubernio quantum cum Domine possumus consulere, ac eundem Michaelem specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, eumque à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati: Quòd de cætero perpetuis futuris temporibus dictæ Prouinciæ Romanæ Priores Prouinciales biennales sint, & esse debeant, nec vltra biennium in huiusmodi Prouincialatus officio perdurare possint, & quidquid secus à quoquam, quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane existat, Apostolica auctoritate tenore præsentium decernimus, statuimus, & ordinamus respectiuè: Non obstantibus prædicta Capituli Generalis ordinatione, seù statuto, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Prouinciæ huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuile-

gijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium tenoribus præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectū specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub anulo Piscatoris die 28. Maij 1649. Pontificatus nostri Anno decimo sexto.

Conuentuales Priores sunt biennales ex decreto Capituli Generalis Romani an. 1656. *Ad vltroneam huius Prouinciæ petitionem consentimus, & ordinamus, quòd in ea deinceps Priores Conuentuales biennium dumtaxat in officio perdurent.*

Emanauère quoque pro hac Prouincia ordinationes à Fr. Michaele Bonello, Card. Alexandrino nuncupato, ex Ordine nostro assumpto, illiusque Protectore, Sixti Papæ V. Apostolica auctoritate roboratæ, sequentis tenoris.

1. Nullus Prior actualis in vno Conuentu potest in Priorem alterius eligi, nec assumi.
2. Eligendus in Priorem Conuentus, cui annexa est Monialium cura, sit in ætate adminus quadraginta annorum completorum.
3. Non assumantur Fratres ad Monialium Sacramentales confessiones audiendas, nisi quadragesimum quintum annum expleuerint.
4. Non faciant Priores ædificia excedentia valorem scutorum decem, absque licentia P. Prouincialis, & Patrum à Consilijs sui Conuentus, sub pęna absolutionis à suo officio.
5. Neque noua ædificia faciant, nisi incepta fuerint terminata; sub eadem pęna.

Sanctæ

Sanctæ Memoriæ Pius V. Romanam Prouinciam specialibus prosequutus est fauoribus, dum remotis a tribus Vrbis Basilicis Apostolicis diuersorum Sacrorum Ordinum Pœnitentiarijs, vnicuique proprios Pęnitentiarios eiusdem professionis, & instituti perpetuis futuris temporibus tribuit; & nobis, velut B. Virginis clientibus, Basilicam Liberianam, quæ S. Mariæ Maioris communiter dicitur: Patribus Minoribus Lateranen. Patribus verò Societatis Iesu Vaticanam dedit, quos Pœnitentiarios nostros subditos Prouinciali Romano, atque Priori Conuentus Mineruę esse voluit de Romana Prouincia tamen assumendos, sequenti edito Apostolico decreto, ac Breui.

PIVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

PRo nostri muneris officio curæ nobis esse debet, vt de ministris idoneis ad conferendum fidelibus pænitentiæ Sacramentum apud Ecclesiam S. Mariæ Maioris de Vrbe vtilior deinceps ratio habeatur: postquàm enim fel. rec. Pius Papa Quartus prædecessor noster antiquum numerum Pænitentiariorum ex diuersis nationibus, atque Ordinibus in dicta Ecclesia constitutorum ad numerum duodecim, qui alias iuxta veterem ipsorum institutionem à Romanis Pontificibus traditam ibi perpetuò consisterent, motu proprio per suas litteras reformauit, re ipsa compertum est, ne hoc quidem ad præfatum officium admodum profecisse, ac numerum ipsum duodecim Pænitentiariorum ad id munus in dicta Ecclesia

ſubeundum nimis multum, præterea illam ordinum, & linguarum diuerſitatem non perinde neceſſariam eſſe. Nos igitur vtilius multum fore rati, ſi numerus perpetuus rurſus minuatur, ſimulque omnes Pœnitentiarij perpetui, ex vno Ordine, eodemque linguæ idiomate conſtituantur. Motu proprio ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, reformationem, & reductionem Pij prædeceſſoris huiuſmodi, ac etiam omnes & quaſcumque conſtitutiones de numero, ordinibus, nationibus, & alijs qualitatibus ipſorum Pœnitentiariorum, tàm per eundem Pium, quàm quoſcumque alios prædeceſſores noſtros quomodolibet ex quibuſuis cauſis factas, nec non facultates conſtituendi perpetuos Pœnitentiarios à maiori Pœnitentiario noſtro, & quibuslibet alijs, & per litteras Pij prædeceſſoris huiuſmodi attributas, tenore præſentium reuocamus, & abolemus, ac præfatas, & quaſcumque litteras deſuper confectas, quarum ſingularum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, caſſamus, & annullamus, volumuſque illas omnes vires, & effectum de cætero non habere: quin etiam omnes illos Pœnitentiarios, qui huc uſque in dicta Eccleſia quomodolibet conſtituti ſunt, officio, vſu, & exercitio Pœnitentiarij apud illam priuamus, & amouemus, diſtrictius inhibentes maiori Pœnitentiario perpetuo, & quibuslibet alijs, ne deinceps in officiorum collatione, aut Pœnitentiariorum huiuſmodi ordinatione, amotione, vel alia quacumque diſpoſitione ſeſe audeat immiſcere, & nihilominus in dicta Eccleſia S. Mariæ Maioris ſex dumtaxat Pœnitentiarios minores, qui omnes Ordinis Fratrum Prædicatorum Romanæ ptouinciæ, iuxta morem eiuſdem Ordinis, non autem alterius, poſt hac in perpetuũ eſſe, ac per Priorem

Pro-

Prouincialem dictæ Prouinciæ, seu Priorem Beatæ Mariæ supra Mineruam de Vrbe tanquam eius Vicarium constitui debeant. Quique omnibus, & singulis facultatibus, priuilegijs, prærogatiuis, exemptionibus, & indultis, quibus Pænitentiarij minores Ecclesiæ Sancti Ioannis Lateranen. & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere valeant, perpetuò instituimus; Eosque curæ, iurisdictioni, potestati, visitationi, & correctioni perpetui Prioris prouincialis, vel tanquam Vicarij, Prioris Sanctæ Mariæ supra Mineruam, salua semper Maioris Pænitentiarij præfati in concernentibus curam officij huiusmodi, superioritate, & debita obedientia, demandamus. Qui quidem Prior, seu Virius pro sua in Deum pietate, & officij debito eos ibi Pænitentiarios constituat, quos morum, doctrinæ, & ætatis ratione habita ad id munus obeundum idoneos cognouerit, eosdem etiam cum bene sibi visum fuerit remoueat, & illorum loco alios eiusdem Ordinis, & Prouinciæ ad præfinitum dumtaxat numerum sex Pænitentiariorum substituat, quibus duos fratres Conuersos, vel Tertiarios pro communibus seruitijs, & alijs necessitatibus eorum ducimus subiungendos. Cæterum ipse Prior prouincialis, seu tanquam Vicarius Prior Sanctæ Mariæ supra Mineruam in eorum omnium vitam, & mores inquirat, animaduertat, visitet, moneat, corrigat, & emendet, quemadmodum alijs superioribus in Fratres dicti Ordinis iuxta regularia illius instituta dignoscitur ordinatum. Vt autem ipsius sex Pænitentiarijs, & duobus conuersis de communi, & quantùm fieri possit, propinqua habitatione consulatur, motu, scientia, & potestatis plenitudi-

nitudine similibus, ædes, quæ intrantibus ad dexteram partem Ecclesiæ Sanctæ Potentianæ constant, & ad septentrionem spectant, quas nuper in eorum vsum aptandas curauimus, cum vestibulo, & viridario ad valuas dictæ Ecclesiæ, ac omnibus iuribus, & pertinentijs eius, à reliqua proprietate, & rebus mensæ capitularis præfatæ Ecclesiæ, ac singulorum illius Beneficiorum, & præbendarum pro perpetuo vsu, & habitatione præfatorum sex Pœnitentiariorum, & sine consensu dilectorum filiorum Archipræsbyteri, & Capituli eiusdem Ecclesiæ, ipsis omninò contradicentibus perpetuò dismembramus, & separamus, illasque cum vestibulo, viridario, iuribus, & pertinentijs præfatis sex Pœnitentiarijs, & duobus Conuersis, aut Tertiarijs pro huiusmodi habitatione, & vsu, perpetuò concedimus. Ita quod liceat ipsis sex Pœnitentiarijs ædium, & aliorum præfatorum corporalem possessionem per se, vel per alium, seu alios propria auctoritate, & absque vitio spolij, seu attentatorum, liberè apprehendere, & perpetuò detinere; cum eo tamen, vel alias ipsi Ecclesiæ Sanctæ Potentianæ quo ad titulum Præsbyteri Cardinalis in nihilo derogetur, atque aliarum illius rerum, & bonorum administratio, fructuumque perceptio, & dispositio ad Archipresbyterum, & Capitulum præfatos, vt prius pertineat. Insuper pro vsu, & alijs necessarijs sex Pœnitentiariorum, & duorum Conuersorum præfatorum menstruam prouisionem viginti nouem scutorum auri in auro super pecunijs compositionum, quæ in officio datariatus nostri fiunt, eisdem sex Pœnitentiarijs, vel eorum procuratori ad id ab eis potestatem habenti

benti per pecuniarum earumdem depositarium singulis mensibus, donec illis alia idonea assignatio facta fuerit, quo casu, & non alias præfata prouisio cessare censeatur, integrè persoluendam concedimus. Decernentes præsentes litteras sub nullis reuocation. suspension. limitation. reduction. restitution. derogation. aut alijs contrarijs dispositionibus similium, vel dissimilium constitutionum, & ordinationum per nos, ac Sedem Apostolicam; etiam motu, & scientia similibus, & ex quibusuis causis vrgentibus quantumlibet pro tempore factis, etiam si in illis de eisdem patentibus literis, & eorum toto tenore, ac data, specialis, specifica, & expressa mentio fiat, comprahendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanauerint, toties in pristinum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac de nouo, & quacunque data per Priorem, & Prouincialem, ac Pœnitentiarios præfatos eligenda concessas esse, & censeri, & ita nostræ incommutabilis voluntatis, & intentionis esse, & fore, ipsasque præsentes nullo vmquam tempore de subreptionis, & obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu notari, aut eius vel controuersia quacunque ratione, vel causa vocari posset, causamque, seu causas propter quas reuocatio, abolitio, cassatio, anullatio, priuatio, amotio, institutio, & alia præfata facta sunt coram quocumque, minimè verificari, nec ob id, seu ex quo interesse putantes vocati non fuerint, per subreptionem obtentas præsumi, iuribusque propterea carere. Sicque per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales

nales ex quauis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpraetandi facultate, & auctoritate, seu scienter, vel ignorauter contigerit attentari, non obstantibus nostra, per quam dudum voluimus inter alia, quòd deinceps per quamcumque concessionem, aut gratiam per nos, etiam motu, & ex certa scientia faciendam, nullis ius sibi quaesitum quomodolibet tollere, & piae memoriae Bonifacij Papae Octaui praedecessoris nostri, qua cauetur nè fratres Mendicantes noua loca recipere, aut recepta retinere possint sine speciali dictae Sedis Apostolicae licentia, de prohibitione huiusmodi mentionem faciente, alijsque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & dictorum Sanctae Mariae Maioris, ac Sanctae Potentianae Ecclesiarum iuramento, & confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis, illis, earumque personis, ac etiam praefato Maiori Paenitentiarto per quoscunque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos, & dictam sedem sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis quomodolibet concessis, approbatis, & etiam iuratis, innouatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de ipsis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quauis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo ro-

bore

bore permansuris; hac vice dumtaxat, harum seriè specialiter, & expressè derogamus: cæterisque contrarijs quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reuocationis, abolitionis, restitutionis, demandationis, decreti, dismembrationis, separationis, concessionis, assignationis, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1568. *Kalendis Septembris Pontificatus anno tertio.*

Idem Pontifex postmodum perpetuam pensionem scutorum aureorum trecentum pro congrua sustentatione eisdem Pœnitentiarijs concessit super Abbatiam S. Genesij, quam Sixtus V. commutauit in præbendam vnius canonicatus eiusdem Basilicæ.

Supradictæ tres Apostolicæ Bullæ sunt in Archiuio Sanctæ Mariæ super Mineruam.

In exequtionem igitur Bullæ Pij V. Pont. Max. inière possessionem domus apud S. Potentiam Patres nostri, Pœnitentiarij Apostolici à Romano Prouinciali selecti, quàm incoluère vsq, ad Greg. XIII. tempora, qui eisdē propè Basilicam cōmodiorem mansionem concessit, in qua permanent.

Ex Monumentis Archiuij Conuentus S. Mariæ super Mineruam de Vrbe, ac Pœnitentiariæ S. M. Maioris.

CAPVT II.

DE CONVENTIBVS Romanæ Prouinciæ.

IN Vrbem ingressus S. Pater Dominicus, & confirmatione Ordinis ab Honorio III. consequuta, ab eodem Pontifice Maximo, Ecclesiam S. Sixti cum annexis ædibus non longè ab Ardeatina porta pro suorum filiorum habitaculo impetrauit; & constructo ibidem conuentu, illum postea Monialibus inhabitandum, de eiusdem Honorij consensu dedit, qui S. Patri Ecclesiam S. Sabinæ cum adiuncto Apostolico palatio concessit, vbi ipse cum suis filijs fixit pedem; & hic conuentus ad Romanam Prouinciam spectauit vsque ad annum 1500. quo F Franciscus de Florentia Procurator, ac Vicarius Generalis, absente a Curia Magistro Ord. Turriano die 2. Nouemb. de consensu Cardinalis Oliuerij Carrafæ Protectoris, illum Congregationi reformatæ Lombardiæ subdidit, vt Fratres eiusdem conuentum haberent in Curia pro negotijs suæ Congregationis tractandis, sicuti testantur regesta dicti Magistri Generalis fol. 145. de cuius etiam consensu id præstitum est.

Licet

Licet in institutione huius Prouinciæ ex his, qui modò ad Romanam Prouinciam spectant, quinque tantùm essent tunc fundati conuentus, vt supra retulimus; tamen postmodum, Deo adiuuante, ita numero fuere multiplicati, vt vnam prouinciam ex principalioribus Ordinis constituant, quos secundum præcedentiam, quam de præsenti inter se consequuntur, referemus.

TITVLVS I.

De Conuentu S. Mariæ super Mineruam de Vrbe.

P. Mag. Fr. Abram Bzouius in suis Ecclesiasticis Annalibus ad annum millesimum ducentesimum quinquagesimum quintum num. VIII. asserit dirutum templum, Mineruæ ab antiquis dicatum, eodem anno ab Alexandro Papa IV. fuisse concessum Tertiarijs mulieribus, repetitis nũcupatis. Verùm cùm difficile nimis esset ob propriam paupertatem tale ædificium reducere in meliorem formam pro sui habitatione, ad Sanctum Pancratium, sibi aptiorem mansionem, transière, Pontifice Max. annuente, qui easdem diruti templi Mineruæ ædes Fratribus nostris dono dedit, vt in Vrbis medio Ecclesiam ad propria munia exequenda aptam construerent. *Mineruæ Romanæ Phanum* (inquit Bzouius) *Tertiarijs mulieribus, quæ Repentitæ dicebantur, attribuit; ijsdem autem ad Sanctum Pancratium translatis, Fratres D. Dominici in idem plenum ius habere voluit.*

In hoc loco igitur ædificauère Patres nostri paruam Ecclesiam cum annexis Fratrum quibusdam paucis cellulis, in eaque Sacris confessionibus, prædicationibus, atque spiritualibus exercitijs dediti, ità Romanorum animos sibi alle-

xère, vt breui temporis interuallo, affluentibus eleemosynis, formatus sit ibidem conuentus, ad multorum religiosorum habitationem, atque sustentationem aptus, Priore ibidem instituto, qui illum in augmentum dirigeret, atque gubernaret.

Angebantur non modicum Religiosi illi, charitatis visceribus affluentes, eo quia concursum populi ad se aduentantis considerantes, propriam Sacram ædiculam illius incapacem agnoscebant. Egère propterea cum Sacris Virginibus Benedictinis Monasterij Campi Martij, vt sibi Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Minerua proprio conuentui vicinam, quæ ad ipsos iure patronatus spectabat, concedere vellent, tanquam maiorem, aptioremque pro populi concursu, ad diuina officia, sacrasque exhortationes conuenientis, quæ iustæ eorum petitioni annuentes, præfatam Ecclesiam illis pia prodigalitate donauère, præhabita tamen licentia à Vicario Dom. Papæ Fr. Aldobrandino de Caualcantibus Florentino, Episcopo Vrbeuetano ex Ordine nostro, qui talem donationem sequenti diplomate confirmauit, Gregorio Papa Decimo in Lugdunen. Concilio occupato an. 1275.

FRATER ALDOBRANDINVS
De Ordine Prædicatorum Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcop. Vrbeuetan. Domini Papæ in Vrbe Vicarius.

Dilectis filijs in Christo, Priori, & Conuentui Fratrum Prædicatorum de Vrbe salutem in Domino sempiternam.

C*Vm à nobis petitur quod iustum est, & honestum, tàm vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, vt id per sollecitudinem officij nostri ad debitum perducamus effe-ctum.*

ctum. *Ea propter dilecti in Domino filij, vestris iustis petitionibus inclinati, Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Minerua de Vrbe, quam dilectæ in Christo filiæ Abbatissa, & Conuentus monasterij S. Mariæ in Campo Martio de Vrbe Ordinis Sancti Benedicti, prout ad eas, & ipsarum monasterium pertinebat, vobis, seu alij vestro nomine pia liberalitate, ac deliberatione prouida, nostra præhabita licentia, & consensu donauerunt, seu concesserunt; ac donationem, seu concessionem huiusmodi, prout in instrumento publico, scripto manu Angeli Romani Scrinarij plenius continetur, vobis & Ordini vestro, auctoritate Domini Papæ, qua in hac parte fungimur, confirmamus; & si quid defuit prædictæ donationi, eadem auctoritate supplemus. In cuius rei testimonium vobis præsentes litteras nostri sigilli munimine, ac signo, & subscriptione Gerardi nostri Notarij roboratas duximus concedendas. Actum Romæ apud Palatium S. Sabinæ anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, Indictione quarta, die sextadecima Nouembris, Pontificatus D. Gregorij Papæ Decimi anno quarto, præsentibus discretis viris Magistro Mulgano Vrbeuetano Canonico, & Presbytero Lapo Capellanis nostris: Angelo Romani de Vrbe Scriniario, Plebano Domini Lapi Valentis de Florentia, & Picleino de Linari testibus ad hoc vocatis.*

Ego Gerardus Andreæ de Narnia auctoritate S. Romanæ Ecclesiæ Notarius constitutus, confirmationi, & supplectioni prædictis, & concessieoni prædictarum litterarum interfui, & ea, vt supra leguntur, de mandato prædicti Domini Vicarij scripsi, & publicaui, & meo sigillo signaui.

Ori-

Originalia huiusmodi donationis seruantur in Archiuio eiusdem Conuentus.

Erat Ecclesia hęc in ea parte nostri hodierni templi, quæ ad meridiem respicit, vbi sunt sacella S. P. Dominici, Sancti Hyacinthi, & Sanctæ Mariæ Magdalenæ, in superiori loco eiusdem; cuius fores erant in via publica, recto tramite ex S. Eustachij Ecclesia, ad Montem Quirinalem dirigente iter, quam primò huius templi constructione, deinde PP. Iesuitarum Collegij Romani ædificio, truncam videmus; sicut antiquiores nobis retulerę Patres, qui ex scripturis, atque relationibus antiquiorum suorum id didicère.

Ob talem donationem, pia liberalitate à Monialibus prædictis nobis factam, eiusdem Conuentus cœnobitæ pro singulis sacris Virginibus præfati Monasterij S. Mariæ de Campo Martio ex hac vita migrantibus, consueuère pias ad Deum preces effundere, Domina Abbatissa monialium singularum decessum P. Priori nunciante, ipsoque in publico capitulo, vel mensa, Fratribus earundem animas publicis, atque priuatis suffragijs commendante.

Parochialis erat hæc Ecclesia, subordinata tamen Ecclesiæ, & Capitulo S. Marci de Vrbe, permansitque cum tali subordinatione vsque ad Ioannis xxi. Pont. Max. tempora, qui anno 1276. Pontificatus sui primo, die xi. Nouembr. eam ab illa S. Marci seiunxit, euulsit, ac totaliter separauit, expedita super huiusmodi separationem Pontificia Bulla die, & anno præfatis, quæ in Archiuio Conuentus custoditur, in qua post multa, litem, & rationes hinc indè continentia, hoc habetur decretum.

Diffiniendo præcipimus, & ordinamus, quod prædicta ecclesia Sanctæ Mariæ de Minerua cum domibus, & appendicijs, & omnibus pertinentijs suis, iuribus, & actionibus, cum Parochia, & omni iure parochiali, exempta ab omni seruitute, vel onere prædictis, Priori, & Conuentui expe-

expedita, & libera remaneat, ad habendum, tenendum, possidendum, construendum, & ordinandum, tam de ipsa ecclesia, quàm de Parochia eius quidquid eis, & eorum successoribus videbitur expedire; ita quod nullum ius in ea, vel pertinentijs suis, aut iuribus ipsis parochialibus dictum Capitulum, vel ecclesia S. Marci sibi de cætero possint, vel debeāt vindicare, &c.

Non habebat autem tunc temporis Baptismatis fontem, sed sacro lauacro regenerandi ex hac Parochia, ad illam Sancti Marci deferebantur, perseuerauitque hic mos pluribus annis; tempore autem Clementis Papæ VII. fons baptismalis erat in hac Ecclesia, vt ex parochiali libro baptizatorum eiusdem temporis apparet, in quo ita legitur.

A laude dello Onnipotente Iddio, & della Gloriosa Vergine Maria, & di S. Domenico Padre nostro, & di tutti è Santi. In questo libro si scriueranno tutti quegli, che si battezzaranno nella nostra chiesa di S. Maria super Mineruam di Roma dell'Ordine de Frati Prædicatori, cominciatosi nell'anno 1531. & nel primo anno della riformatione del sopradetto Conuento.

Vsi sunt pluribus annis dicta Ecclesia Fratres nostri, & cum angusta nimis pro populi ad diuina conuenientis concursu agnosceretur, cogitauère Patres de nouo ampliori, & permagnifico templo ibidem construendo; at quia eorum paupertas exequutionem retardabat, promoto ad regimen vniuersalis Ecclesię Dei Nicolao III. ex Vrsinorum nobilissima Romana familia, viro pijssimo, ad ipsum accessère, supplicantes, vt iustæ eorum petitioni de ampliori templo in populi Romani commodum construendo, manusq; adiutrices porrigendo, annuere dignaretur. Placuit Pontifici Optimo petitio, mandauitque illicò duobus Vrbis Senatoribus

ribus, Ioanni Columnæ, atque Pandulpho Sabello primariæ nobilitatis viris, vt de necessaria pecunia Fratribus subuenirent, dato sequenti Breui, in Archiuio eiusdem conuentus existente.

NICOLAVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei Dilectis filijs nobilibus viris Ioanni de Columna, & Pandulpho Sabello Senatoribus Vrbis

Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Sicut ad nostrum peruenit auditum in statutis Vrbis inter alia continetur, quòd quando fabricabitur Ecclesia de Minerua, vbi morantur Fratres Ordinis Prædicatorum, Senator cum deliberatione consilij Vrbis prouideat ipsis Fratribus de aliqua quantitate pecuniæ pro fabrica ipsius Ecclesiæ, prout Senatori, & Consilio placuerit supradictis. Cum itaque dicta Ecclesia incipiatur fabricari ad præsens: Nos attendentes, quòd statutum ipsum in se continet honestatem, deuotioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, eodem congregato consilio, & præsentibus Camerarijs *ipsius Vrbis, de facultatibus, & alijs conditionibus eidem Cameræ, ac specialiter quid in illa consistat, & quid illi ad præsens, vel futurum immineat, prout melius coniecturari poterit, discussione præhabita diligenti, si ad id eiusdem consilij accedat assensus, & absque ipsius Cameræ læsione fieri poterit, statutum ipsum erga Fratres eosdem congruè, prout ex vestra, & dicti Consilij, ac Camerariorum eorundem*

deli-

deliberatione processerit, obseruetis. Datum Suriani 8. Kal. Iulij. Pontif. nostri Anno tertio.

Pontificis mandata cõpleturi pijssimi Senatores, congregatis Romani Populi Consiliarijs, decreuère nouum templum sumptuosum, & magnificum, publico æré construendum esse, quod fœliciter inceptum est, & prosequtum toto tempore, quo inter mortales regnauit Nicolaus. Verùm illo è viuis sublato, ob dissensiones Populi Romani in pontificio 27. mensium interregno, non fuit prosequtum ædificium vsque ad electionem Bonifacij Papæ VIII. ex antiquissima Caietana familia, qui à nostris supplicatus, in fauorem fabricæ tale dedit decretum.

BONIFACIVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei Dilictis filijs Priori, & Fratribus Prædicatoribus Sanctæ Mariæ super Mineruam de Vrbe.

Salutem, & Apostolicam benedictionem.

CVm sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, Ecclesiam in loco vestro de nouo construen. inceperitis opere plurimum sumptuoso; Nos necessitatibus vestris paterno compatientes affectu: quòd de vsuris, rapinis, & aliàs malè acquisitis, siuè edictis publicè propositis in locis comparentibus, quibus horum restitutio fieri debeat, omninò sciri, vel inueniri non possint, vsque ad summam duorum millium librarum Turonen. paruorum conuerten. in opus huiusmodi, recipere valeatis, auctoritate vobis præsentium indulgemus: ità quòd illi, qui vobis præmissa conferent, ad

restitutionem aliam faciendam eorum, quæ vobis contulerũt, & per vos ipsos sub fraudis comento non fuerint restituta, minimè teneantur, sed ad restituendum residuum acquisitorum taliter, si quid fuerit, remaneant nihilominus obligati. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipot. Dei, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum 12. Kal. Februarij. Pontif. nostri Anno primo.

His pecuniarum subsidijs ita continuata est templi structura, vt anno 1296. superior pars templi, vbi ara maxima residet, cum lateralibus sacellis completa iam fuerit; in altero enim illorum sepulturam sibi elegit F. Durandus Episcopus Mimatensis Ordinis nostri, qui Romæ decessit anno supradicto, ita pro loquẽte elegio eius peruetusto sepulchro insculpto.

Hoc est Sepulchrum
Domini Guillelmi Durantis
Episcopi Mimatensis
Hic iacet egregius Doctor Præsul Mimatensis
Nomine Duranti Guillelmus regula morum
Splendor honestatis, & casti candor amoris,
Altum consilijs, spatiosum mente serenum
Hunc insignibat immotum turbine mentis
Mente pius, sermone grauis, gressuq; modestus, &c.
Et Romam redijt Domini sub mille trecentis
Quatuor amotis annis tumulante Minerua
Surripit hunc festiua dies, & prima Nouembris
Gaudia cum Sanctis tenet omnibus, &c.

In

In hunc modum manus adiutrices porrigentibus Romais terminatum, ac perfectum est templum, quòd iure meritò sumptuosum à Bonifacio VIII. dictum est; nam excepis tribus antiquis Basilicis, maius hoc in Vrbe templum non st, cuius fornices temporis successu à Cardinali nostro de Turrecremata, & DD. de Vrsinis constructi fuere, vt ex eoum gentilitijs stemmatibus apparet.

Sunt in hoc templo insignes reliquiæ Sanctorum, inter quas frustum Dominicæ Crucis; de corpore S. Catharinæ Martyris cum sua authentica probatione; S. P. Dominici; S. Thomæ Aquinatis; S. Hyacinthi Confessoris; S. Vincentij Ferrerij; aliorumque plurium Sanctorum, & Corpus S. Catharinæ Senensis sub Ara B. Virginis Sanctissimi Rosarij cōditum iacet.

Quatuor Summorum Pontificũ corpora, Leonis Papæ X. Clementis VII. (quorum Sepulchra sunt Bramantis opus) Pauli IV. atq; Vrbani VII. in eodem sepulta sunt, cum Cardinalibus multis, ex quibus nostro tempore fuere sequentes. Hippolytus Aldobrandinus; Gimnasius, Detus, Narus, Pinentellus, Rapacciolus, Zacchia, de Alterijs, Mazarinus, Rondaninus, Caffarellus, Pignatellus, & de Aquino. Insuper & Archiepiscopi, Episcopi, Principesque multi in eodem conditi sunt.

Quatuor erectæ sunt in eodem templo Sodalitates sæcularium, inter quas eminet illa Sanctissimæ Annuntiatæ B. Virginis, quæ supra quingentas Virgines annis singulis, vel cęlesti, vel terrestri sponso iungit, primis scutorum centum, secundis verò octuaginta, dotali subsidio elargito. Secunda est Sanctissimi Rosarij, quæ die festo eiusdem B. Virg. alijs Virginibus supra octuaginta singulis annis dotale subsidium tribuit. Tertia est Sancti Saluatoris, quæ supra quadraginta: & quarta Nominis Dei, quæ duabus, Virginibus dotale subsidium elargitur.

Die festo Annunciationis B. Virginis Capella Papalis in illo habetur, ad quam equestri pompa solemni Pontifex cũ

Cardinalibus accedit, ac post celebratam missam ipse crumenam albam, in signum subsidij dotalis, propria manu puellis porrigit, quæ capella cum equestri pompa ortum habuit à Gregorio XIII. de quo in Actis Consistorialibus eiusdem Pontificis hæc legimus. *Die Lunæ* 22. *Martij* 1574. *Pontifex dixit in Consistorio se velle die Iouis, qui erat festum Annunciationis B.Virginis, procedere ad Capellam faciendam in Ecclesia S. Mariæ super Mineruam.* Quod & factum est, ipso Pont. Max. propria manu bursas Virginibus porrigente: hicque mos in Pontificibus perseuerauit vsque ad annum 1658. quo Alexander VII. id commisit Prioribus eiusdem Societatis, qui ad pedes pontificij troni coram ipso, ac Cardinalibus bursas puellis dedère, idque factum est occasione pestilentiæ, quæ in Vrbe fuerat. At Summus Pontifex Clemens Papa IX. verè Sanctissimus antiquum morem restituit, propria manu bursas Virgibus elargiendo.

Altera Capella Cardinalium in eo, die S.Thomæ Aquinati sacra, habetur, qua peracta, vnus ex nostris Patribus coram Cardinalibus sermonem in eiusdem Doctoris Angelici laudem habet.

Præfata in festo S. Thomæ Aquinatis Cardinalium Capella tale habuit initium. Cum Pius V. ex nostro Ordine assumptus inter S. Ecclesiæ Doctores D.Thomam Aquinatem retulisset anno 1667. dato Apostolico diplomate II. Aprilis incipiente, *Mirabilis*, &c. post elapsos binos annos, in Consistorio secreto 2. Martij 1569. eidem S. Doct. Cardinalitiam capellam constituit, tali testimonio ex eiusdem Consistorialibus actis deprompto. *Die Mercurij* 2. *Mart. Pius Pont. in Cõsistorio hortatus est omnes Cardinales vt festum proximè futurum S.Thomæ Aquinatis in Ecclesia S. Mariæ super Mineruam honorarent, eiusdem S. Doctoris beneficia maxima catholicæ Ecclesiæ collata commemorans.*

Ac-

ccessit igitur Sacrum Collegium ad Ecclesiam S. Mariæ per Mineruam, & ante sacellum DD. de Caraphis, eidem Doctori dicatum, Cardinalitiam capellam habuit ex eiusdem Pontificis assensu. quæ vsque in hodiernum diem perseuerat, indiciturque singulis annis Pontificis Maximi re proprio.

Est in eodem & altera Capella Cardinalium Congregaonis S. Officij cum omnibus eius officialibus, Consultoriusque, in festo S. Petri Martyris, ex cuius Sacra Congregaone quando aliquis Cardinalium moritur, capella cum missa de Requiem, a consocijs Cardinalibus Generalibus Inuisitoribus, ac cœteris eiusdem Officialibus habetur, quod in morte Consultorum fit, solis Consultoribus adstantius.

Sed & Romanus Senator, atque Conseruatores S.P.Q.R. d idem templum in festo S. Antonij Abbatis solemni ritu ccedunt, Calicem argenteum cum intortitijs quatuor, offerendo in missa maiori, cui adstant; & hoc ex publico Senatu Consulto. Nam cum Pius V. Pontif. Max. eidem Populo omano statuas prophanas antiquas, quæ in Vaticano viriario seruabantur, in Capitolio collocandas, dono dedisset; .P.Q.R. in tanti muneris, Pontificiæque beneuolentiæ comensationem, publico decreto sanxit, vt perpetuis futuris emporibus die S. Antonio Abb. sacra, qua ipse Pius natus, ademque Pontifex Max. coronatus fuerat, præfato sui Ordinis templo talis oblatio solemnis fieret, quod vsque in hodiernum diem exequitur.

Conuenit præterea idem S. P. Q. Rom. ad templum hoc psa feria 6. post festum Corporis Christi pro processione solemni, quæ ibidem fit, ipso Baldachinum vsq; ad templi ores deferente, processionemque comitante, & in regressu Baldachinum in foribus eisdem reassumente, & vsq; ad Arã maximam portante.

Est & templum hoc Cardinalitio titulo insignitum, quo illud

illud decorauit S.memoriæ Paulus IV.nãm cum anno 1557 Martij 15. inter S.R.E.Cardinales cooptasset F.Michaelem Ghislerium Alexandrinum, eodem mense, & anno, die tamen 24. Ecclesiam S.Mariæ super Mineruam in titulum Cardinalitium erexit, quem Alexandrino attribuit, testibus in hunc modum Consistorialibus actis præfati Pontificis. *Paulus Pont. die mercurij 24. Martij in Consistorio erexit in Titulum Ecclesiam B. Mariæ super Mineruam quando assignauit Titulos Cardinalibus à se nouiter creatis, ipsumque Cardinali Alexandrino tribuit.*

Sacrarium illius à Magistro Ord. Nicolao Rodulphio, vetere angusto nimis diruto, constructum est, in quo cubiculum S.Catharinæ Virginis Senensis, vndè in cœlum conscẽdit, collocatum est à Card. Antonio Barberino Protectore Ordinis, translatum ex antiquo Monialium nostrarum S.Catharinæ existente monasterio propè illud S. Claræ in Regione S.Eustachij, quod modò incolunt Societatis Sanctissimæ Annunciatæ ministri. Cuius rei tale extat ibidem documentum.

Cardinalis Antonius Barberinus
Ordinis Prædicatorum Protector
ob singularem
In Sanctam Catharinam Virginem
Senensem eiusdem Ordinis
Pietatem
Cubiculum
vbi Seraphica Virgo
Sponsum nunquam occidentem Solem excepit
vnde
Ad semper Orientis talamum euolauit

Ab

Ab antiquis ædibus seiunxit
Et in hoc Sacrario ad maiorem Dei cultum
collocauit.
Anno Dom. M. DC. XXXVII.

In hoc Sacello S. Virgo à cœlesti Sponso suo Domino nostro Iesu Christo pluribus supernis beneficijs affecta est, inter quæ illud singulare recensetur, quod cum eodem diuinum officium recitabat, & in fine cuiuslibet psalmi ad ipsum inclinata dicebat, *Gloria Patri, & tibi, & Spiritui Sancto.*

Sacellum hoc sequentibus Sacris Indulgentijs, ac priuilegijs, ad eiusdem Card. Antonij Protectoris preces, ditauit Vrbanus Octauus Anno M. DC. XXXVIII.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CVm sicut accepimus dilectus filius noster Antonius Barberinus S. Agathæ Diaconus Cardin. Antonius Barberinus nuncupatus, noster secundum carnem ex fratre germano Nepos, Ordinis S. Dominici apud nos, & Sedem Apostolicam Protector pro eximia sua in Deum pietate, ac erga S. Catherinam Senensem dicti Ordinis deuotione, capellam, olim cubiculum dictæ Sanctæ Catharinæ in vrbe existen. cum suis parietibus, incrustationibus, & picturis antiquis in eo existentibus, transferri ad Ecclesiam B. Mariæ super Mineruam domus regularis dicti Ordinis de eadem vrbe, & propè Sacristiam dictæ Ecclesiæ collocari curauerit.

Nos

Nos eandem Capellam spiritualibus Indulgentiarum muneribus decorare volentes, auctoritate nobis à Domino tradita, ac de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi: vt quandocumque Sacerdos aliquis sæcularis, siuè cuiusuis Ordinis Regularis, Missam defunctorum pro anima cuiuscumque fidelis, quæ Deo in charitate coniuncta ab hac luce migrauerit, ad Altare dictæ capellæ celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragij Indulgentiam consequatur, ità vt Domini nostri Iesu Christi, ac Beatiss. Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, à purgatorij pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus. Insuper mulieribus cuiuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existant, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, à qua non possint, nisi à nobis, & Romano Pontifice pro tempore existen. præter quam in mortis articulo absolui, ne capellam præfatam ingredi audeant, seù præsumant, præter quam in die festo eiusdem S. Catharinæ Senensis, quo die mares eò deuotionis causa confluentes, sub eadem pœna illã ingredi non possint, districtè prohibemus. Omnibus autem, & singulis fœminei sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacra communione refectis, quæ dictam capellam die festo Sanctæ Catharinæ præfato à primis Vesperis vsque ad occasum solis diei huiusmodi singulis annis deuotè visitauerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam. Vniuersis verò, & singulis masculini sexus Christi fidelibus etiam verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra eadem communio-

munione refectis, qui eandem capellam in Natiuitatis Do*mini nostri Iesu Christi, ac Annunciationis, & Assumptionis B. Mariæ Virginis, nec non S.* Dominici *festis diebus à primis Vesperis vsque ad occasum* Solis *dierum huiusmodi singulis annis deuotè similiter visitauerint, & ibi, vt præfertur, orauerint, etiam plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Cæterùm spirituali consolationi dilectarum in* Christo *filiarum nobilium mulierum, nunc, & pro tempore existentium nobilis, & antiquæ domus, & familiæ nostræ Barberinæ consulere volentes, eisdem mulieribus, nũc, & pro tempore existentibus, vt vna cum alijs mulieribus eas comitantibus, ac cum suis matronis, & ancillis præfatam capellam vltimò dictis quatuor festis diebus, absque vllius pœnæ propterea incursu ingredi; eisdemq; mulieribus, etiam comitantibus, ac matronis, & ancillis verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, quæ capellam huiusmodi vltimò dictis quatuor festis diebus, vt præfertur, visitauerint, quòd eandem Indulgentiam Plenariam, & remissionem consequantur, concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.* Datum *Romæ apud S. Mariam Maiorem sub anulo Piscatoris die* 22. Maij 1638. *Pontif. nostri anno XV.*

Anno 1609. in hac Ecclesia, mandante P. Magistro F. Ambrosio Brandio de Conuentu Mineruæ, eiusdem tunc Priore, & Prædicatore Apostolico Clementis VIII. in Italia tota famoso ortum habuit mos laudabilis pulsandi iteratis ictibus hora noctis prima campanam maiorem pro fundendis precibus in defunctorum subsidium, (quàm consuetudinem

antecedentibus annis, dum Prioris Prouincialis officio fungeretur in prouincia S. Petri Martyris, Taurini primò, deinde in alijs Ecclesijs suæ curæ subiectis introduxerat) quod cum singulis diebus fieri audisset Paulus V. Pontifex pijssimus, cognita causa, Apostolico decreto idem in cunctis Vrbis Ecclesijs fieri mandauit, quod & postmodum in omnibus Christianis orbis Ecclesijs exequutioni mandatum est. Decessit Pater optimus in hoc conuentu anno 1645.

In eadem anno 1618. à P.Magistro Fr. Iacobo Cotta de conuentu Mineruæ prima vice nouena celebrata est, in qua per nouem ante natiuitatem D.N. Iesu Christi continuatos dies expectatio partus B.Virginis, quotidianis sermonibus, sacris exhortationibus, ac Rosarijs veneratur; quod vsque in hodiernum diem pio fidelium concursu exequitur. Et hoc pium deuotionis exercitium à dicto Patre adinuentum, & introductum in Ecclesia Dei, amplexatum est postmodum à pluribus alijs Ecclesijs Vrbis, vt vidimus: imò & Orbis, vt audiuimus.

In eadem P.Mag. Fr. Thimoteus Riccius Florentinus de conuentu Fesulano, nostri sæculi alter Alanus, erga Beatissimam Virginem summa deuotione affectus, sacrum Rosarium ab vtriusque sexus fidelibus alternatim, & alta voce recitandum voluit an. 1623. cum prius in solis oratorijs ab hominibus recitaretur, quem ritum, & Neapoli postmodum, Venetijs, Mediolani, Ianuæ, ac Florentiæ induxit, & in cunctis Ecclesiis nostris cum animarum fructu exercetur. Decessit Pater pijssimus in suo Fesulano conuentu meritis onustus anno 1643.

Est & in ea imago mirabilis B.Virg. SS.Rosarij à nostro Fr.Ioanne de Fesulis, Angelico dicto, viro sanctissimo depicta, quæ in capella DD. de Capranicis eidem Deiparæ dicata, veneratur.

Est ibi & marmorea statua D.N.Iesu Christi crucem amplexantis, & marmorea effigies Castalij scutiferi Apostolici, opus vtrumque mirabile Michaelis Angeli Buonarotæ.

Ad

Ad ſtructuram verò conuentus venientes. Erat hic pro Fratribus,quos alebat, anguſtus nimis: in eo enim vnicum pro Patribus antiqum dormitorium erat,ſitum ad orientem, cum altero minori ſupra Sacrarium pro Collegialibus, & ſtudij moderatoribus: Erant & cellæ ſupra clauſtrum interius pro infirmis, & aliæ ſuper clauſtrum exterius pro Patribus, conuerſis, & prouinciæ hoſpitibus, quas Fr. Ioannes Baptiſta de Marinis Mag.Generalis vna cum infirmaria conuentus ſibi abſorbuit, vt aliarum Prouinciarum hoſpitibus manendi in Vrbe commodiorem præberet manſionem.

Anno 1636. Fr. Dominicus de Marinis cum eſſet Prior conuentus manum miſit ad fortia, nouum ædificium ſtructuræ mirabilis excitando in viridarijs parte reſpiciente ad meridiem,Paulo Maruſcello Architecto, ac Fr. Ioanne Maria de Piſauro Conuerſo opus dirigente: quo breui tempore perfecto, aliud ex altera parte ad occaſum à Card. Antonio Barberino Protectore Ord. inchoatum eſt, copioſiſque eleemoſynis proſequtum, quòd tandem perfectum eſt anno 1641. dirutis ſæcularium circum circa domibus, quarum proſpectus non modicum noſtram religioſam libertate offendebat.

Anno 1649. Fr.Thomas Turcus Magiſt.Generalis, cuius memoria in benedictione eſt, à fundamentis excitauit in ea parte interioris clauſtri, quæ occaſum reſpicit, nobile ædificium pro Congregatione S.Officij, ſingulis quartis ferijs in hoc noſtro conuentu habenda, quam Vrbanus Octauus ad ſupplicationem Mag. Sacri Palatij Nicolai Rodulphij in illo ſtabiliuit; cum prius in antiquioris Cardinalis eiuſdem Congregationis domo fieret, ſequenti decreto in Generali S.Officij Congregatione coram ſe habita 14. Septembr. anno 1628. edito. *Die 14. Septembris anno 1628.*

Congregationes S. Officij, quæ in domibus antiquiorum Cardinalium fiebant; de mandato Sanctiſsimi fient in conuentu Sanctæ Mariæ ſuper Mineruam. Et Innocentius X.

cum cunctas Cardinalium Sacras Congregationes in Apostolico Palatio habendas esse decreuisset, hanc in eodem conuentu Mineruæ constabiliuit.

Anno autem 1665. mense Nouembri; cum pro totali sæcularium prospectu in viridarium tollendo, erigeretur paries propè Sacrarium, in parte respiciente ad Septentrionem, repertus est obeliscus longitudinis palmorum supra triginta, ægiptiacis characteribus inscriptus, integer, atq; perfectus, quem Alexander Papa VII. in foro ante nostram Ecclesiam collocari mandauit, elephante illum sustentante. Fuere & adinuenta columnarum ex granito orientali miræ magnitudinis, nec non & statuarum fragmenta, quæ ad Osiridis antiqum templum in eodem loco constructum, spectabant:

Pius Papa V. specialibus fauoribus conuentum hunc fouère volens, Priori illius super cœterorum conuentuum Prouinciæ Priores locum, & præcedentiam concessit, vt ex sequenti decreto, in Archiuio conuentus custodito, manifestè apparet.

FR. MICHAEL BONELLVS

Miseratione Diuina S.R.E. Tit. S.Mariæ super Mineruam Præsbyter Cardinalis Alexandrinus nuncupatus.

VNiuersis, & singulis ad quorum notitiam hæ nostræ peruenerint, fidem facimus, & attestamur, qualiter Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus noster, D.Pius diuina prouidentia Papa V. informatus qualiter in Romana Prouincia Ordinis Prædicatorum Conuentus S.Mariæ super Mineruam, vel rationabili ordinatione Patrum; eo videlicet, quia eadem Prouincia ab Vrbe Roma denominatur,

vel

vel vsu à pluribus annis continuatione deducto, locum habet super omnes alios eiusdem Prouinciæ Conuentus; ad tollendam de cætero omnem in hac parte ambiguitatem, & hæsitationem, viuæ vocis oraculo nobis hac infrascripta die facto declarauit: imò decreuit, ac statuit, vt deinceps perpetuis temporibus idem vsus seruari debeat, ac Prior dicti conuentus, tanquam Prouinciæ capitis, in omnibus actionibus, & congressibus, seu Capitulis eiusdem Prouinciæ primum locum, & vocem habeat super omnes aliorum conuentuum dictæ Prouintiæ Priores: saluis iure Magisterij in Theologia, & alijs exceptionibus per constitutiones, vel ordinationes dicti Ordinis expressas, non obstante antiquitate cuiusuis alterius conuentus (si probari posset) alijsque in contrarium facientibus quibuscumque. In quorum fidem has fieri, & manu nostra subscriptas, nostri sigilli iussimus appositione muniri. Datum Romæ in Palatio Apostolico die 21. Nouemb. 1566. Pontificatus eiusdem Sanctissimi D. Nostri Pij Anno 1.

Fr. Michael Bonellus Cardin. Alexandrinus.

Locus Sigilli.

Hunc autem Conuentum nullo modo, nullaque ratione à Romana Prouincia diuelli, seu separari posse, sed semper debere spectare ad Romanam Prouinciam, tanquam illius caput, ab Alexãdro Papa VII. impetrauit huius operis Auctor, sequenti Apostolico decreto.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filij Fratres Conuẽtus S. Mariæ super Mineruam de Vrbe, Prouinciæ

Ro-

Romanæ Ord. Prædicatorũ, quòd cũ dictus Conuentus vnus ex magis conspicuis Prouinciæ, & Ordinis huiusmodi Conuentibus semper fuerit, fel. recor. Pius Papa V. prædecessor noster informatus, quod idem conuentus, vel rationabili ordinatione Patrum, vel usu plurium annorum continuatione deducto locum habeat super omnes alios eiusdem Prouinciæ conuentus: Ad tollendam de cætero omnem in hac parte ambiguitatem, & hæsitationem, viuæ vocis oraculo bo. mem. Michaeli Bonello, dum vixit S.R.E. Cardin. Alexandrino nuncupato ea super re facto, declarauit, & decreuit, & statuit, ut deinceps perpetuis futuris temporibus idem usus seruari deberet, ac Prior dicti Conuentus tanquam Prouinciæ capitis, in communibus actionibus, & conuentibus, seu capitulis eiusdem Prouinciæ primum locum, & vocem haberet super omnes aliorum conuentuum dictæ Prouinciæ Priores: saluis iuribus magisterij in Theologia, & alijs exceptionibus per Constitutiones, vel ordinationes dicti Ordinis expressis, non obstantibus antiquitate cuiusuis alterius conuentus, si probari posset, alijsque contrarijs quibuscumque: & aliàs prout contineri dicitur in litteris patentibus præfati Michaelis Cardinalis desuper expeditis, tenoris, qui sequitur videlicet. Michael Bonellus miseratione diuina S.R.E. tituli S. Mariæ super Mineruam Præsbyter Cardin. Alexandrinus nuncupatus. Vniuersis, & singulis ad quorum notitiam hæ nostræ peruenerint; fidem facimus, & attestamur qualiter Sanctiss. in Christo Pater, & Dom. noster Dom. Pius diuina prouidentia Papa Quintus informatus qualiter in Romana Prouincia Ordinis Prædicatorum conuentus S. Mariæ super Mineruam, vel rationabili ordinatione Patrum, vo videli-

delicet, quia eadem Prouincia ab Vrbe Roma denominatur, vel usu à pluribus annis continuatione deducto, locum habet super omnes alios eiusdem Prouinciæ conuentus; ad tollendam de cætero omnem in hac parte ambiguitatem, & hæsitationem, viuæ vocis oraculo nobis hac infrascripta die facto, declarauit, immo decreuit, ac statuit, ut deinceps perpetuis temporibus idem usus seruari debeat, ac Prior dicti conuentus, tanquam prouinciæ capitis in communibus actionibus, & conuentibus, seu capitulis eiusdem prouinciæ primum locum, & vocem habeat super omnes aliorum Conuentuum dictæ prouinciæ Priores, saluis iure Magisterij in theologia, & alijs exceptionibus per constitutiones, vel ordinationes dicti Ordinis expressis, non obstante antiquitate cuiusuis alterius conuentus, si probari posset, alijsque in contrarium facientibus quibuscumque. In quorum fidem has fieri, & manu nostra subscriptas, nostri sigilli iussimus appositione muniri. Datum Romæ in Palatio Apostolico die 21. Nouembr. 1566. Pontificatus eiusdem Sanctiss. Dom. Nostri Pij anno primo. Fr. Michael Bonellus Card. Alexandrinus. Locus Sigilli. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat præfati exponentes præmissa, quo firmius subsistant, & seruentur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, & aliàs opportunè desuper, ut infra à nobis indulgeri summoperè desiderent: Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium

dum-

dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: Declarationem, ac decretum, & statutum à memorato Pio prædecessore, sicut præfatur, facta, & à præfato Michaele Cardin. attestata, expeditasque desuper ipsius Cardinalis Michaelis litteras patentes præinsertas cum omnibus, & singulis contentis in illis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos iuris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint, supplemus. Præterea supradictum Conuentum Sanctæ Mariæ super Mineruam ad præfatam Prouinciam Romanam semper in futurum spectare, nec ab illa quouis modo separari posse, sed vti caput eiusdē prouinciæ supradicta præcedentia gaudere debere, auctoritate, & tenore præfatis, decernimus, statuimus, & ordinamus. Decernentes pariter easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari, & ab illis respectiuè inuiolabiliter obseruari; sicque in præmissis, per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos: etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit, dictorum Ordinis, & Prouinciæ, alijsque quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmi-

firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum ten. præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub anulo Piſcatoris die 29. Iulij 1664. Pontif. noſtri Anno decimo.

S. Vgolinus.

Sed & decretum Apoſtolicum de non transferendis Fratrum affiliationibus ex alijs conuentibus ad hunc, huius operis auctor ab Alexandro VII. obtinuit, ſequenti ſupplici libello eidem porrecto.

BEATISSIMO PADRE.

IL Priore, è Frati del Conuento della Minerua di Roma eſpongono alla S. Voſtra come Clemente VIII. di felice mem. perche cognobbe, che dal trasferire i Frati le loro affiliationi da'Conuenti piccioli a' grandi, ſi deſtruggeuano gl'vni, e gl'altri, reſtando li piccioli deſolati, e li grandi aggrauati di più Religioſi, che poſſino ſuſtentare, decretò, che dette affiliationi non ſi faceſſero più: & in cõformità di tal decreto, nel Capitolo Generale celebrato in Roma l'anno 1601. fù fatta la ſeguente ordinatione.

Ordinamus ex mandato Sanctiſſimi Domi. Noſtri ne fiant

affiliationes de vno Conuentu in alium, ex quacumque causa; sed tantùm maneant filij Conuentus, qui ibidem professionem emiserunt. Qual'ordinatione fù anco confermata nel Capitolo Generale di Vagliadolid l'anno mille seicento cinque, e posto trà le Constitutioni dell Ordine, & si e sempre osseruata inuiolabile, eccetto da alcuni anni in quà. Per tanto essendosi molti cō diuersi mezi affigliati al sudetto Conuento della Minerua, che aggrauato da'varij debiti non li puol sostentare: oltre che da questa diuersità di figliolanze si potrebbe turbar la pace commune: Supplicano humilmente la Santità V. à confermare il sudetto decreto, ordinando con Breue, che non solo non si possa affigliolare alcuno al Conuento della Minerua senza il consenso, & accettatione di tutti li figliuoli d'esso, gratia conceduta dalla S. Sede a' Conuenti di Bologna, Fiorenza, Venetia, Napoli, & altri, mà di più, che quando dette affiliationi si facessero con auttorità Apostolica, fossero nulle, se expressamente non venga derogato alla Constitutione della S. Vostra. Che il tutto, &c.

Huic supplici libello Pontifex Max. ità rescripsit, *Sanctissimus annuit, ut petitur*, misso libello ad Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium pro decreto formando, quod tale fuit factum.

Sanctissimus Dominus Noster, Dominus Alexander Papa Septimus, attentis, narratis, exprefsè mandauit in posterum nullatenus fieri affiliationes ex alijs Conuentibus ad Conuentum Beatæ Mariæ super Mineruam Ordinis huiusmodi, absque Apostolica concessione, præsentium specificè derogatoria, & absque consensu omnium filio-

rum

rum dicti conuentus B.Mariæ ſuper Mineruam, aliàs irritæ, & nullæ intelligantur. Romæ 11. Iulij 1663.

M.Card. Ginnettus.

E. Epiſcop.Camerinen.Secr.

Præterea idem huius operis Auctor ab eodem Pontifice in fauorẽ conuẽtus, eiuſq; filiorum tale obtinuit Apoſtolicum Breue.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filij Prior, & Fratres conuentus S. Mariæ ſuper Mineruam de Vrbe, Ordinis Prædicatorum, quòd licèt dudum in Capitulo Generali dicti Ordinis anno 1601. in Vrbe præfata celebrato ordinatum fuerit de mandato fel. record. Clementis Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri ne fierent affiliationes de vno conuentu in alium ex quacumque cauſa, ſed tantùm manerent filij conuentus, qui ibidem profeſſionem emiſiſſent: hæcq. ordinatio ſubinde, videlicet an. 1605. in eiuſdem Ordinis Capitulo Generali Vallisoletano confirmata, ac inter Conſtitut. ipſius Ord. relata, & diù inuiolabiliter ſeruata fuerit. Nihilominus ab aliquot annis illi contrauentũ fuit, multiq; varijs modis affiliati fuerunt præfato conuentui S.M. ſuper Mineruam, qui ære alieno grauatus eos ſuſtentare non poteſt. Quare dicti exponentes ad auertenda in poſterum ſimilia incommoda; & ne filiationum huiuſmodi diuerſitas pacem communem perturbet, Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, vt ſibi in præmiſſis opportunè prouidere, & vt infra, indulgère

de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati; ne de cætero perpetuis futuris temporibus vllus Frater cuiuslibet conuentus dicti Ordinis filius memorato conuentui S. Mariæ super Mineruam absq. speciali nostra, seu Romani Pontificis pro tempore existentis concessione adfiliari possit, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium prohibemus, & interdicimus. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ipsosq. plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inuiolabiliter obseruari: sicque in præmissis per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit præfatorum Ordinis, & conuentus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum ten. pro ple-

plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, id præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumq. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Anulo Piscatoris die 9. Augusti 1663. Pontif. nostri Anno nono.

S. Vgolinus.

Religio ipsa Priori huius Conuentus priuilegium concessit, vt coram Magistro Generali, seu eius Generali Vicario, in consilijs, quæ in eius mansionibus fiunt, immediatè post Prouinciales locum teneat, ac loquatur, etiam si sint in ijsdē Patres, & Magisterio, & professione antiquiores, quod inuiolabiliter obseruari videmus.

Insuper Patres in Generali Capitulo Romæ an. 1508. celebrato conuentum hunc à contributionibus quibuscumq; eximère §. *Alleuationes* tali decreto. *In primis alleuiamus conuentum S. Mariæ super Mineruam de Vrbe, à solutione contributionum deinceps, propter onera Procuratoris Ordinis.* idq; semper obseruatum vidimus.

Prodijt ex hoc inclito conuentu tanquam, ex fœcunda Matre copiosa Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporumque multitudo, ex quibus hoc anno 1668. quo hæc scribimus sunt superstites Fratres, Dominicus de Marinis Archiepiscop. Auenionen. Ioseph à Cornea Episcop. Vrbeuetanus. Ioseph Ciantes Episc. Marsicen. Reginaldus Lucarinus Episc. Ciuitatis Plebis, Hyacinthus Serronus Episc. Mimaten. atque Nicolaus Leporus Episc. Salutien.

Prodière quoque ex hoc nobilissimo conuentu alij viri præstantissimi, dignitatibus, & officijs in Romana Curia spectabiles, de quibus suis locis agitur. Nec non & Prædicatores in Romana Curia: Italia tota, & Imperio famosi, ex quibus emicant speciali titulo Fr. Franciscus Lerma Apostolicus Prædicator apud Clementem VIII. & Paulum V. qui

qui

qui decessit in hoc conuentu optimus senex anno 1631. 2. Nouembr. & Fr. Ambrosius Brandius, & ipse sub Clemente VIII. Apostolicus Prædicator gratiosissimus, qui mortuus est anno 1645. nonagenarius, & nouissimè Fr. Nicolaus Leporus Prædicator Imperialis, & Serenis. Ducis Sabaudiæ, à quo nominatus est Episcopus Salutiarum anno elapso, & viuit in sua Ecclesia.

Conuentus hic permansit vnitus cum Prouincia Romana tanquam caput illius, vsque ad annum 1530. quo à Clemẽte Papa VII. (vt infra de conuentu S. Marci tractamus, referemus) cum conuentibus S. Dominici de Perusio, & Sancti Dominici de Aretio fuit datus Congregationi reformatæ Tusciæ, quam statim in Prouinciam erexit, ipso Mineruæ Conuentu caput Prouinciæ remanente, & perseuerante, vt declarauit Pius V. in suo motu proprio supra relato.

Generale Prouinciæ studium fuit in hoc Conuentu, cuius meminère Regesta Leonardi Mansueti Mag. Gen. sub anno 1475. fol. 126. nec non illa Caietani sub anno 1508. fol. 33. in quibus, & de studentium Magistro, & de Lectore Biblico fit sermo. Modò verò in eodem est Collegium præclarum, fundatum à Fr. Ioanne Solano Cuschen. Episcopo, cui plura concessa sunt priuilegia à Generalibus Capitulis superius relata.

Ex Arch. Conuent. in quo sunt originalia Breuium sup. relat.

TITVLVS II.

De Conuentu Sanctæ Mariæ Nouellæ de Florentia.

ANno 1220. cum Bononiæ esset S. P. Dominicus, eiusq; sanctitatis fama longè, lateq; per Italiam crebresceret, Deodatus nobilis Florentinus ad illum accessit, obtulitque

litque ad inhabitandum pro se, suisq; filijs ædificium, quod in Ripolitana planitie construxerat. Annuit S.Pater, missisque in eum locum Fr.Ioanne Salernitano cum alijs socijs, constitutus est ibidem conuentus, ex quo diebus singulis discedentes illi, Florentiam petebant pro concionibus habendis, sacrisque suscipiendis fidelium confessionibus; At cum discursus iste quotidianus maximo esset Fratribus incommodo, vtpotè per duo miliaria distante à ciuitate conuentu, visum est Florentinis illos in Vrbem propriam introducere attributa eis S.Pancratij, cum annexo hospitali, Ecclesia; qua obtenta, atque inhabitata, cum spiritualibus exercitijs quotidie vacarent, multi ex primaria nobilitate, æternæ vitæ desiderio succensi, nostra Dominicana toga ibidem suscepta, Ordinem suo exemplo, ac virtutibus mirum in modum illustrauère. Inter hos enituit Guido Canonicus Collegiatæ S.Pauli, qui & se, & Ecclesiam suam Ordini addixit, tanquã commodiorem pro spiritualibus habendis exercitijs. Verũ cum ægrè nimis id ferrent alij eiusdem Ecclesiæ Clerici, litibus, quærimonijsque in Fratres insurrexère. Doluit supra modum de hoc Fr.Ioannes de Salerno, qui Deum enixè quotidiè supplicans pro pace Fratribus reddenda, tandem voti compos effectus est: nàm Præsbyter quidam, nomine Foresius, Parochus S.Mariæ Nouellæ ad Ioannem accessit, propriamque Ecclesiam cum annexis ædibus pro Fratrum habitatione obtulit, Cardinale Vgolino Legato Apostolico concedente, atque S.Pancratij Ecclesiam canonicis restituente 8.Nouemb.1221. Quibus susceptis constabilitus est ibidẽ Ordinis conuentus, vnus modò ex præstantioribus eiusdem.

Exercentibus in eo loco Fratribus sacrum ministerium ad quod fuerant assumpti, factus est tantus populi concursus, vt angusta nimis agnosceretur Ecclesia: quapropter de ampliori, sumptuostorique ibidem construenda cogitauère Patres, quibus cum Fr.Aldobrandinus ex nobili de Caualcantibus Florẽtina familia Prioris titulo præsideret, emendicatis hinc inde ab eo eleemosynis, Florentinoque Senatu adiutrices

manus

manus copiosè porrigente, parata sunt omnia ad ędificium necessaria, Fratribus Sixto de Florentia, & Ristoro de Campis conuersis nostris illius formam, figuramque lineantibus. At raptus ex Ordine Aldobrandinus (seu Ildebrandinus: hoc enim nomine se subscribebat, vt supra de conuentu Mineruæ retulimus) ad regimen Vrbeuetanæ Ecclesiæ a Gregorio Papa Decimo destinatur anno 1272. atque sequenti, Papalis Vicarius, ipso Gregorio ad Lugdunen. Concilium properante, in Vrbe constituitur. Re igitur infectā, derelictum est assumptum opus, vsque ad annum 1279. quo reuersus in patriam Aldobrandinus, vt templi constructionē exeqntioni mandaret, non modicam pecuniam secum aduexit: sed ibidem paulò post vniuersæ carnis viam ingressus est 30. Augusti eiusdem anni.

Cœterùm, quia in operibus ad Dei cultum spectantibus, ex superna dispensatione accidit, vt vno auulso non deficiat alter, F. Paganus Prior ex nobili Florentina familia de Adimaris, in Domino confisus, congestis hinc inde pecunijs, ad sumptuosi templi structuram processit die 18. Octobris eiusanni 1279. à nostro Cardinali Fr. Latino Vrsino Nicolai III. Pont. Max. nepote, atq; àd Florentinos Legato Apostolico primo iacto lapide.

Septuaginta propèmodū annorū decursu templi ædificiū perfectū est, quód tam mirabilis est formæ, ac structuræ, à prædictis duobus Fratribus Conuersis lineatæ, vt Michael Angelus Buonarota, architecturæ sciētia præstantissimus, illud sępè sępius inuiseret admirans, súamque sponsam nuncuparet: Fratribus Pasquali de Ancisa post Paganum vsq; ad annum 1284. Raynerio de Gualterottis vsque ad 1317. & Iacobo de Passauantis vsque ad finem, ædificio præpositis.

Pontifex Max. Martinus V. hoc templum solemni ritu consecrauit, vt ex documento dexteræ columnæ Aræ Maximæ affixo innotescit. *Anno Domini 1420. die 7. Septembris Dom. Martinus diuina prouidentia Papa Quintus, per-*

personaliter hanc Ecclesiam consecrauit, & magnas Indulgentias concessit visitantibus eandem.

In eo festum Sacratissimi Corporis Christi solemni ritu celebratur, quod tale habuit initium. Anno 1295. cum Florentinum Canonicorum Capitulum ob sumptuosi, ac per magnifici templi S. Mariæ de Flore actualē constructionem, Cathedralem Ecclesiā non haberet, in qua Corporis Christi solemnitatem Ecclesiastica pompa celebraret, actum est à nostro F. Lotto de Sommaia cum Canonicis, vt in Ecclesia hac, ob D. Thomæ Aquinatis, qui solemnitatis officium cōposuit, reuerentiam, haberetur illa: quòd & conclusum, atque exequtioni mandatum est, vsq; ad Nicolai Papæ V. tempora, quibus nouæ Cathedralis structura perfecta, institère Canonici coram eodem Pont. vt nouo templo restitueretur cum processione solemnitas; annuitque ille. Molestè tulit Pontificium decretum Florentinæ Reip. Magistratus, mandauitq; propterea Fratribus, vt festum illud solemni ritu in proprio templo celebrarent; ipso cum nobilibus Ciuitatis ad idem confluentibus, atque processionem sociantibus.

Translato in æternam requiem Nicolao, electoque Calisto III. institère Reip. Senatus, ac Patres nostri apud illum, vt in antiquum morem restitueretur solemnitas sub vnica processione, apud nos habenda. Litem dirempturus Pontifex mandauit omnibus Sacrorum Ordinum Religiosis, vt ad Matricem Ecclesiam manè festiuitatis Corporis Christi pergerent, & post factam à nostris Fratribus Canonicorum Capitulo oblationem quatuor intertíciorum ponderis librarum viginti, instrueretur processio solemnis ad Sanctam Mariam Nouellam, in qua, post ibidem decantatam missam, receptasque pro Fratribus, atque propria Ecclesia consuetas oblationes, iterum reassumpta processione, in Matricem Ecclesiam cuncti reuerterentur; iniuncto Fratribus nostris præcepto, excommunicationisq; vinculo, ne alteram eadem die processionem instruerent. Acquieuère Patres, licet in-

uiti, decreto Calixti ipso viuente, electoque ad S. Ecclesiæ catholicæ regimen Pio II. post decessum Calixti, iterum à Florentino Senatu, ac Fratribus mota lis est apud eundem Pont.Max. pro restitutione solemnitatis in morem antiquum, qui quatuor S.R.E. Cardd. Gulielmo Tit.S.Martini in Montibus: Alano S.Praxedis; Petro S.Marci, atque Ioanni Sanctæ Priscæ causa commissa, voluit vt post auditas partes, quid in hac re præstandum eis videretur, sibi referrent. Negotio igitur à Cardinalibus maturè discusso, decretum est per *Bullam* eiusdem Pont. datam Romæ apud S.Petrum 13. Ianuarij anno 1458. celebrandam fore solemnitatem tali ordine. Primò, vt Religiosi omnes in Ecclesiam S. Mariæ Nouellæ uenirent, indeq; processionaliter ad matricem Ecclesiam pergerent. Secundò, vt in ingressu Religiosorum in illam, teneretur Capitulum processionem sequi, Archiepiscopo, seu alio Prælato Sacratissimū Christi corpus portante, & per consueta Ciuitatis loca incedente vsque ad nostram Ecclesiam. Tertio, vt in ingressu eiusdem collocaretur Sacra hostia cum pixide, seu ostensorio super Aram maximam, à populo adoranda. Quartò, vt cantaretur tunc immediatè cum solemnitate missa ab Archiepiscopo, aut altero ex Canonicis. Quinto, vt ibidem solemnes haberentur oblationes cereorum à Magistratibus, qui totaliter, atque integraliter ad eandē Ecclesiam, ac Fratres plenò iure spectarent. Sexto, vt celebrans binas hostias consecraret, quarum vna consummata in sacrificio, altera in processione reassumpta deferretur ad Matricem Ecclesiam, relicta priori delata super altare, iam exposita; nostris Fratribus in obsequium Sanctissimi remanentibus in sua Ecclesia, cœteris autem processionem sociantibus vt prius; quibus tam sæcularibus, quam Ecclesiasticis idem Pontifex annos decem, totidemq; quadragenas Indulgentiæ concessit. Quæ omnia vsque in hodiernum diem obseruata sunt, hoc vno excepto, quòd Religiosi omnes in Matrici Ecclesia pro processione construenda congregantur.

Eadem

Eadem die post Vesperas, ac Completorium habetur à nostris PP. alia solemnis processio, in qua defertur index manus dexteræ, qua S. Thomas Doctor Angelicus Ecclesiasticum officium eiusdem solemnitatis scripsit, eaque terminata, Sacratissimum Christi Corpus, quòd in ostensorio fuerat per totam diem à populo adoratum, in tabernaculo recluditur, & festum completur.

In hoc templo ortum habuit pia, ac laudabilis consuetudo à P. Mag. F. Dominico Gorio adinuenta præcandi Deum pro mortuis feria quinta Dominicæ in Sexagesima, baccanaliorum tempore, in qua solemniter decantatis horis canonicis cum missa maiori, exposito publicæ adorationi Sacratissimo Christi corpore, habitoque ab vno ex Patribus sermone, audiuntur fidelium sacramentales confessiones, eisdem Sacrum Christi Corpus tribuitur, missæq; omnes priuatæ, atque B. Virg. Rosarium in animarum purgantium subsidium maximo populi concursu dicuntur; quæ pia deuotio *il Berlingaccio de morti* communiter dicitur.

In eodem & alia laudabilis consuetudo grassante ibi lue anno 1631. a P. Michaele Angelo Bruno inducta est, vt per quindecim hebdomadas ante festum Sãcti Dominici singulis tertijs ferijs, in honorem eiusdem S. Patris, præmissa Samentali confessione sumatur à fidelibus Sacrum Dominicum corpus, aliaque pietatis opera exequantur, quòd pium exercitium, & maximum tunc temporis Florentino populo præstitit beneficium, & in cæteris Ordinis Ecclesijs obseruatum videmus, specialibus Apostolicis Indulgentijs ditatum à Summis Pontificibus Innocentio Decimo, & Alexandro Septimo.

Nobili huic templo annexum est cœnobium permagnificum, inter Ordinis principaliora iure meritò computandum in quo septem Generalia Capitula, nempè anno 1257. 1272. 1281. 1321. 1374. 1414. & 1421. celebrata sunt; & Pontifices Maxx. Martinus V. Eugenius IV. Pius II. & Leo X. vna cum Imperatore Federico, ac Ladislao Hungariæ Rege

fuère recepti, quasi non esset Florentiæ pro tantorum Principum hospitio locus aptior, atque nobilior, quorum omnium publica existunt in eodem conuentu documenta.

Prodière ex illo tanquam ex fœcunda virorum illustrium genitrice, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, alijq; præstantissimi præsules, de quibus dicemus infra.

TITVLVS III.

De Conuentu Sancti Dominici de Senis.

Bononiam ex Vrbe petiturus S.P. Dominicus pro primo Capitulo Generali celebrando, per Senas transiēs anno reparatæ salutis 1220. & non semel Senensi populo verbum Dei annuncians, ità illorum animos allexit, vt ex Senatu consulto decretum sit, Prædicatoribus Fratribus in propria ciuitate conuentum publico ære construi, maximum animarum in via Dei profectum ab eisdem expectantes Senenses. Cœterùm quia non nisi temporis beneficio id præstituri erant illi, Emilia Tacchæ Hospitali S. Mariæ Magdalenę Priorissa præfecta S. Patri, filijsque suis interim inhabitandum, de Sororum suarum, nec non Raynerij Rustichini hospitalis procuraroris consensu illud obtulit, quod prompto animo suscepit ille, & Florentiam petijt.

Martij igitur die 14. eiusdem anni conuenère in vnum Fratres Sugerius, & Bonus â S. Patre ad nouum recipiendū conuentum ibidem relicti, cum hospitalis Officialibus, qui publico instrumento, ab Anselmo Iudice rogato, illud eisdem, velut S. Dominici relictis procuratoribus, ac filijs, tradidère: & ibidem statim fixère pedem, sacris ecclesiasticis ministerijs, proximorumque saluti totaliter addicti, vsque ad annum 1227.

Anno 1225. Martij 24. Domini de Malauoltis donauère Fratribus nostris locum in Camporegio ad effectum con-

struen-

ſtruendi ibì nouum conuentum cum Eccleſia capaci populi ad ipſos confluentis, qui Senen. Reip. atque ciuium copioſis eleemoſynis adiuti nouum conſtruxère conuentum, ad quē inhabitandum acceſſerunt anno 1227. relicto priori loco S. Magdalenæ Emiliæ, quæ illum ſibi conceſſerat, inſtrumento ſuper hoc confecto die 15. Decemb. per acta Bonauenturæ, Priore Fr. Gualtero.

Dum conſtrueretur nouum hoc cœnobium, Ciuitatis Epiſcopus Bonfilius noſtris donauit Eccleſiam S. Gregorij, ædificio proximam, pro miſſis celebrandis, & quinquaginta dierum indulgentiam manus adiutrices eidem porrigentibus conceſſit, cum facultate abſolutionis à reſeruatis ſibi caſibus: & Innocentius Papa IV. eandem quadraginta dierum Indulgentiā conceſſit eleemoſynas pro templi conſtructione dantibus, Apoſtolico Breui apud Lugdunū Pontif. ſui anno tertio expedito, quod ſatis amplum completum fuit anno 1400. S. P. Dominico dicatum, in quo ſunt inſignes Reliquię Sanctorum: nempè caput cum digito, ac inſtrumentis pœnitentiæ S. Catharinæ Senen. B. Ambroſij Sanſedonij oſſa; de ſcapula S. Thomæ Aquinatis, S. Hyacinthi digitus, corpus B. Andreæ Gallerani, aliæque Sanctorum Martyrum Reliquiæ.

In reſtitutione regularis obſeruantiæ huic Prouinciæ facta, renuit conuentus iſte eam amplecti; qua propter ſub Vicaria Romana diu fuit: cumque cœteri illam fuiſſent amplexati, atque cum Prouincia incorporati, ſolus hic remanens, ſub immediata cura Magiſtri Ordinis conſtitutus eſt, cuius filij ad Bononienſe, ſeu alia Ordinis ſtudia accedebant, ibiq; & Lectores inſtituebantur; ipſo Generali Magiſtro Viſitatores ad conuentum hunc de triennio in triennium mittente. Tandem Nicolaus Rodulphius ad Supremum Religionis regimen aſſumptus, ſequenti anno, qui fuit 1630. auctoritate Apoſtolica, & ſpeciali Breue Vrbani VIII. illum cum Romana Prouincia vniuit, ea tamen lege, vt Magiſtri, ac Prædicatores Generales cum ſuis gradibus, & præcedentijs,

cęterisque priuilegijs ad illam transirent, cum debita conuentus præcedentia iuxta propriam antiquitatem, ac fundationem, P.Mag. Fr.Ignatio del Nente eiusdem possessionem iniente 15. Iunij præfati anni 1630. Prouinciali tunc Rom. Prouinciæ P.Mag. F.Francisco Magdaleno, ac Sac.Congregationis Indicis Secretario. Suborta deindè est lis inter hũc, & conuentũ S.Mariæ Nouellæ circa præcedentiam, quę in pluribus capitulis Prouincialibus discussa, tandem in Capitulo Perusino anno 1645. fuit in hunc modum terminata, sequenti decreto. *Denunciamus fuisse tandem decisam litem præcedentiæ inter conuentum Sancti Dominici de Senis, ac Conuentum S.Mariæ Nouellæ: ac auditis rationibus pro utraque parte, illas referentibus Patribus Magg. F. Nicolao Ciampolo, & F.Hiacinto Pandulpho per nos ad hoc munus deputatis, concorditer sancitum fuisse, quòd si annus incipiat ab Incarnatione in ciuitate Senen. ius sit penes conuentum S.Mariæ Nouellæ: at si Senis annus incipiat à Natiuitate, ius sit penes conuentum S.Dominici de Senis, ac subindè præcipimus Priori Senen. ut iuridicam de hac re informationem accipiat, illamque Prouinciali transmittàt, ut ultima manus huic rei possit imponi. Quod si pro S.Mariæ Nouella steterit ius, tunc post Nouellam sanxerunt sequi immediatè conuentum S. Dominici de Senis. Ordinamus propterea omnibus, ut huic nostræ determinationi se submittant.* Cœterùm vsque in præsentem diem de hoc nihil innouatum est.

Dum sub Romana Vicaria permansit, in eo Generale studium fuit. Quapropter in Actis Capit.Generalis Romæ 1546. celebrati ità dicitur. *In studio S.Dominici Campi-Regij de Senis, damus in Regentem pro tribus annis F.Vin-*

cen-

centium de Castroueterano Prouinciæ Trinacriæ. In Baccalaureum pro tribus annis Fr. Ioannem Baptistam de Venetijs. In Biblicum Fr. Ioannem de Cortona; in Magistrum Studij pro primo, & secundo anno Fr. Antoninum de Grottula; pro tertio Fr. Leonardum de Rauenna.

Festum B. Ambrosij Sansedonij de Senis celebratur solemniter in hac Ecclesia cum octaua solemni ex concessione Capituli Generalis Romani 1644.

Emanauère ex hoc conuentu inclito viri præstantissimi vitæ sanctitate, sacris Infulis, scientiarumque pręstantia spectabiles, inter quos omissis Infulatis, de quibus suo loco, recensentur sequentes.

Fr. Gulielmus de Senis ex Comitibus Ilcij, ità pietate, sapientia, ac virtutibus enituit, vt Volateranus Clerus sibi proprium Pastorem eundem elegerit. Decessit an. 1273.

Fr. Oderardus Visdomini, charitate, doctrinaque clarus ab Honorio Papa IV. cum F. Aldobrandino Paparone constitutus est, Apostolicus Commissarius pro inquisitione gestorum, ac miraculorum B. Ambrosij Sansedonij, vt eum in sanctorum Album referret.

F. Petrus Sozinus nob. Senen. percelebris Sac. Theologiæ Doctor, Senensis Inquisitor effectus, ex sibi subditis cũctas hæresum iniquitates eliminauit. Decessit an. 1398.

Fr. Franciscus de Senis, omni scientiarum genere clarus, Greg. XI. acceptissimus, ab eodem Pontif. Max. Summus S. R. E. Pœnitentiarius constitutus, demandatum sibi munus christiano zelo adimpleuit. Decessit an. 1380.

Fr. Bartholomæus Dominici de Senis fuit Sanctæ Seraphicæ Catherinæ á Sac. confessionibus, Romanæ Prouinciæ Prior Prouincialis, Ordinis Procurator Generalis, ac Vicarius Leonardi de Mansuetis. Decessit an. 1417.

Fr. Marianus Maconus nob. Senen. à Sancto Bernardino ad assumendum Franciscanum habitum pluries hortatus, Dominicanam togam induit, & pietate, probitate vitæ, atq; doctri-

doctrinæ præstantia tantùm apud Senen. Rempub. valuit, vt illius Thesaurarius sit creatus. Moritur an. 1475.

Fr. Bartholomæus Dominici de Senis à Sancta Catharina Virgine propriæ animæ custos delectus est, quo in Sacramentorum ministerio, directioneq; in via Dei vsa est. In regulari obseruantia assiduus fuit, vitamque temporalem cum æterna commutauit an. 1417.

F. Gregorius Primaticius vir doctissimus Tridentino Sac. Concilio interfuit, & Reipub Senen. ad Iulium III. Orator missus, cuncta pro voto in patriæ commodum obtinuit. Decessit sui sæculi prædicator famosus an. 1578.

Fr. Eneas Piccolomineus, virtutibus, ac scientia conspicuus, Inquisitor Senensis creatus, commissum sibi munus integritate summa obiuit. Viuebat an. 1348.

Fr. Christophorus Ptolomæus Roberti Neapolitani Regis Capellanus, eidemq; à sacris confessionibus, fuit & ipse Inquisitor Senen. tandemq; Sebasten. Episcopus promotus Decessit an. 1313.

Fr. Petrus Strantius Inquisitor Senen. euasit, quo in munere decessit Magister in Sacra Theologia celebris, anno 1348.

Fuère autem & Senenses alij Inquisitores ex Ordine nostro: nam Eneas de Tholomæis; Petrus Sozinus, & Io: de Populonia Generales Inquisitores in Senensi statu recensentur in nostro Sacro Theatro Domicano 3. p. tit. 36. dum de Ministris S. Inquisitionis §. *Etruria* agimus. & Fr. Bonauentura Tolomeus *Beati* titulo á Scriptoribus Ordinis decoratus, & Infulas, & Senen. Inquisitoratum subire renuens, decessit an. 1348.

F. Thomas de Senis fuit vnus ex primis restitutoribus regularis obseruantiæ in Romana Prouincia, atque Italia cum alijs tempore B. Raymundi de Capua Magistri Ordinis; de quibus egimus in nostro tractatu De Reformatione Ordinis.

Fr. Bartholomæus Bulgarinus Senen. Romanus Prouincialis

cialis effectus, à Sixto Papa IV. Abbas S. Galgani Cistercien. Ordinis creatus est. Decessit anno 1478.

Fr. Io: Ygurgerius Senen. Eugenio IV. acceptissimus ab eodem Pontifice Max. monasterio S. Saluatoris in Monte Amiato præfectus est Abbas an. 1440. quòd cum annis 63. sanctissimè rexisset, moritur anno ętatis suæ 103. salutis 1505.

B. Raymundus de Vineis Capuanus, diù in hoc conuentu permanens, sacrasque confessiones S. Catharinæ Senen. suscipiens, eam in viam Domini direxit. Magister Ord. electus, atque Vrbano VI. acceptissimus, trepidas pro ipso schismatis tempore legationes subiuit, & eiusdē S. Catharinę sacrum caput huic conuentui dono dedit, quod maxima veneratione colitur.

Cœterùm pro coronide huius incliti cœnobij ponamus B. Ambrosium de Sansedonijs nobilem Senen. miraculorum gloria conspicuum; de quo infra inter Beatos.

Pio Secundo Pontifice Maximo celebratum est Ordinis Generale Capitulum in hoc conuentu anno 1462. in quo electus est Magister Generalis Fr. Corradus Astensis, deposito ab Ordinis regimine F. Martiali Auribello, ad illud reassumpto post tres annos Nouariæ 1465.

Vido Rex Cipri Romam petens, Senas ingressus, in hoc cœnobio receptus est hospitio, vbi, & per dies aliquot, & corpore, & spiritu recreatus permansit, anno 1363.

In hoc Conuentu congregantur nobiles Germani, sibiq; eligunt Consiliarium, quem tanquam superiorem, & caput venerantur, in virtute priuilegiorum amplissimorum Imperiali auctoritate, ac Serenissimi Magni Ducis Etruriæ eisdē concessorum, qui & ibidem propriam Bibliothecam, & confessarium ex nostris Patribus habent. Habent & in Ecclesia nobile Sacellum, in quo sepulturam suscipiunt decedentes, & diebus SS. Mariæ Magdalenæ, atq; Barbaræ sacris D. Consiliarius cum nobilibus suis ad illud accedens solemni missę à proprio confessario celebratæ omnes assistunt, qui termi-

nato sacrificio latinum sermonē in prædictarum Sanctarum honorem habet, eoque peracto, vnus ex nobilibus, nomine propriæ Nationis altero breui sermone eidem, & Ordini de præstitis beneficijs gratias agit.

Est & in Ecclesia amplum Sacellum *Delle volte* nuncupatum, omni ex parte venerabile, in quo quid actum sit, ex sequenti memoria parieti affixa elucescit.

In questa Capella occorsero molte segnalate attioni à S. Catherina di Siena, trà le quali sono l'infrascritte.

Quì fù vestita dell'habito di S. Domenico, e fù la prima Vergine, che fin'à quel tempo fusse vestita.

Quì staua ritirata à vdire li diuini officij; e quì del continuo haueua diuini colloquij, famigliarmente conuersando con Giesù Christo suo sposo.

Quì diceua il diuino officio, haueua frequēti estasi; per lo più in quelli staua apogiata à questo pilastro, in vno de' quali estasi fù da vn pittore studiosamente ritratta nel muro di fuori di questa capella; e questo pilastro da quel tempo in quà è stato, & è formidabile alle furie infernali, e molte persone indemoniate vi sono state liberate.

Quì dette vna crocetta che haueua d'argento, infilata alla sua corona à Giesù Christo in forma di pouero, il quale li disse, che quella mostrarebbe nel giorno del giuditio à tutt'il mondo.

Quì dette la sua veste à Giesù Christo in forma di pouero, il quale dipoi la vestì di veste inuisibile, che mai più patì freddo.

Quì gl'apparue Giesù Christo circondato di luce; volendo

ella

ella ſcendere per queſto luogo, & andarſene à caſa; onde ſubito caduta in terra, quello gli aperſe il petto, e vi poſe il ſuo cuore, dicendo: Catherina figlia mia ſicome l'altro dì io ti tolſi il tuo cuore, così hora ti dò il mio, per il quale fù ſempre viua.

Stando ella in eſtaſi appoggiata à queſto pilaſtro, vna candela che vi ſtaua acceſa in honore d'alcuni Santi, gli cadde ſopra i ueli del capo, e tutta ſi finì di conſumare ſopra di quelli ſenza farli nocumento, ò ſegno alcuno.

Celebrando la meſſa il ſuo confeſſore Fr. Raymondo all'Altare delli SS. Apoſtoli Pietro, e Paolo, ella ſe ne ſtaua al piè di queſta capella, e deſideraua cibarſi della Santa Communione, mà perche era tardi, & il confeſſore non ſapeua che lei ci fuſſe, ſe ne ſtaua patiente: All'hora Gieſù Chriſto perſonalmente la communicò con parte dell'hoſtia conſecrata à detta meſſa, & il confeſſore non la ritrouando rimaſe molt'afflitto, fino che da lei non gli fù riuelato.

Sunt & in eodem loco bina alia documenta, quorum primum tale eſt.

En locus hic toto ſacer, & venerabilis orbe.
Hic ſponſum Catharina ſuum Sanctiſſima ſæpè
Vidit ouans Chriſtum, dictu mirabile: ſed tu
Quiſquis ades hic funde preces: venerare Beatam
Stigmata geſtantem diuini inſignia amoris.

Secundum eſt.

Quina vulnera, redemptionis noſtræ præcium
Virgineo Catherinæ corpori impreſſa:

Qua de re magna animorum contentione
Disceptatum fuerat pridem,
Eademq; maiori miraculo
Humanam gloriam, deprecante Virgine,
Mortalium obtutibus subtracta
Purpuratis Quiritibus prosunt
Re probè cognita, censentur.
Vrbanus VIII. Pont. Max.
Edixit è Solio.
XIV. Kal. Martij M. DC. XXX.
Laurentio Petruccio V. C.
Sumptu suo, ac pietate
Cognitionem promouente.

Effigiei verò eiusdem Seraphicæ Virginis talis prostrat inscriptio.

Effigiem, qua Diuam Catharinam pictor hoc in Sacello à sensibus in Deum abreptam spectans, ad viuum expressit Anno M. CCC. LXVII. Ferdinandus Vanden Eyndi, Marchio Castri Noui è proximo estimi parietis angulo desectā, huc transferendam curauit Anno Domini
M. DC. LXVII.

Est in eadem Ecclesia & aliud Sacellum eidem S. Catharinæ dicatum picturis Sodomæ ornatum, in quo requiescit Corpus alterius B. Catharinæ de Lentijs ex Ordine nostro, dictæ communi nomine, *la B. Catarina seconda*, Virginis Sanctissimæ, miraculis claræ, cuius marmoreo sepulchro talis prostrat inscriptio;

Cla-

Claruit hæc soror Catherina alia Senæ
Angeli, hic iacet, Virgo Beata fuit.

Et carmina hæc fuere illi apposita a P. Mag. Fr. Simone de Angelis eiusdem B. Virginis confessario, quæ in cœlum euolauit Nouemb. 27. an. 1492. ætatis suæ 28. corpore inhumanato diebus quinque ob Senensis populi, castrorũque proximorum concursum. De hac B. Sponsa Christi cronica nostris constitutionibus apposita hæc ait.

Soror Catharina Senensis, alia à S. Catharina Senensi, Virgo eximiæ virtutis, & miraculis clara; Sepulta est in Conuentu S. Dominici de Campo Regio.

Ex Monumentis eiusdem Conuent.

TITVLVS IV.

De Conuentu Sanctæ Mariæ ad Gradus de Viterbio.

PRodigiosa sanè fuère Ecclesiæ Sanctæ Mariæ ad Gradus de Viterbio exordia, tali nomine nuncupatæ ex graduũ multitudine, qui in ingressu ad illam conscenduntur: Dum B. Virgo Cardinali Raynerio Capoccio visibiliter apparens, cereum ardentem gestando, designauit in colle Caponino extra, & propè mœnia Viterbien. ciuitatis nemoribus circumdato, Ecclesiam suo nomini erigendam, quod prompto animo præstitit Cardinalis.

Erat Raynerius, seu Raynerdus, vir pietate, atque in pauperes charitate mirabilis, ergà Sanctissimam Dei Genitricem singulari pietate affectus, auditisque portentis, ac miraculis

culis, quæ in Vrbe à S.P. Dominico patrabantur, pia veneratione addictissimus illi erat. Subscripsit propterea Bullæ confirmationis Ord. ab Honorio III. datę anno 1216. tali charactere: *Ego Raynerdus S. Mariæ in Cosmedin* Diac. *Card.* Transeunti igitur per Viterbium S.Patri, pijssimus hic Cardinalis S.Crucis ædiculam cum annexo habitaculo, nouę Ecclesiæ B. Mariæ ædificio proximam pro sui Ordinis filijs dono dedit anno 1220. vel vt alij testantur 1221. Prosequutus est deinde Cardinalibus eiusdem Ecclesiæ S.Mariæ structuram, perfectamque Ordini nostro, sacra suppellectili refertam, donauit die 2. Februarij, B. Virginis Purificationi sacra an. 1244. Innocentio IV. approbante 10. Maij eiusdem anni Apostolico diplomate.

An. 1249. Gulielmus Mutinensis Episcopus, eodem Card. instante, cœmeterium huius Ecclesiæ benedixit, & an. 1258. eandem solemni ritu consecrauit Alexander Papa IV. assistentibus, Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopisque compluribus Dominica vltima Aprilis, propria manu Sacras reliquias in Ara Marima apponendo, quæ in eiusdem demolitione, pro ampliori restituenda, adinuentæ sunt anno 1571. Pio V. fœliciter regnante, Vincentioque Herculano Sarnen, Episcopo ex Ordine nostro assumpto illam consecrante.

Asseruantur & complures aliæ Sacræ reliquiæ in hac Ecclesia, quæ fidelibus solemniter exhibentur adorandæ Dominica infra octauam Corporis Christi, 40. dierum Indulgentię adstantibus, concessione à Card. Tiberio Muto eiusdem ciuitatis Episcopo facta. Et Gregorius IX. Innocentius IV. Alexander IV. Nicolaus IV. Bonifacius VIII. Innocentius VI. Innocentius VIII. Sixtus V. Clemens VIII. ac Paulus V. eandem Ecclesiam sacris Indulgentijs ditauère, vt eorundem Breuia in Conuentus Archiuio custodita testantur.

In eadem Vrbanus Papa IV. dominica prima Septembris anno 1261. solemni pompa coronari voluit; & Clemens IV.

S.Edui-

S. Eduigem Poloniæ Ducissam anno 1267. solemni canonizationis ritu inter Sanctos retulit, & Clemens IV. præfatus sibi sepulturam delegit, quod & Cardd. Capocius, Albus Monacus, Robertus Kiluarbius noster, nec non Petrus de Vico Vrbis Præfectus, cum pluribus Archiepiscopis, atque Episcopis præstitère.

Conuentus ædificium nobile est, inter præstantiora Romanæ Prouinciæ meritò computandũ, cuius antiquum dormitorium noster Card. de Prato construxit an. 1311. reliquis eiusdem partibus à Prioribus successu temporis permagnificè fabricatis. Nobiles substantias habet, Baronales etiam Hospitale pro vltramontanis Romipetis recipiendis custodit in quo singulis noctibus duodecim ex eis recipiuntur, consuetis Fratrum cibarij enutriti ex legato Vicecomitis Gatti, nobilis Viterbien. an. 1292. facto, quod, *Domus Dei*, vt diceretur hospitale, voluit.

Bina Monialium Monasteria Prioris curæ annexa sunt, de quibus suo loco dicemus.

Ex hac Ciuitate, atque Conuentu, præter Infulatos Sacerdotes infrà recensendos prodière Patres, pietate, dignitatibus, atque prælaturis spectabiles, ex quibus sequentes recensentur.

Fr. Dominicus de Viterbio à S. P. Dominico ad Ordinem receptus, itá virtutum illius sectator egregius euasit, vt tertius Bononien. Prior fuerit communi voto electus, quo in munere cęlos conscendit.

Fr. Dionisius de Viterbio tanta floruit pietate, vt illi Beatus Ambrosius Sansedonius traditus sit virtutibus imbuendus, quem & Parisium, vt Doctoris Angelici esset nobilis auditor, perduxit.

Fr. Nicolaus Belpassus vitæ sanctitate eluxit itá, vt 19. Feb. an. 1572. sæculum hoc nequam relinquens octogenarius, ex populorum hinc inde confluentium concursu, vestium particulas sibi pro magno munere præscindentium communi voce Sanctus dictus sit.

Fr. Sta-

F. Stagnus Viterbien. fuit Episcopalis Vicarius nostri Cardin. de Prato, Pœnitentiarius Apostolicus, Capellanusque Bonifacij VIII.

Sed & prodière ex hoc conuentu PP. Magistri Vincentius Bartolus, & Franciscus Galasinus Procuratores Generales Ordinis; quorum prior semel, atque iterum Prouincialis Siciliæ decessit an. 1647. posterior verò, ex Inquisitore Perusino Procurator Generalis institutus, atque ab Vrbano VIII. amotus, iterum Inquisitor factus, decessit Romæ cum titulo Vicarij Generalis an. 1664.

T I T V L V S V.

De Conuentu Sanctæ Catharinæ Mart. de Pisis.

Conuentum hunc datum esse à Pisana Repub. S. Patri Dominico anno 1222. more Pisano, asserunt eiusdem monumenta, quæ primum fundatorem agnoscunt Fr. Vguccionum Sardum, ab eodem S. Patre illuc missum. Augumētum sumpsit breui temporis interuallo, & in numero Fratrū, & in ædificio, adiutrices manus porrigentibus Pisanis ciuibus ob spiritualem fructum, quem à nostris percipiebant, ità vt an. 1272. Generalia Ordinis Comitia in illo sint celebrata, & multi numerentur Patres vocales in antiquis instrumentis, inter quos S. Thomas de Aquino ibidem S. Theologiæ Lector recensetur.

Huius cęnobijs incliti Patres se præbuère fidissimos semper filios erga Apostolicam Sedem, & Christi Vicarios, & anno 1409. maximè, quo cum Pisis Generale Concilium pro Ecclesię optata diù à fidelibus vnione reddenda collectum sit, cui Cardinales viginti, Patriarchæ tres, Archiepiscopi, & Episcopi centum octoginta, Abbates Monasteriorum trecē-

tum,

tum, Theologique insignes centum septuaginta adstitissent, inter eos mirabiliter effulsère Patres huius Conuentus cum Thoma de Firmo Magistro Generali Ordinis, electoq; Card. Petro Philareto Minorita in Summum Pontif. Alexandrum Quintum nuncupatum, eius authoritatem, atq; electionem in publicis, ac priuatis colloquijs defensauère.

Altero quoque celebriori facto suam erga Apostolicam Sedem fidelitatem demonstrauère cœnobitæ hi. Cum enim Iulius Papa II. nuper electus, iurasset se Generale Conciliũ celebraturum pro Ecclesiæ reformatione, paceq; Christianis Principibus reddenda, & iuramentum exequtioni mandare, monitus licet, procrastinaret; an. 1511. die 16. Maij Mediolani conuenientes in vnum Bernardinus Tit. S. Crucis, Guillelmus Narbonensis, atque Franciscus Cusentinus S R. Eccl. Cardinales, auditisque instantijs Maximiliani Cæsaris, nec non Ludouici Galliæ Regis per procuratores factis de Concilij celebratione iuxta Synodi Constantien. decreta à Iulio Papa neglecta, tam nomine proprio, quàm sex aliorũ Cardinalium Philippi Tusculani Ep. Hadriani tit. S. Grisogoni, Renati tit. S. Sabinæ, Caroli tit. S. Viti Præsbyt. nec non Friderici tit. S. Angeli, & Hyppoliti tit. S. Luciæ in Silice Diac. Card. quorum habere se speciale mandatum profitebantur, nec non & aliorum eis adhærentium, indixère Generale Cõcilium, Pisis Kalendis Septemb. eiusdem anni inchoandum, rogaueruntq; Iulium Pont. Max. vt per se, vel procuratores suos eidem interesse dignaretur. Horum audaciam compressurus Iulius, Generale Lateranen. Concilium 19 Aprilis sequentis anni 1512. Romę celebrandum publicauit cum solemnitatibus Ecclesiasticis consuetis. His tamen non acquieuere Cardinales Pontifici malè affecti: etenim Pisani Concilij conuocationẽ in valuis Mutinen. Rhegien. ac Parmen. Ecclesiarum affixère, qua cunctos Christiani orbis Pastores ad illius celebrationem conuocabant.

Displicuit supra modum facinus Pontifici Maximo, ac de cęterorum Cardinalium sibi adhærentium cõsensu, Apo-

N stoli-

ſtolicæque poteſtatis plenitudine, talem conuocationem irritam, & inanem declarauit, anathematis, atq; damnationis æternæ pęna in illos,qui eidem Cōciliabulo intereſſe auderent,promulgata. Spretis Apoſtolicis cenſuris, conuenère illi Piſis, in quos calamum acuit Thomas Caietanus, tunc Ord. Vicarius Generalis qui illuc miſit F.F. Auguſtinum Nallium, Matthęum Lulmum, atque Bartholomeum Rondaninum viros doctiſſimos, vt vna cum noſtri Piſani cœnobij Patribus,infracto animo reſiſterent in faciem congregandi conciliabuli.

Inſurrexère igitur contra illud, & ſacris prædicationibus, priuatiſque colloquijs Piſanum populum,Clerum,aliorumque ſacrorum Ordinum Religioſos in deuotione erga Pontificem Maximum confirmantes, ſegregis non modicam moleſtiam, & timorem incuſsère. Cum verò Cęnobitæ cuncti inuitarentur,vt proceſſioni ſolemni pro conciliabuli inchoatione intereſſent, reſpondebant illi,id facturos ſe, quòd Fratres Dominicani. Proceſſione igitur ſolemni de more Conciliorum,inſtructa,cum refractarij per ciuitatem incedentes, inſignioreſque Eccleſias viſitantes ad noſtrum S. Catharinę Mart. templum accederent, reſtitère in faciem Conciliabuli Prædicatores, occluſiſq;Eccleſiæ, ac conuentus foribus, illius aſſeclas, & fautores, tanquam excommunicatos,& execratos in ſua recipere abhorruerè.

Factum tantam attulit refractarijs confuſionem, & moleſtiam, vt inſtructam proceſſionem diſſoluentes, in rabiem acti, ferro, ac igne, & recluſos Fratres, & cœnobium ipſum cum Eccleſia perdere attentauerint. At illi in Domino,cuius cauſa agebatur, confiſi ſupra Eccleſiæ tecta aſcendentes, tegulis,atq; ſaxis in refractarios proiectis, cunctos in fugam coniecère. Facta eſt propter hoc tantus inter Piſanos popularis tumultus, vt refractarij Piſas diſcedere Mediolanum verſus fuerint coacti: quo facto Piſani cœnobitæ maximam Iulij Pontif. Romanæque Curiæ beneuolentiam promeruère.

In tanti igitur facti perpetuũ posterorũ documentũ fores Ecclesiæ,in fautores Conciliabuli occlusæ ex proprio loco euulsæ in interiori facie eiusdem, ceu nobile tropheum de refractarijs reportatum,ex Pisanæ Reipub.decreto fuère,suspensæ, quas & nostris temporibus vidimus,ab incauto Priore postmodum marcidas igni traditas.

Prodière ex hoc inclito cœnobio præstantissimi Patres, qui suis virtutibus, & Romanam Prouinciam, & Ordinem plurimum illustrauère, ex quibus aliqui Ecclesiasticis infulis, de quibus suo loco dicemus; alij verò vitæ sanctitate, ex quibus referimus sequentem.

Fr.Thomas Aiutami Christo de Pisis fuit vnus ex primis restitutoribus regularis obseruantiæ, ex conuentibus Ordinis, ob pestilentiam maximam an.1348. subortam, atque in Europa tota grassantem,eliminatæ,qui cum F.F.Ioanne Dominici de Florentia, Thoma de Senis,atque Hieronymo de Fulgineo apud B.Raymundum de Capua Mag. Generalem institit pro restitutione illius, quod exequtioni datum est, in vnaquaque Prouincia vno,vel altero conuentu eidem addictis. De quo fusè in nostro impresso tractatu De Reformatione Ordinis egimus. *Ex monum.huius Conu.*

TITVLVS VI.

De Conuentu Sancti Dominici de Vrbe-Veteri.

SExtum obtinet locum Conuentus Sancti Dominici de Vrbeueteri inter cœteros Romanæ Prouinciæ, tanquã vnus ex antiquioribus illius. Paucis transactis annis post assumptum in cęlum S. Patrem Dominicum, Fratres nostros in eadem Vrbe receptos fuisse, certum est; at verò non fuit ibi constabilitus Conuentus,vsque ad annum 1233.quo legitur

Vrbeuetanus Prior F. Angelus de Gothis in eadem ciuitate natus, qui cum Ordinis habitum apud S. Sixtum à S. Patre nostro recepisset, miraculo panis ab Angelis delati interfuit, quem & gustauit: habuitq; socium suum Fr. Latinum de Vrbeueteri primum Conuersum in Ordine ab eodẽ S. Dominico receptum, in administrandis rebus huius Conuentus.

Debile habuit conuentus Vrbeuetanus principium; at spiritualibus Patrum exercitijs, eorumque vitæ probitate allecti ciues, copiosas adiutrices manus porrigentes, & conuentus pro Fratrum habitatione accommodatus, & ampla, ac permagnifica Ecclesia aduentanti populo ad diuina aptissima, sub nomine S. Dominici, (& hæc fuit prima in Ordine eidem S. consecrata) constructa est. Fuit autem postmodum ab Vrbano IV. ibidem degente ad supplicationem S. Thomę Aquinat. solemni ritu consecrata an. 1264. Dominica prima Maij, qua singulis annis eiusdem consecrationis dies festus recolitur.

Floruit cęnobium hoc & numero, & qualitate Fratrum ita, vt esset vnum ex principalioribus Prouinciæ, in eoque S. Doctor Angelicus pluribus annis publicè, & legit, & docuit, seruaturque ibi vsque in hodiernum diem formula assignationis eiusdem, quæ talis est: *Assignamus F. Thomam de Aquino pro Lectore in Conuentu Vrbeuetano in remissionem suorum peccatorum.*

Est in eodem & cathedra, in qua docuit, & pars eius magistralis bireti, & Breuiarium, quo vtebatur ad diuina, proprio S. Doctoris charactère postillatum, vt vidimus, & inter cœteras postillas visitur illa de B. Virg. *Inuiolata, intacta, &c.*

Dum Lectoris Sac. Theologiæ munere fungeretur in hoc conuentu S. Doctor, ad instantiam Vrbani IV. officium solemnitatis Corporis Christi composuit; quod & S. Bonauentura præstitit. At cum vtrumque coram Pont. Max. legeretur, delegit Pont. illud S. Thomæ, tanquam nobilius, atq; mi-

stetio-

steriosius, ex antiquo, & nouo testamento mirabiliter conflatum, quod in Ecclesia S.Dei ab Ecclesiasticis cunctis recitandum voluit.

Plures viri incliti ex hac ciuitate, & conuentu prodière, qui Dominicana toga suscepta Ordinem nostrum illustrarũt, inter quos recensentur sequentes.

B.Nallus, seu Reginaldus ex nobili, & perantiqua familia Vrbeuetana Comitum de Montemarte, in hoc conuentu ad ordinem receptus, Bononiæ, atque Parisijs sacris litteris operam nauando, doctissimus, atque pijssimus vir euasit, ità vt eius meritis, ac intercessione mirabilia Deus operari dignatus sit: cum enim apud Pripernum Prioris onus sustineret, construereturque in honorem S.Thomæ Aquinatis, ibidem Ecclesia, delatam truncam trabem illius tectum sustentaturam, suis præcibus ità longiorem protraxit, vt ex ea frustum præscindi necesse fuerit. Cumque per viam incedens in fluminis transitu eius breuiarium mersum sub aquis fuisset, in genua procumbens pro eiusdem restitutione, illico supernatauit, nulla ex parte madefactum, illudque aperiens, in diuinas laudes prorupit. Et Clericum quendam indiscretè de se obloquentem, atq; à Domino mutum redditum, suis præcibus pristinæ loquelæ restituit. Virginitatem illibatam ad mortem vsque seruauit, quæ illi fęliciter euenit Priuerni an. 1348. ibidem conditus.

B. Vanna, seu Anna de Vrbeueteri dicta, in Carnaiolæ pago tamen orta, adhuc infantula in ciuitatem delata, Tertiariarum nostrarum habitu assumpto, ieiunis, vigilijs, & abstinentijs enutrita, ita corpus spiritui seruire cogebat, vt in carne viuens, carnis incitamenta nesciret. Carnali matre statim destituta, in matrem sibi elegit Beatissimam Virginem Mariam, cui se, ac virginitatem suam perpetuò consecrauit, multis propterea diuinis visionibus consolata, in contemplatione passionis Christi Iesu tota erat. Profetico spiritu illustrata, euolauit in cœlum an. 1306. ætatis suæ 42. miraculis clara. Corpus eius incorruptum vsque in hodiernum

num diem visitur in Ecclesia Sancti Dominici.

Vannam sequta est Daniela Vrbeuetana, Soror tertij Ordinis nostri, virgo vitæ sanctitate conspicua, ad cuius intercessionem Deus mirabilia operari dignatus est; de quibus sacris Virginibus cronicuncula nostris constitutionibus apposita, sic fatur. *Soror Anna, & Soror Daniela Vrbeuetanæ Virgines Sanctissimæ, in vita, & in morte magnis miraculis coruscarunt.*

Prodière quoque ex cœnobio hoc, vno, eodemque tempore tres Patres, natalium, atque virtutum claritate spectabiles, qui inculpatæ vitæ exemplo non modicum Ordini attulere decoris ornamentũ; Theodoricus de Zaccaria, Theodorici Card. de Vrbeueteri nepos, qui an. 1318. vitam cum morte commutauit. Raynerius de Bacheca, qui 1326. defecit; & Ioannuzzus de Vannis Cardin. Oddoni Nepos, qui vitæ cursum consummauit 1326.

Sed & plures infulati Patres ex hoc conuentu emanauere, de quibus suo loco dicemus.

Duo monialium nostrarum nobilia Monasteria ibidem Ordini commissa sunt, quorum vnum S. Petri, alterum verò Sancti Pauli, à Priore huius Conuentus, tanquam ordinario Vicario reguntur; de quibus suo loco dicemus. *Ex monumen, huius Conuent.*

TITVLVS VII.

De Conuentu S. Dominici de Perusio.

SEptimum consequitur locum inter Conuentus Romanæ Prouinciæ Perusinus, qui tale habuit principium.

Cum anno Domini 1220. S. P. Dominicus primum Generale Capitulum Bononiæ celebraturus, per Vmbriam transiret, Perusium ingressus, obuium habuit S. Patrem Fran-

Franciſcum, quem amplexatus, cęleſtibus ſe colloquijs cõſolati ſunt: in cuius rei memoriã Peruſinorum erga hos ſanctos pietas, amplexum hunc in pariete, Eccleſiæ S. Angeli proximo, pigendum voluit.

Cum verò Bononiæ S. Dominicus eſſet, Iuuenis quidam, Chriſtianus Hermannus nomine, qui ſtudiorum cauſa ibi adhærat, æternæ vitæ deſiderio inflammatus religioſum habitum à S. Patre ſuſcepit, à quo cum B. Nicolao de Iuuenatio Peruſium directus eſt, vt ibidem conuẽtum Ordinis fundarent. In eam igitur ciuitatem cum veniſſent, vitæ inculpátæ exemplo, ſacriſque exhortationibus ità Peruſinorum animos allexère, vt breui decurſo temporis interuallo, ab eiſdem actum ſit de conuentu, atque Eccleſia publico ære nobis conſtruendis. Tradidère propterea Iuuenatio publicum patriæ vexillum, vt in ea ciuitatis parte erectum figeret, vbi pro Ordine cœnobium conſtrui cuperet; quod cum ſupra muros ciuitatis propè portam S. Petri collocaſſet, ibidem conuentus exordium ſuſcepit, & incrementum, empto agro à Matthęo Aegidij del Villano publicis ciuium ſumptibus.

Conſtitèrũt igitur Iuuenatius, & Chriſtianus cum fratre Conuerſo propè locum ædificij in parua caſa iuxta Eccleſiã S. Blaſij, à Bulgaro de Montemellinis Epiſcopo illis pro ſpiritualibus exercitijs conceſſam, quæ tandem creſcente ædificio demolita eſt. Piorum Ciuium igitur eleemoſynis ad talem perfectionem conuentus ſtructura deuenit, vt Oratorium, aptum ſatis ad diuina, perfectum ſit. Et Gregor. IX. pro ædificio Eccleſiæ complendo conceſſit Indulgentiam adiutrices manus porrigentibus, per ſuum Breue datum anno 1235. quę tandem perfecta eſt an. 1260. & conſecrata 1264. à Clemente IV. qui annum, & 40. dies Indulgentiæ conceſſit, eam anniuerſaria die viſitantibus perpetuis futuris temporibus.

Incepère igitur Fratres anno 1240. in noua Eccleſia (licet non completè terminata) diuina peragere, quam S. Patri

Do-

Dominico, ac S.Stephano Protomart. dicatam Summi Pontifices sua præsentia decorauèrunt, Gregorio IX.S.Elisabettam Hungariæ Reginam, atque Innocentio IV. S. Petrum Martyrem inter Sanctos solemni ritu referendo: seruaturq; Bulla Canonizationis eiusdem Sancti Martyris in hoc Conuentu.

Molestias tamen non modicas longo annorum decursu Fratres passi sunt ibidem à Canonicis, & Plebanis Ecclesiæ S.Stephani de Castellari, lites in eos intentantibus ob damnum, quod sibi ex talium Religiosorum mendicantium approximatione imminère cognoscebant, quas Benedictus X. tandem terminauit, adiudicata Ecclesia cum annexa Parochia nostris Fratribus, sequente Apostolico Breui.

BENEDICTVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei, Dilectis Priori, & Couuentui Ordin. Prædicatorum salutem, & Apostolicam benedictionem.

SAcræ uestræ Religionis merita, sub qua uirtutum Domino militantes, uobis meritum, & alijs proficitis per exemplum, instanter exposcunt, ut illa uos gratia fauorabiliter prosequamur, quam uestris fore conspicimus necessitatibus opportunam. Cum itaque sicut ex parte uestra fuit expositum coram nobis, locus uester adeo arctus existat, quod ibi ædificare Ecclesiam congruã, ac domos, & officinas alias uestris opportunas usibus, non potestis. Nos super hoc uobis prouidere uolentes, Capellam S. Stephani de Castellari, dicto loco uicinam, subiectam Ecclesiæ Perusinæ, ac consuetam guber-

gubernari per Canonicos dictæ Ecclesiæ, cuius institutio, & destitutio ad Capitulum eiusdem Ecclesiæ pertinet, cum Parochia, Domibus, Casalinis, Hortis, cæterisque Bonis, iuribus, & pertinentijs suis, infra muros Burgi S. Petri consistentibus, vobis pro eiusdem loci vestri ampliatione, Apostolica authoritate concedimus, & pia liberalitate donamus, & ab ea ex nunc dilectum filium Nicolaum Canonicum Perusinum, cui eiusdem Ecclesiæ gubernatio commissa fuerat, amouentes, apprehendendi corporalem possessionem Ecclesiæ, Parochiæ, Domorum Casalenorum, Hortorum, Bonorum iurium, & pertinentiarum prædictarum, alterius assensu minimè requisito, vobis licentiam liberam exhibemus. Volumus autem, & authoritate prædicta statuimus, quod infra Ecclesiam vestram, teneamini in honorem Sancti Stephani prædicti construere capellam, in qua per Capellanum idoneum, diuina officia celebrentur, cui teneamini in vitæ necessarijs prouidere. Curam verò Parochianorum dictæ Ecclesiæ S. Stephani tibi fili Priori, & successoribus tuis Prioribus dicti loci, qui pro tempore fuerint, immineat, ipsamq; per Capellanum exerceatis eundem, cuius institutionem, & destitutionem, quoties videritis opportunum, ad uos decernimus pertinere: Nolumus tamen, quod Venerabili Fratri nostro B. Episcopo Perusino, uel eius successoribus, qui pro tempore fuerint, sitis in aliquo uos, uel idem Capellanus ratione dictæ curæ subiecti, uel sibi teneamini de cura plebis aliquatenus respondere, aut aliquam de spiritualibus, uel temporalibus reddere rationem. Possessiones autem, & alia Bona immobilia dictæ Ecclesiæ Sancti Stephani, prædictis Archipresbytero, & Capitulo dictæ Perusinæ Ec-

clesiæ reseruamus, illa eorum perpetuis usibus applicando. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, donationis, apprehensionis, amotionis, exhibitionis, uoluntatis, statuti, decreti, & reseruationis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Perusij 2. Kalendas Iunij Pontificatus nostri Anno primo.

Terminatis igitur in hunc modum litibus cunctis, Fratres Ecclesiolam S.Stephani diruentes, nouam ædificatam sub inuocatione S.Stephani Protomart. atque S. Dominici P. N. esse voluère, Fr.Nicolao de Brunaccijs tunc Priore cuncta exequtioni mandante iuxta Apostolicum decretum.

Raptus è mortalium oculis breui temporis interuallo, maximo Christianæ Reipubl. damno Pontifex Benedictus XI. in hac Ecclesia sepulturam elegit, sequenti elegio eius tumulo, à nostro Card. Praten. fabricato, apposito.

O quam laudandus, quam dulciter est venerandus
Inclitus iste Pater. Prius extitit ordine Frater
Sancti Dominici, Christi vigilantis amici.
Lector honoratus, Prior extitit ipse vocatus
Effectus talis; Fuit Fratrum Dux Generalis
Sic homo doctrinæ post hæc fit cardo Sabinæ
Ostia Valletrum titulum sibi dant duo lætum
Præfuit Hungariæ Legatus gemma Sophiæ.
Fit pater ipse patrum, caput orbis, gloria fratrum
Est meritò dictus, re nomine Benedictus
Teruisij natus; hic primo pontificatus
Anno decessit; sibi rectè subdita rexit

In

In nono mense, mortis postternitur ense.
Hunc hominem tantum reddunt miracula sanctum
Innumeris signis dans grata iuuamina dignis.
Lector habe menti. Curebant mille trecenti
Quatuor appositis dum transit hic homo mitis.
Mense, die sexta Iulij sunt talia gesta.

Specialibus fauoribus, ac Indulgentijs à diuersis Summis Pontificibus ditata est hæc Ecclesia. Benedictus IX. enim easdem Indulgentias illi elargitus est, quæ à suis decessoribus concessæ fuère S. Mariæ Angelorum de Assisio pro eisdem diebus, & tempore, quibus sunt apud Ecclesiam S. Mariæ Angelorum, quas confirmauit Bonifacius Papa IX. & Pius Quintus easdem ampliauit vsque ad totam diem 4. Augusti, in qua celebratur festum S. Patris nostri.

Clemen Papa VII. suo speciali Breui, dato anno 1529. voluit, & mandauit, vt solemnis processio Corporis Christi sumeret exordium in hac nostra Ecclesia, & procedendo per ciuitatem, in eandem reuertrretur terminanda, quod quidē exequtioni datum est vsque ad tempus Cardinalis, dicti de Perusio, qui illud reuocandum curauit in hac parte, vt talis processio exordium sumeret ab Ecclesia Cathedrali, terminanda in nostra, quod vsque in hodiernum diem obseruatur. Mandauit insuper idem Clemens Pont. vt in Legati, Episcopi, seu Vicelegati absentia, Prior nostri Conuentus Sacratissimam hostiam in huiusmodi processione per ciuitatem deferret.

Cum verò populi concursus ad diuina esset tantus, vt Ecclesia constructa illius incapax videretur, cogitauère nostri de altero ampliori, sumptuosiorique templo fabricando, quod & præstitum est, Deo mirabiliter adiuuante: At cum debilia haberet fundamēta, corruērūt illius fornices an. 1614. April. 12. absq; alicuius tamen læsione. Vnde coacti sunt Patres nouum templū construere, quod & eodem anno inceptū est, Carolo Maderno Architecto, Equitis Dominici Fonta-

næ nepote ædificij formam præscribente, ac delineante, & Episcopo Comitulo primum lapidem 30. Iunij eiusdem anni ponente; quod quidem permagnificum templum, DD. Perusinis ciuibus, ipsoque Episcopo pecuniam offerentibus, perfectum, ac terminatum est 18. annorum cursu, ita vt eadem 12. die Aprilis, quæ in feriam 3. post Pascha an. 1632. incidit, à Card. de Torres eiusdem Ciuitatis Episcopo prima missa in eo solemni ritu celebrata sit.

Cœterùm cum pro huiusmodi ædificio debita plurima fuissent contracta, æreq; alieno grauaretur nimis Conuentus, visum est Patribus, ac Mag. Ordinis Seraphino Sicco generale Prouinciæ studium, ex eo amouère, atq; in Quercquensem de Viterbio transferre, quod & præstitum est, mansitque ibi vsque ad annnos præteritos, & Perusino cœnobio restituium est, ob pingue bonorum omnium suorum legatum à D. Cæcilia de Angelettis eidem pia prodigalitate factum, ea tamen lege, vt alienum æs cunctis restitueretur, & generale studium Prouinciæ reassumeretur in hoc conuentu.

Anno 1531. conuentus hic reformatione suscepta, cum Romana Prouincia, tunc temporis à Clemente VII. instituta, vnitus est, primò Priore facto Fr. Angelo Diacceto Florentino, qui eodem anno ad Prouinciale Capitulum accedens petijt, & obtinuit, vt in hoc conuentu generale Prouinciæ studium poneretur, quod exequtioni mandatum est, illius Regente instituto F. Carolo Pinello viro doctissimo.

Prodière ex illo viri spectabiles, inter quos multi ad Ecclesiarum regimen sunt assumpti, de quibus infra; alijque vitæ sanctitate floruere, inter quos recensetur Fr. Christianus Hermannus Perusinus, qui erga S. Augustinum singulari deuotione affectus, eiusdemque apparitione recreatus, ad seuerioris pœnitentiæ amplexum hortatus est. Decessit ibidem circa annum 1276.

Fr. Bonaspemius Perusinus tantæ auctoritatis, ac pietatis vir extitit, vt ab Alexandro IV. ad Fanen. Ecclesiam promotus, nec Apostolicis minis perterrefactus, illam suscipere

voluerit. Quare viri præstantiam miratus Pontifex, in animæ suæ custodem eundem elegit, Apostolicumque penitentiarium nominauit. Optabat ille in Generali capitulo Diffinitoris onus sustinere, & mori, totius Ordinis suffragia consequuturus, votiq;compos effectus est,nam in Capit. Meten. Diffinitor Roman. Prouinciæ, in recessu ab illo decessit anno 1251.

Fr. Nicolaus de Brunaccis Perusinus B. Alberti Magni discipulus tali vitæ sanctitate floruit, vt communi existimatione vir Sanctus haberetur. Benedicto XI. acceptissimus, ab eodem S. Stephani Ecclesiam pro Perusino conuentu impetrauit. Theologiam Romæ, Florentiæ, & Perusij docuit, pluribusque Romanæ Prouinciæ cænobijs præfuit. Euolauit in cęlum an. 1322. meritis onustus.

Fr. Thomas Tomasellus Perusinus D. Thomæ Aquinatis discipulus tali vitæ probitate enituit, vt prophetiæ dono clarus plura miracula eius intercessione operari Deus voluerit: conscendit in cęlum Perusij anno 1285. ætatis suæ 82. in veteri Ecclesia sepultus.

Fr. Iacobus de S. Mariano prædicator feruidus,& ipse Perusinus, in regulari obseruantia, ieiunijs, & disciplinis assiduus Spoleti in cęlum euolauit, apparuitque Fr. Raymundo socio suo candidis vestibus circumamictus, & eum ad cęlestia gaudia inuitauit, qui Ecclesiæ Sacramentis communitus, tertio die quieuit in Domino anno 1322. eumq; sequutus est post quinquennium F. Taddeus de Iacopis Perusinus, abstinentia, atq;in pauperes charitate conspicuus, & apud magnates in existimatione singulari habitus: decessit autem Perusij 1327.

In hoc conuentu S. Inquisitionis sacrum tribunal residet à Pio V. ibidem erectum anno 1571. cui sequentes præfecti sunt Inquisitores, Perusii, atque Vmbriæ Generales Inquitores nuncupati.

Fr. Matthæus Lacchius Florentinus dum esset Studiorum Romanæ Prouinciæ Regens in hoc conuentu,à Iulio III. fit

Gene-

Generalis Commissarius S. Inquisitionis Perusij, atque Vmbriæ anno 1551. perseuerauitque in eo munere vsque ad an. 1566.

Fr. Nicolaus de Alexijs Sacr. Theologiæ Mag. post Matthæum constituitur Inquisitor Generalis à Card. de Pisa, Pio V. iubente, & ex Sacræ Congregat. decreto; qui in ea præfectura decessit an. 1585.

Fr. Vincentius Castruccius Nicolao datur successor in munere S. Inquisitionis dum esset eiusdem Vicarius, rexitq; tribunal vsque ad an. 1598. quo decessit.

Fr. Benedictus Herculanus post Castruccium sacrum tribunal vsque ad an. 1610. rexit, & decessit.

Benedicto sufficitur Fr. Vincentius, Benedicti germanus frater, qui sacro tribunali præfuit vsque ad an. 1619. quo solutus est nexu corporis.

Fr. Thomas Margottinus post Vincentium præficitur huic Sacræ Inquisitioni, qui an. 1623. compleuit vitæ cursum.

Post Margottinum delectus est Inquisitor Frat. Franciscus Galasinus eiusdem Generalis Vicarius, qui sacrum tribunal summo rigore rexit vsq; ad annũ 1632. quo Procurator Ord. ab Vrbano effectus est, à quo & procuratoris officio priuatus fuit an. 1642.

In promotione Galasini datur Inquisitor Fr. Vincentius Maria Pellegrinus de Tipherno, cum esset actualis Vicarius Generalis in eo tribunali, in quo decessit an. 1654.

Mortuo Pellegrino restitutus est Inquisitor Fr. Franciscus Galasinus, quo in munere perstitit vsque ad annum 1664. quo Romæ decessit.

Fr. Hiacinthus Picchettus Mag. ex Generali Vicario constituitur Inquisitor post decessum Galasini, qui sacrum tribunal summa integritate, & zelo regit.

P. F. Leonardus de Mansuetis Perusinus, & ipse ex hoc conuentu originem traxit, vir doctissimus, regularisque obseruantiæ sectator egregius, qui post Romanæ Prouinciæ obitam præfecturam, ex Magistro Sacri Palatij, atque Vicario

cario Ord. Magister Generalis eiusdem electus est an. 1474 in Capitulo Romæ celebrato. Perusij quoque sub ipso aliud capitulum habitum est an. 1478. post quod Romæ sepellitur an. sal. 1480. ætatis suæ 66.

Prædicta omnia ex huius incliti cænobij monumentis fuere deprompta, quod septimũ tenet locum in Prouincia.

TITVLVS VIII.

De Conuentu Sanctæ Mariæ in Camuscia de Tuderto.

EX antiquioribus Romanę Prouinciæ cœnobijs est hoc Tudertinum, Sanctæ Mariæ in Camuscia dictum, quod octauum inter cętera consequitur locum. Eius exordia fuerũt an. 1236. quo Martij 3. die Patres nostri ibidem fixère pedem, consistentes in eminentiori ciuitatis loco, S. Leucij dicto, à Rectoribus eiusdem nobis dono dato. Ibi constructo paruo conuentu mansèrũt vsque ad Gregorij XI. tempora, qui in eodem loco arcem ædificauit munitissimam, Fratribus nostris conuentu S. Praxedis, qui incolebatur ab Augustinianis Patribus, attributo, & ipsis Augustinianis in alio conuentu extra Ciuitatis mœnia existentibus.

Centum, & quadraginta duobus annis in cœnobio Sancti Leucij permansère Fratres nostri, & quatuor apud Sanctam Praxedem, quod ad euitandas quotidianas lites, pro bono pacis, restituere coacti sunt Patribus Augustinianis, nobis ab Vrbano Papa VI. eorum cœnobio extra mœnia, facta commutatione, concesso anno 1378.

Quadraginta annorum decursu in eo S. Augustinis conuentu permanserunt nostri, quem deserere coacti sunt ob molestias sibi ab Augustinianis Patribus iterum illatas, Bonifatio IX. Parochialem Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Camu-

scia

ſcia nobis concedente an. 1393. cuius poſſeſſionem inière nostri 23. Iu ij publico instrumento per acta Bartholomæi Simoncelli Tudertini cōfecto, Priore Fr. Antonio Offreducio de Tuderto.

Tempore reformationis Prouinciæ conuentus hic ſub Romana Vicaria permanſit; transijtque tandem ad Romanam Prouinciam 6. Iulij 1599. ex mandato Magiſtri Generalis Beccariæ, illius poſſeſſione à Fr. Filippo de Florentia Romano Prouinciali ſumpta.

Fr. Laurentius de Tuderto vir præſtantiſſimus, à Nicolao III. cum Ioanne de Vercellis Magiſtro Ord. Internuncius mittitur in Flaminiam, Bononiamq; vt populos illos in debita erga Apoſtolicam Sedem obedientia contineret, anno 1278 Sacramentumq; fidelitatis à cunctis Ciuitatum Procuratoribus ſuſciperet. Idem Pont. Max. Fr. Laurentiū ad Guidonem Monteferetrium delegauit, vt moneret eum, ne Apoſtolicæ Sedis Bona vſurparet.

Ex Monumen. huius Conuent.

TITVLVS IX.

De Conuentu Sancti Romani de Luca.

NOnum conſequitur locum in Romana Prouincia Lucenſis Conuentus, cuius prima fundamenta talia ſunt.

Anno 1236. Abbas S. Pantaleonis Ciſtercien. Ordinis de ſuorum Monachorum aſſenſu Fr. Ioanni Romanæ Prouinciæ Prouinciali, ad inhabitandum à noſtris, dono dedit Eccleſiam Sancti Iuliani cum annexo paruo Monaſterio, nec non & Eccleſiam Sancti Bartholomæi cum vnito ei hoſpitali, omnibus iuribus, bonis, ac pertinen ijs illius, intra Lucen. ciuitatem exiſten. dato de hac conceſſione publico inſtrumento die 19. Iulij, Fratribus Orlandino Piſano Priore,

ac Ventura, qui postmodum inibi primus extitit Prior, talem donationem, nomine, & pro nostro Ordine, ac Romana Prouincia acceptantibus.

Prope has paruas Ecclesias maior altera erat, S. Romano Mart. dicata, in qua eiusdem S. Mart. corpus quiescebat, Parochiali cura gaudens, & ad Monachos Benedictinos, Abbatemque S. Pontiani, cuius monasterium extra Vrbis mœnia erat collocatum, pleno iure pertinens, cum institutione Parochi, & hanc idem Abbas Ordini donauit, cum omni sacra suppellectile in ea existente, Fratre Ventura supradicto acceptante, hac tamen conditione, ac lege, vt annis singulis Martio mense denarium vnum paruæ monetæ in censum suo Monasterio, atq; Abbati persolueretur á nostris: quam donationem Innocentius IV. anno 1245. confirmauit.

Emère postmodum Patres nostri ab eisdem S. Pontiani Monachis, quasdam vicinas domos, pretio librarum 370. pro conuentus ædificio; at quia ipsis annexa erat altera parua Ecclesia Sanctæ Mariæ Virg. dicata, cum horto, rogauèrũt nostri Monachos, vt & hæc sibi venderent, quod cum facere recusarent, mandante tandem Innocentio Pont. id executioni datum est 25. Febr. an. 1248. libris 160. exbursatis á Fr. Romeo de Passignano tunc ibi Priore, qui præfatam Ecclesiam illicò solo æquari voluit.

Anno 1286. Præfecti Hospitalis S. Peregrini vendidère nostris Fratribus hortum spectantem ad Ecclesiam S. Leonis pretio florenorum aureorum sexcentum, donantes illis eandem Ecclesiolã in ipso horto existen. Priore tunc temporis F. Saluo de Barga, Sindacoque F. Adalberto de Guarmignano Lucen. stipulantibus, atque ementibus, quod fuit auctoritate Apostolica Nicolai IV. confirmatum.

His quinque paruis Ecclesijs, annexisque domibus dirutis constabilitus est conuentus, S. Romani dictus, ab Ecclesia amplio.i, publicis Reipub expensis à fundamentis excitata, atque anno 1280. perfecta, corpore Sancti Romani in eam

P transf-

translato : quam tandem ob trabes fatiſcentes,nouo ædificio pulchriorem, atque elegantiorem , fornice ſuperaddito reddiderunt Patres huius conuentus præteritis annis, vt vidimus, viginti millibus ſcutis conſumptis.

Maximus eſt nobilium, atque Lucen. populi ad hanc Eccleſiam concurſus , deuotionis cauſa erga S. P. Dominicũ, atque Beatiſſimam Virginem , cuius Sacrum Roſarium ſingulis diebus recitatur : Patribus ipſis , ſermonibus , ſacris confeſſionibus, atque exhortationibus populum ad diuina prouocantibus.

Prodière ex hoc cœnobio, velut genitrice fœcunda, viri incliti, vitæ probitate, doctrina, atque ſacris infulis ſpectabiles, qui eidem, atque Ordini magnum præbuère laudis ornamentum, ex quibus ſequentes recenſemus.

Fr.Pacificus Burlamachius Lucen. prouecta ætate Ordinem ingreſſus, orationibus, meditationibus, ieiunijs,atq: regulari obſeruantiæ ità ſe totum dedit , vt apud Rempub. populumque Lucen. in veneratione maxima eſſet,confluentibus ad eum cunctis, tanquam ad oraculum , atque in aduerſis conſolatorem. Deceſſit 13. Febr.anno 1519. Sanctus communi acclamatione dictus,cuius corpus inſepultum diu ſtetit, fidelibus eius veſtes lacerantibus, atque in proprias ædes, velut reliquias ſacras deferentibus.

Fr.Franciſcus de Bernardinis, & ipſe regularis obſeruantiæ cultor egregius, corpus ſuum in ſeruitutem redigens, ſpiritui ſeruire cogebat. Puellarum Congregationis Angelorum confeſſor inſtitutus, earum cor longo temporis decurſu erga Agnum Sponſum virginum inflammauit; deceſſit an. 1590. Octob.9. nobilibus cunctis cum Lucen. populo illius exequias celebrantibus.

Cœterùm alios omittentes, ponamus pro huius conuentus coronide Fr.Angelum Orſucium, qui in eodem religioſo habitu indutus 16. annorum in ætate conſtitutus ſolemniter profeſſus eſt 18. Iunij 1589. Studiorum cauſa in Hiſpaniam contendens, illis terminatis , in Ipponem verbum

Dei

Dei infidelibus illis annunciaturus perrexit, vbi sacra prædicatione, atque vitæ exemplo plurimos sacros regenerationis lauacro Ecclesiæ filios dedit: cumque id Barbaris illis innotuisset, in carcerem cum pluribus alijs Euangelij ministris coniectus, damnatus est ad mortem, lento igne subeundam. Pronunciata coram illis sententia, Deum, qui se ad cœlestia regna vocabat, laudantibus, Angelus alta voce *Te Deum laudamus intonuit*, cœteris canticum prosequentibus. Ad locum supplicij ductus, & ad palum ligatus, eleuatis in cœlum luminibus gratias agebat Deo bonorum omnium largitori, qui inter cętera sibi collata beneficia maximum hoc agnoscebat, vt in obsequium catholicæ fidei vitam, & sanguinem profunderet. Læta igitur facie, exultabundoque spiritu, cum vreretur, laudabat Dominum, alta voce *Te Deum laudamus*, repetens corpore a terra eleuato, vultuque in similitudinem Angeli emicante, quo in tormento fęlicem spiritum Deo reddidit an. 1622. Septemb. decima. Eius cum socij Beatificationis causa in Sacra Rituum Congregatione agitur.

De Infulatis, & Scriptoribus alibi erit sermo.

In eodem conuentu Generalia Ordinis Comitia celebrata sunt an. 1288. magno Fratrum concursu, á Dominis Reip. copiosis eleemosynis pro eorum alimonia elargitis.

Hæc omnia ex eiusdem nobilis Conuentus monumentis eruta sunt.

T I T V L V S X.

De Conuentu Sancti Dominici de Aretio.

CONuentus Sancti Dominici de Aretio antiqus est, obtinetq; inter Prouinciæ cęteros locum decimum. Initium habuit sub Magistro Ordinis Ioanne Theutonico an-

no 1242. apud eum instante eiusdem ciuitatis Magistratu, qui constituto Fratribus pro conuentus, atque Ecclesiæ constructione loco, copiosis eleemosynis ædificio adiutricem manum porrexère: Florebat enim tunc & populo, & opibus Aretium, inter nobiliores Etruriæ Vrbes recensitum.

Fuit priscis temporibus Conuentus hic Fratrum numero spectabilis, quippè qui multos alebat, inter alios, Patres vocales, sicuti antiqua eiusdem tabularia testantur; floruitque & viris illustribus, & opibus: at cum redditus illius in molendinis super Arnum constitutis, sibi à Ciuitate dono datis consisterent, ex aquarum irruptione submersis molendinis, conuentus redditus ita perière, vt vix paucissimos fratres alere posset. Quapropter subtractus est ab eo Prioratus titulus, qui tandem post longum temporis decursum eidem restitutus est in Capitulo Generali Romæ anno 1629. celebrato.

Ecclesia ampla, lataque est, inter principaliores Prouinciç computanda. In ea, sicut & in conuentu eodem celebratũ est primũ Conclaue S.R.E. Card. pro electione Summi Pontificis, in quo electus est F. Petrus de Tarantasia ex nostro Ordine, Innocentius V. dictus, in antiquo refectionis loco, sicut monumenta eiusdem conuentus testantur, quod anno 1276. contigit.

Produxit Conuentus hic viros conspicuos, inter quos iure merito recensendus, est Fr. Hyacinthus Subianus Aretinus in Orientem Apostolicus Missionarius à Sac. Congregatione de Propaganda fide directus an. 1640. fideles ibidem in catholica fide, atque Apostolicæ Sedis veneratione constabiliturus, quod præstitit, Edessen. primò, Smirnen deinde Archiepiscopus, ac tandem Vicarius Patriarchalis Constantinop. effectus, de quo infra.

Sed & Fr. Franciscum Romeum de Castilione Aretino ex hoc conuentu prodijsse dicendum videtur: nam cum Aretij adolescens litteris operam daret apud Patres nostros, Spiritu Sancto cor eius dirigente, Religionis habitum ab eidem

eiſdem non ſemel conſtantiſſimè petijt. At cum ibi nouitiorum domus non eſſet, miſſus eſt à Patribus Florentiam, vbi apud S. Marcum regularis obſeruantia tunc temporis florebat, quo in conuentu ad Ordinem receptus, operibuſq; pietatis addictus, ita litteris, ac virtutibus claruit, vt Prouincialis Terræ Sanctæ primò, Romanæ Prouinciæ poſtmodum, Procurator Ordinis deinde, ac tandem Magiſter Generalis renunciatus ſit Romæ anno 1546. de quo infra.

Fr. Antoninus Nattus Aretinus de hoc conuentu Magiſt. in Sac. Theologia præſtantiſſimus, atque iu Generali Studio Romanæ prouinciæ Regens præteritis annis, eundem ſuis virtutibus illuſtrauit.

Ex monument. huius Conuent.

T I T V L V S XI.

De Conuentu Sancti Saluatoris de Spoleto.

ANno 1236. cum quidam ex noſtris, Fr. Petrus nomine, quadrageſimali tempore conciones ad populum haberet Meuaniæ, ſuæ prædicationis vi, Deoq; inſpirante, allexit Iuuenem nobilem, Iacobum nomine, Ioannis Bianconij filium ex eiuſdem loci nobilioribus, præſtantioribuſq; viris, ad mundi contemptum, noſtræque profeſſionis amplexum. Terminato igitur quadrageſimali curſu, inde digreſſus, Iacobum ſecum Spoletum adduxit, religioſo habitu induendum. Ibi à Patribus noſtris, qui vt locum, pro fundando Conuentu reciperent, aduenerant, inter ſe aſcriptus, mirabiles in via Dei fecit progreſſus, vt dicemus.

Non fixère tamen pedem ibi noſtri vſque ad annũ 1247. quo Spoletani ciues, annuente Bartholomeo eiuſdem ciuitatis Epiſcopo, religioſa Fratrum conuerſatione, atque præ-

dica-

dicatione allecti, illis situm quendam intra ciuitatis mœnia, in quo erat Capella, seu Ecclesiola S.Saluatori dicata, pro conuentus ædificio concessère cum quibusdam annexis domunculis, rogaueruntque Raynerium Capocium S.R. Eccl. Diaconum Cardinalem S.Mariæ in Cosmedin, in Patrimonio D.Petri, atque Vmbria Apostolicum Legatum, vt huiusmodi concessionem, atque donationem approbaret, quod illicó præstitit Cardinalis, erga Ordinem nostrum maximè affectus, quippè qui nobis Viterbij Conuentum Gradensem construxerat, sequenti decreto edito.

RAINERIVS miseratione Diuina S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis in Patrimonio Ecclesiæ B. Petri in Tuscia, Ducatu Spoletano, & Marchia Anconitana vicem Domini Papæ gerens, Vniuersis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino.

DEscribere volens Apostolus effectus proprios charitatis, ait inter cætera, quòd in viro iusto non quærit quæ sua sunt, idest specifica hominis, sed potius, quæ multorum, cum de se ipso idem asserat, quòd non quærebat, quod sibi esset vtile, sed quod multis: nam cum omnia lucra temporalia reputaret vt stercora propter Christum, omnia omnibus factus erat, vt Christum lucrifaceret in hominibus conuertendis, paratus pro animabus Discipulorum super impendere semetipsum. Porrò cum vnum petat à Domino fidelis anima, quia vnum est necessarium, scilicet apprehendere brauium vocationis æternæ, debent se filij Ecclesiæ ad

hoc

hoc opus mutuò adiuuare. Quare bona temporalia, quæ substramenta sunt spiritualium, debent ij, qui abbundant liberaliter ministrare illis, qui relictis omnibus propter Christũ, verbo prædicationis, & exemplo vitæ laborant iugiter pro æterna proximorum salute. Illis autem assignanda sunt loca idonea in Vrbibus plebium generositate refectis, qui velut Campi Ductores Tyrones instruant, & telis virtutum arment spiritualiter bellatores ad pugnandum contra vitia, & peccata. Cum igitur charissimi nobis in Christo fratres Prædicatores, qui verbo prædicationis, & honestæ conuersationis exemplo, separando pretiosum à vili, possunt iuxta Prophetam os Domini antonomasticè nominari, non habeant in tota Valle Spoletana domum propriam ad manendum, & dilecti filij Spoletinus Populus desideret, vt in sua ciuitate continuum habeant incolatum, prudentiores Ciuitatis consideratis diutius regionibus, & Parrocchijs vniuersis, deliberatione prouida elegerunt Sancti Saluatoris capellulam, quæ spectat ad Monasterium Sancti Petri de Ferentillo, & decreuerunt locum illum ad opus fratrum existere magis aptum, promittentes illam stationem insufficientem, & nimis arctam de bonis Communitatis ampliare ad hortum, officinas, Domos, & Ecclesiam construendas; vndè nobis instanter pluries per Nuncios, & literas humiliter supplicarunt, vt prædictis fratribus locum illum authoritate qua fungimur concedere deberemus. Nos ergo attendentes, quòd ex Fratrum Prædicatorum in eadem ciuitate conuersatione cõtinua lucra proueniant animarum maxima, Domino annuente, ne ad hoc opus defectu loci conuenientis impediatur tantum bonum: & quia tot, & tantarum animarum salus,

lus, quæ Fratrum ministerio creditur illi Ciuitati, & Locis finitimis prouentura, est penitus bonis temporalibus præferenda; Spoletinorum Ciuium supplicationibus in hac parte propter Deum, & animarum profectum duximus annuendum. Hinc est igitur quòd nos authoritate, qua fungimur prædictam capellam cum domibus, & casalmis ipsi capellæ circumadiacentibus, Fratribus Prædicatoribus ad construendum ibi Oratorium, & necessarias officinas concedimus liberaliter, & libenter. Mandantes Domino Fidantio Clerico Spoletano, & Domino Lucæ Priori Sancti Marci Spoletano vt eos de loco ipso debeant inuestire; Contradictores per censuram Ecclesiasticam compescendo. Vt autem Abbas, & Conuentus præfati Monasterij S. Petri contra nos materiam non habeant murmurandi, sic eis duximus prouidendum, vt nos, vel quicunque pro Romana Ecclesia præfuerit in Ducatu, eis assignet propter hoc recompensationem congruam cum expedierit, & se locus, & tempus obtulerint opportuna. Datum Anconæ nono Kalendas Maij Pontif. Domini Innocentij Papæ IV. Anno quinto.

Spoletani igitur Ciues, & ij, ad quos de inuestiendis Fratribus in dicta Capella spectabat, accitis alijs eiusdem Ordinis professoribus, præter illos, qui Spoleti degebant, in possessionem Capellæ, locorumque circumadiacentium eos immiserunt; & hi solertiores in animabus verbo Dei reficiendis, sacrisque exercitijs ad pietatem, & sanctimoniam inducentibus, effecti, singularum hebdomadarum quartas ferias peculiari modo spiritualibus exercitijs addixère, ad quæ factus est tantus populi concursus, vt in admirationem actus Legatus, sequentem Indulgentiam qua-

dra-

draginta dierum de iniunctis pœnitentijs, dictam Ecclesiam visitantibus singulis primis mensium quartis ferijs, sit in hunc modum elargitus.

RAINERIVS Miseratione Diuina *S. Mariæ in Cosmedin* Diaconus *Cardinalis in Patrimonio Ecclesiæ in Tuscia,* Ducatu *Spoletano, & Anconitana Marchia vices* Domini *Papæ gerens,* Dilectus *in Christo sibi Vicepriori, & Fratribus Prædicatoribus de Spoleto salutem in* Domino.

R*Egis æterni gloriam, qui in plebis fidelis, & deuotæ multitudine delectatur, productis de thesauris suis muneribus ad releuandam sarcinam peccatorum tanto studiosius intendimus procurare, quanto id placère Diuinæ credimus Maiestati, cuius omnipotentia parcendo, & miserando maximè declaratur, præsertim cum illis pro illius gloria munus remissionis confertur, qui præssi miserijs Matrē misericordiarum humili deuotione requirunt, & intra marinos vortices ventorum collisi turbinibus in festinatum postulant auxilium Stellam maris. Cum igitur nos, sicut accepimus, mensibus singulis in prima die Mercurij mensis ipsius fidelem Populum conuocantes in honorem Gloriosæ Virginis, proposito eisdem Diuini verbi pabulo, Missarum solemnia celebretis, vt ex frequentia populi Mater in fide filij gloriosius prædicetur, & plebs fidelis venæ vitæ cælestis suffragantibus meritis veniam accipiat peccatorum; om-*

nibus veré pœnitentibus, & confessis, qui ad Ecclesiam vestram ipsa die cum deuotione accesserint, peccaminum suorum veniam petituri, Quadraginta dies de iniuncta sibi pœnitentia authoritate qua fungimur misericorditer relaxamus. In cuius rei testimonium præsentes litteras fecimus nostri sigilli munimine roborari. Datum Esij tertio idus Octobris Pontificatus Domini Innocentij Papæ Quarti Anno sexto.

Spoletani populi concursus ad Ecclesiolam nostram Sancti Saluatoris calcar fuit eiusdem ciuitatis Rectoribus, atq; nobilibus, vt de ampliori construenda Ecclesia cogitarent, quod & executioni mandatum est.

Dum hæc agerentur contigit vt S. Petrus Martyr in regressu ex Vrbe Mediolanam versus, Spoletum attingeret. Ibi à Fratribus rogatus, vt publicam concionem ad populum haberet, exhortando illum Magistratum, vt omissis inanibus expensis, totis viribus ad perficiendum inceptum Ecclesię nouum ædificium animum applicarent. Annuit Sanctus, publicaque in platea saxum conscendit, & exhortando populum ad vitæ supernæ summum bonum anhelandum, eos ita ad prosequtionem fabricæ inflammauit, vt aduenientibus hinc, inde eleemosynis, breui temporis decursu terminata, ac completa sit Ecclesia ampla, lataque Spoletani populi ad diuina confluentis capax.

Anno 1257. consecrata iam Ecclesia Alexander Quartus in Festo S.P. Dominici, & S.Petri Mart. eam visitantibus, centum dies Indulgentiæ concessit, sequenti decreto Apostolico.

ALE-

ALEXANDER EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei, Vniuersis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis.

Salutem, & Apostolicam benedictionem.

VEre perennis gloria, qua mira benignitas Conditoris omnium beatam coronat aciem Ciuium supernorum à redemptis precio sanguinis fusi de prætioso corpore Redēptoris, meritorum debet acquiri virtute, inter quæ illud esse pregrande dinoscitur, quod ubiq; & in Sanctorum ecclesijs maximè Maiestas Altissimi collaudetur. Rogàmus itaq; uniuersitatem vestram, & hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus ad ecclesiam dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Ordinis Prædicatorum Spoletan. imploraturi à Domino delictorum ueniam in humilitate spiritus accedatis; Nos enim ut Christi fideles quasi per præmia salubriter ad merita inuitemus, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius authoritate confisi, omnibus uerè pænitentibus, & confessis, qui ad ecclesiam ipsam in festiuitatibus Beatorum Dominici Confessoris, & Petri Mart. eiusdem Ordinis professorum, & in Anniuersario die Dedicationis eiusdem ecclesiæ, ac septem diebus immediatè sequentibus causa deuotionis accesserint annuatim, centum dies de iniuncta sibi pænitentia misericorditer relaxamus. Datum Anagniæ sexto Kalendas Iulij Pontificatus nostri Anno quinto.

Cœterum ne vllo vnquam tempore lis, aut difficultas suboriretur circa validitatem concessionum factarum in fauorem Fratrum nostrorum à Cardin. Legato Apost. idem Alexander Pont. cuncta in hunc modum confirmauit.

ALEXANDER EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei, Dilectis filijs, Priori, & Fratribus Ordin. Prædicatorum Spoletanis.

Salutem, & Apostolicam benedictionem.

CVm à nobis petitur quod iustum est, & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Sanè petitio vestra nobis exhibita continebat, quod bon. mem. Raynerius S. Mariæ in Cosmedin Diac. Card. tũc in Patrimonio eiusdem B. Petri in Tuscia, Ducatu Spoletano, & Marchia Anconitana fœlicis recordationis Innocentij Papæ prædecessoris nostri vices gerens vacantem Capellam Sancti Saluatoris in Ciuitate Spoletana positam, & spectantem ad Monasterium Sancti Petri de Ferentillis tunc Ordinis Sancti Benedicti Spoletanæ Diœcesis cum Domibus, & Casalinis ipsi Capellæ adiacentibus ad construendum ibidem Oratorium, & officinas vestris usibus opportunas vobis concessit, prout in ipsius Cardinalis patentibus literis inde confectis plenius continetur. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati concessionem huiusmodi ratam habentes, & gratam, ipsam authoritate Apostolica, & de speciali gratia confirmamus, & præsentes scripti patrocinio communimus,

de-

defectum (si quis fuit in concessione huiusmodi) supplentes de plenitudine Apostolicæ potestatis. Tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad uerbum præsentibus inseri fecimus, qui talis est. Rayncrius miseratione Diuina S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis in Patrimonio ecclesiæ Beati Petri in Tuscia, Ducatu Spoletano, & Marchia Anconitana vicem Domini Papæ gerens, vniuersis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino.

Describere volens Apostolus effectus proprios charitatis ait inter cætera, quod in viro iusto charitas non quærit quæ sui sunt, idest specifica hominis, sed potius quæ multorum, cum de se ipso idem asserat, quod non quærebat, quod sibi esset vtile, sed quod multis; Nam cum omnia lucra temporalia reputaret ut stercora propter Christum, omnibus omnia factus erat, ut Christum lucrifaceret in hominibus conuertendis, paratus pro animabus Discipulorum superimpendere semetipsum. Porrò cum unum petat à Domino fidelis anima; quia unum est necessarium scilicet apprehendere brauium vocationis æternæ, debent se filij Ecclesiæ ad hoc opus mutuis suffragijs adiuuare. Quare bona temporalia, quæ substramenta sunt spiritualium, debent ij, qui abbundant liberaliter ministrare illis, qui relictis omnibus propter Christum verbo prædicationis, & exemplo vitæ laborant iugiter pro æterna proximorum salute. Illis autem assignanda sunt loca idonea in Vrbibus plebium generositate refectis, qui velut campi Ductores tyrones instruunt, & telis virtutum armant spiritualiter bellatores ad pugnandum contra uitia, & peccata. Cum igitur carissimi nobis in Christo Fratres Prædicatores, qui uerbo prædicatio-

nis,

nis, & honestæ conuersationis exemplo separando pretiosum à uili possunt iuxta Prophetam os Domini antonomasticè nominari, non habeant in tota Valle Spoletana domum propriam ad manendum, & dilecti filij Spoletinus Populus desideret, ut in sua ciuitate continuum habeant inco latum: Prudentiores ciuitatis consideratis diutius Regionibus, & Parochijs uniuersis, deliberatione prouida elegerunt Sancti Saluatoris Capellulam, quæ spectat ad Monasterium Sancti Petri de Ferentillo, & decreuerunt locum illum ad opus Fratrum existere magis opportunum, promittentes illam stationem insufficientem, & nimis arctam de bonis communitatis ampliare ad hortum, officinas, domos, & Ecclesiam construendas. Vndè nobis instanter pluries per Nuncios, & literas humiliter supplicarunt, ut prædictis Fratribus Locum illum authoritate, qua fungimur, concedere deberemus. Nos ergo attendentes quod ex Fratrum Prædicatorum in eadem ciuitate conuersatione continua lucra prouenient animarum maxima, domino annuente, ne ad hoc opus defectus loci conuenientis impediat tantũ bonum: & quia tot, & tantarum animarum salus, quæ Fratrum ministerio creditur illi Ciuitati, & Locis finitimis prouentura, est penitus bonis temporalibus præferenda: Spoletinorum ciuium supplicationibus in hac parte propter Deum, & Animarum profectum duximus annuendum. Hinc est igitur, quod nos authoritate qua fungimur prædictam capellam cum domibus, & casalinis ipsi capellæ circumadiacentibus Fratribus Prædicatoribus ad construendum ibidem Oratorium, & necessarias officinas concedimus liberaliter, & libenter. Mandantes Domno Fidantio Clerico Spoletano, & Dom-

no

no Lucæ Priori S. Marci Spoletano, vt eos de Loco ipso debeant inuestire; contradictores per censuram Ecclesiasticam compescendo. Vt autem Abbas, & conuentus præfati Monasterij S. Petri contra nos materiam non habeant murmurandi, sic eis duximus prouidendum, vt nos, vel quicũque pro Romana ecclesia præfuerit in Ducatu, eis assignet propter hoc recompensationem congruam cum expedierit, & se locus, & tempus obtulerint opportuna. Datum Anconæ nono Kalend. Maij Pontif. Dom. Innocentij Papæ IV. Anno 5.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, & suppletionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Anagniæ quintodecimo Kal. Iunij Pontif. nostri Anno sexto.

His Apostolicis fauoribus constabilitus est Conuentus, atque Ecclesia Spoletana. Inter S. Martires autem solemni ritu relato S. Petro de Verona ab Innocentio IV. ann. 1253. Spoletani Ciues recepti ab eo beneficij, dum sibi sacras exhortationes habere fuit dignatus, non immemores, publico decreto Confraternitatem sub eiusdem S. Mart. parrocinio erexère, in qua nobiliores cuncti pro magno ducunt honore coaptari; Diuoq; tutelari suo in proprio Oratorio tale erexère monumentum.

S. Petro Martyri.
Cuius patrocinio societas hæc
Sub ipsius ferme Martyrium erecta
Per trecentos, & quinquaginta circiter annos
Suffulta stetit.

Ne

Nè tam diuturnæ tutelæ memoria
Fragili membranæ commiſſa
Temporis iniuria deleretur
Confraternitas Patri Optimo
Perenne hoc monumentum
Communi voto poſ.
Anno à Natiuitate Domini
M. DC. XXX.

Huius Sancti Martyris patrocinium non ſemel experti ſunt Spoletani, & præcipuè ann. 1419. cum Thomas de Petruccis militum ſtipatus caterua, clandeſtina irruptione facta, Spoletanum populum cum eorum obſeſſa ciuitate igne, ac ferro perdere intentabat. Omni igitur humano auxilio ſe deſtitutos agnoſcentes, ad S. Martyris clientelam confugerũt cuncti, enixè illum ſupplicantes, vt in tantis calamitatibus ſibi patrocinari non dedignaretur. Adfuit illicò auxilium de Sancto; nam die 29. April. S. Martyri Sacra repentè turbato cœlo, mugière tonitrua, atque fulgura, & grandines tanto impetu ſuper hoſtes deſcendère, vt in confuſionem acti, ciuitatis intentatam obſidionem dimittere coacti ſint, pugnante viſibiliter in eos Sancto Mart. quibus auxilijs freti Spoletani, irruentes in hoſtes, ad vnum omnes trucidauerũt. In tanti igitur beneficij monumentum, ex Senatu conſulto, Spoletana ciuitas S. Petrum Martyrem perpetuum ſibi Patronum delegit, vexillumque cum parta victoria conſici voluit appoſita inſcriptione: *Victoria Vexillum*, quod ſingulis annis à Clero, atque Religioſis, comitante populi caterua huius S. Martyris feſto die ſolemni proceſſione inſtructa, ad noſtram defertur Eccleſiam, in qua inter cœteras inſignes Reliquias aſſeruatur ſacer Clauus, ad cuius conſpectum maligni Spiritus contremiſcunt, ac fugiunt; & hũc vnum eſſe ex ijs, quibus Dominus Noſter Ieſus Chriſtus Cruci affixus eſt, ex ſequentibus manifeſtatur.

Anno

Anno 1464. Cum B. Gregorius de S. Britio Spoletanæ diœcesis heremiticæ vitæ,quam in monte Lucio longo annorum decursu duxerat, venerabilis, diuino spiritu cor illius dirigente, post visitata redemptionis nostræ sacra Palestinæ loca in propriam cellam reuersurus, per Adriaticum mare nauigio vectus, ad littus deiectus fuisset,in eo iacentem clauum sanguine conspersum vidit; & dum donum cœleste mirabundus considerat, astitit illicò Angelus de cœlo,& iacentem clauum, vnum ex ijs, quibus mundi Redemptor cruci affixus est, à S.Elena procellam subortam sedatura, in mare proiectum,seruum Dei Gregorium monitum esse voluit, & euanuit. Dono cœlesti recreatus ille, in propriam cellam illud intulit, eaque reuerentia, quæ tantæ rei debebatur, continuata veneratione adorauit vsque ad mortem, quam lætus an.1473. aspexit, & factum soli confessario suo tunc manifestauit. Cum verò eius in dicto loco successor Heremita clauum cum alijs in cellula adinuentis ferramentis fabroferrario, propè nostram S. Saluatoris Ecclesiam existenti vendidisset, adfuit statim confessarius, & sacrum clauum subreptum Fratribus nostris,enarrato euentu, dono dedit,qui tantũ thesaurum læti suscipientes,& in argenteam custodiam concludentes, annis singulis feria 6. in Parasceue solemni apparatu, & magno populi concursu publicæ adorationi exponunt, à malignis spiritibus vexatis eiulantibus. De hoc S.Clauo historiam contexuit, & euulgauit P. Fr. Petrus Martyr Frosciantes Prædicat. Generalis Romæ anno 1644.

Datus est Ordini in hac ciuitate B. Iacobus de Meuania, de quo cum de Conuentu Meuanien. tractabimus, erit sermo: & Fr.Rayno Spoletanus, vir peregregius, atque in sacra scriptura versatissimus, Generalis Procurator Ordinis in Curia à F.Ioanne de Vercellis institutus, qui suis virtutibus Romanam Prouinciam plurimum illustrauit.

Ex monumen. huius Conuent.

TITVLVS XII.

De Conuentu S. Dominici de Tipherno.

ACcepit Tipherni Religio nostra Conuentum an. 1269. obtinetque in Romana Prouincia locum duodecimū. Erat cœnobium hoc Monachorum Benedictinorum, ad quod aduentantes Fratres nostri, dum Perusio Tiphernum euangelicas missiones completuri petebant, ab ipsis Monachis benigno hospitio recipiebantur. Cum verò Tiphernates ciues operibus charitatis, salutiq; animarum Fratres nostros addictos agnoscerent, egère cum Nicolao eiusdem ciuitatis Episcopo, vt dimissis Benedictinis, qui tenui numero ibidem ægrè degebant, Monasterium Fratribus nostris inhabitandum concederet. Petitio aut absurda visa est Episcopo, qui Ordinem vnicè diligebat, negotioque cum Abbate discusso, promptos agnouit Monachos ad Monasterium deserendum, quod annuente Episcopo, datum est nostris Fratribus Perusinis possessionem sumentibus; Apostolico beneplacito etiam interueniente.

Gauisi sunt supra modum Tiphernates, de nostrorum in propriam ciuitatem aduentu, & ad diuina apud ipsos confluentes, de angusta nimis Ecclesia conquerebantur, quæ aduentantem populum recipere neutiquam poterat.

Cogitauère igitur Tiphernates ære publico ampliorem Ecclesiam ædificare, quam non longo annorum decursu ad optatum finem perduxère; estque vna ex maioribus Prouinciæ.

Communia mala expertus est Conuentus hic, quando grassante lue per Italiam, imò per Europam totam, ità depopulata fuit ciuitatem hanc, vt ex nostris neq; vnus remanserit superstes. Desolatum igitur remansit cœnobium annis pluribus vsq; ad 1388. quo cum pestilentiæ rigor decli-

nas-

nasset, ad Tiphernatum instantiam reuersi sunt nostri illuc. Regularem autem obseruantiam eidem restitutam esse anno 1495. ex Regest. Ioachini Thurriani Mag. Ordin. habemus, qui illud Congregationi S. Marci de Florentia subegit.

Semel atq; iterum cœnobio hoc incendia passo, periere eius monumenta, atque scripturæ; quare cætera ad illud spectantia silentij tenebris inuoluere cogimur.

Fr. Vincentius Maria Pellegrinus suis virtutibus conuentum hunc illustrauit; nam Magister in Sacra Theologia Romanæ Prouinciæ effectus, Perusij, atque Vmbriæ Generalis Inquisitor euasit, rexitq; Sacrum tribunal annis pluribus. Decessit anno 1654. apud Perusium.

Nobile germen huius ciuitatis, atque Conuentus fuit F. Petrus Capuccius nobilibus ortus natalibus, sed vitæ sanctitate mirabilis, qui in nostro Cortonensi conuentu in cœlum euolauit, de quo ibi. Sed & B. Margarita de Castello dicta, Ecclesiam nostram, atq; Religionem plurimum illustrauit. De qua infra.

TITVLVS XIII.

De Conuentu Sancti Dominici de Prato

ANno 1281. cum Generalia Ordinis comitia Florentiæ haberentur, & Patres nostri S. Mariæ Nouellæ per ciuitates, & castella circuirent enunciantes verbum Dei, Pratensis Magistratus ex communi ciuium decreto, nuncios ad Patres in Capitulo congregatos misit, vt conuentum Ordinis apud se fundare dignarentur, promittentes se eis, & locum, & necessaria cuncta concessuros. Re à Patribus maturè discussa, decretum est Prati fabricandum esse conuentum, causa commissa Fr. Petro de Romanis Gallo Prouinciali Romano, qui cum in Conuentuum visitatione detine-

retur, FF. Philippo de Iudice, & Saluo de Luca iniunxit, vt Pratum peterent, ibique cuncta ad ædificium necessaria pararent. Confluentibus igitur eleemosynis, constructum est cœnobium cum Ecclesia ad Ordinis munia accommodatissimum, primo imposito lapide à Guidalaste Vergellesio Pistorien. Episcopo 21. Maij an 1283. & P. Mag. Fr. Nicolao de Prato, qui posteà S.R.E. Card. creatus est, eleemosynas emendicante.

Permansère in regulari obseruantia huius cœnobij Patres vsque ad annum 1348. quo irruente in Europam totam pestilentia maxima, dispersis hinc indè Fratribus, deperdita est: neq; in eodem illā restitutā legimus vsque ad an. 1495. quo Ioachinus Turrianus Magister Ordinis illam restituturus, conuentum hunc Congregationi S.Marci de Florentia subegit personaliter Prati existens, & Vicario Congregationis tradens.

Numeratur hic inter præcipuos conuentus Romanæ Prouinciæ, in qua tertiumdecimum sibi vendicat locum, suntq; sub Prioris, tanquam Vicarij cura tria insignia Sororum nostrarum Monasteria, de quibus suo loco tractabimus.

Prodijt ex Prato celebris vir ille Fr. Nicolaus S.R.E. Cardinalis, qui Monasterium Sororum nostrarum S. Nicolai ibidem instituit, & Legationibus, factisque peregregijs, ac virtutibus Ordinem nostrum illustrauit, de quo infra.

Sed & Fratres Ludouicus, & Lottus de Prato sacra verbi Dei prædicatione in Italia famosi conuentum hunc clariorē reddidere sub Magistris Ord. Leonardo Mansueto, atque Iachino Turriano, eorum Regestis testimonium perhibentibus. & præteritis annis Cherubinus Malaspina, Io: Carolus Baldouinettus, & ante ipsos Zenobius Medices ibidem Priores, ad Burgi S. Sepulchri Episcopatum assumpti sunt, primus quidem ab Alexandro Papa VII. Io: Carolus à Clemente IX. Zenobius verò ab Vrbano VIII.

Ex monument. huius Conu.

TITV-

TITVLVS XIV.

De Conuentu Sancti Dominici de Fulgineo.

OBtinuère Fratres nostri Fulginei, extra mœnia tamen Ecclesiolam cum annexa casa circa annum 1260. vbi tanquam in hospitio degebant, illuc ex Perusio ad verbum Dei anunciandum venientes: steteruntq; ibi vsque ad annum 1269. quo cum esset Episcopus F. Paparonus de Paparonibus ex nostris, commodiorē ab eo locum intra ciuitatis mœnia, cum horto, alijsque commoditatibus necessarijs pro noui conuentus, atque Ecclesiæ ædificio consequuti sunt: quæ omnia ipse tradidit F. Vbertino Latarino instituto procuratori ad hæc recipienda nomine Religionis: & hæc concessio ab Honorio IV. confirmata est, dato Breui 3. Iulij eiusdem anni.

Aedificium patrocinatus est Episcopus eleemosynis copiosis, quod cū ciuibus innotuisset, Pastoris sui exēplo excitati, tales adiutrices manus porrexère, vt nobile cœnobiū, nobiliusque templum, amplum, & latum, populi ad diuina confluentis capacissimum, breui temporis interuallo constructa sint, Religiosis ipsis se bonorum omnium præbentibus exemplum.

Defecit in hoc conuentu sicut & in reliquis grassante lue, regularis obseruantia, quam reassumere neglexit vsque ad Pij V. tempora, sub Romana Vicaria constitutus, qui anno 1566. Pontificatus sui primo Apostol. Breui illum Romanæ Prouinciæ subiugauit die 5. Apr. dato, quod exequtioni mādaturus F. Eustachius Locatellus Vicarius, ac Procurator Generalis, Perusium adijt, assumptisq; FF. Matthæo Lachio ibi-

ibidem Inquisitore, Dominico Mazzetta, Dominico de Meniconibus, Benedicto de Nicolao, Clemente de Pistorio, Gregorio de Filettino; nec non F. Iacobo de Fauentia conuerso, Fulgineum venit, dimissisq; Fratribus Romanæ Vicariæ, conuentũ eis inhabitandum tradidit, vbi sub regulari obseruantia ità vixère, vt Clemens Papa VIII. huic conuentui indulserit, vt nouitios ad Ordinem recipere, & alere posset, quod & præstitère Patres, nouitiatu ibidem permanente vsque ad Innocentij X. tempora, qui an. 1649. Sacris Ordinibus vniuersis interdixit receptionem quorumcumque ad habitum in Italia, Insulisq; adiacen. absque speciali Sedis Apostolicæ licentia obtenta, qua ferè per decennium denegata, ità imminutus est Fratrum numerus, vt non essent qui Sacro Altari inseruirent, & cœnobia cuncta Sacerdotes summoperè sitirent. Reddita postmodum sub Alexand. VII. recipiendi nouitios ad habitum, cum moderaminè tamen facultate, huic conuentui denegata est.

Dedit conuentus hic & Prouinciæ, & Ordini viros, tum pietate, quum litteris conspicuos, inter quos recensetur Fr. Hieronymus de gl'Atti, non minus natalibus, quàm virtutibus conspicuus qui cum Prioris munus in conuentu SS. Ioannis, & Pauli Venetijs exerceret, vitæ sanctitate celebris perrexit ad Christum 9. Augusti 1593. cuius effigies cum B. titulo visitur in claustro huius conuentus, quem in numero Fratrum alendorum defecisse notabiliter nostris temporibus conspeximus: obtinetque in Prouincia locum quartumdecimum.

Ex eiusdem Conu. monument.

TITV-

TITVLVS XV.

De Conuentu Sancti Dominici de Camerino.

AB Anno 1260. fuisse datum Ordini cęnobium à Camerinen. ciuibus, asserit Plodius noster par. 2. lib. 1. quo autem anno erectum sit in prioratum, ignoramus; cum eiusdem Conuentus monumenta nullam de hoc mentionem faciant, quæ tamen anno 1320. a Communitate Camerinensi se triginta libras annuales eidem in eleemosynam dono datas esse in subsidium, idque confirmatum fuisse anno 1331. affirmant.

Diu Conuentus hic subditus mansit Vicario Congregationis Marchiæ; at cum & Fratribus, & temporalibus bonis nimis esset destitutus, ex Ciuium sententia, atque instantia, Romanę Prouincię traditus est an. 1561. qui & se daturos Fratribus in possessione illius florenos ducentum pro Conuentus reparatione promiserunt. At res dilata est vsque ad Pij Quinti tempora Vicarijs Marchiæ reluctantibus. Tandem anno 1578. ad supplicationem Alphonsi Binatini Episcopi, Ciuiumque dictæ ciuitatis, Pontifex Max. Greg. XIII. Sixto Fabro Vicario, ac Procuratori Ordinis, vt illum sub cura Romanæ Prouinciæ constitueret, mandauit. In cuius decreti exequtionem, eiusdem possessionem nomine Romani Prouincialis subeundam iniunxit Fr. Hieronymo de Riccijs Aretino Priori, qui tunc temporis quadragesimalem prædicationis cursum in Ecclesia S. Venantij peragebat, litteris sequentibus datis.

Molto

Molto Venerando Padre.

Con questa mia vi dò auuiso come quanto prima il R.P. Prouinciale *gli manderà quelli RR. Padri, che hà promesso mandare per seruitio di cotesto* Conuento*. In tanto V.P. in nome mio pigliarà il pensiero di cotesto conuento, facendosi consegnare fedelmente tutte le robbe, libri, e scritture del conuento, pigliando del tutto fedele inuentario; & anco gli lo comando in virtute Spiritus Sancti, &* S. *Obedientiæ sub formali præcepto in pœnitentiam suorum peccatorum; & che non si parta da costì senza mia particolar licenza, mà segua il gouerno del conuento, con quello spirito, che Nostro Signore si degnarà di darli. Non altro. preghi per me, e compagni. Roma* 17. *Marzo* 1578. *Cons. in Domino Fr. Sixtus Lucen.*

A tergo Al Molto R.P. Prædicator di Camerino dell'Ordine de' Predicatori Proc. & Vic. Ord.

Fr. Hieronymus igitur die 22. Martij eiusdem anni, præsentibus Episcopo, Magistratuq; ciuitatis, nomine Romani Prouincialis possessionem conuentus subiuit.

Anno 1608. factus est Prior huius conuentus Fr. Ioannes de Viscantibus, cuius tempore de mandato Pauli V. Pontificis constitutus est Vicarius S. Inquisitionis in eadem ciuitate tali decreto.

Al R.P. Inquisitore di Perugia.

R*euer. Padre. Hauendo li Priori della Città di Camerino fatt'istanza, che iui si deputi alcun Padre dell-*

dell'Ordine di S. Domenico per Vicario del Sant' Offitio; la Santità sua hà risoluto, che io scriua à V. P. che ella deputi per vicario del S. Offitio in detta Città alcun Padre dell'Ordine di San Domenico che sia pratico, idoneo, e sufficiente ad esercitare tal carica, e che per l'auuenire ella eserciti l'offitio d'Inquisitore in detta città, e sua Diocesi, con la giurisdictione, facoltà, e prerogatiue necessarie, come ella esercita in altre città notate nella patente della sua deputatione, facẽdola registrare ne' libri de cotestà Inquisitione, per instruttione de' suoi successori, e si conserui sana. Di Roma li 17. di Luglio 1610.

Di V. P. come fratello

Il Card. Mellini.

Accessit igitur P.M. Inquisitor de Herculanis Camerinum 9. Augusti, & possessionem ibidem, & in tota Diœcesi iniјt, affixis de more Sacri Tribunalis consuetis edictis; institutoq; Vicario suo Fr. Ioanne Viscante Priore S. Dominici, discessit diœcesim lustraturus.

Idem Fr. Ioannes Academiam Philosophiæ sub auspicijs Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis fundauit, *Constantium* nominatam, quæ vsque in hodiernum diem sub cura Ordinis perseuerat.

Nobile germen huius cœnobij fuit P. F. Dominicus Cimichettus ex Magistris Prouinciæ, & hic eidem Accademiæ longo annorum decursu præfuit, conuentumque nouis ædificijs auxit, & nobilitauit, qui 15. locũ in prouincia obtinet.

Est sub cura Prioris in eadem Ciuitate Monasterium Ordinis sub titulo S. Catharinæ hoc nostro sæculo fundatum, de quo infra.

Ex monumen. huius Conu.

TITVLVS XVI.

De Conuentu S. Dominici de Cortonio.

COenobium hoc primum fuit post deperditam in Ordine regularem obseruantiam, quod illam iterum amplexatum est in Romana Prouincia. Nam cum B. Raymundus de Capua Magister Generalis pro illa Ordini restituenda, decreuisset auctoritate Apostolica Bonifatij Papæ IX. in vnaquaque Prouincia constituendum esse conuentum vnum, in quo iuxta tenorem Constitutionum nostrarum viuerent Fratres, in Romana prouincia delectus est hic inter cæteros pro tali effectu circa annum 1391. ex quo factum est, vt pluribus affectus sit priuilegijs à Superioribus nostris, inter quæ illo, vt nouitij in regulari obseruantia educandi, in eodem reciperentur ad habitum.

Floruit Conuentus hic superioribus sæculis, & qualitate, & numero Fratrum, qui ibidem sacris legibus imbuti Ordinē nostrum, atque Prouinciam plurimum suis virtutibus illustrauère. Inter cæteros autem, qui Religionis tyrocinia in eo habuerunt, mirabiliter eluxit S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, qui in Fesulano cœnobio ad Ordinem receptus, ad hoc à superioribus missus est, vt ibi probationis tempus tereret, in via Dei dirigendus à Fratre Laurentio de Ripafracta viro sanctissimo, de quo infra.

F. Guido Brunellus Cortonensis in sacris litteris eruditus, cum esset magni nominis Theologus, atque concionator celebris à Clemente VII. circa annum millesimum quingētesimum trigesimum Nicosiensis Archiepi. creatus est, cui Ecclesiæ Pastor bonus annos plures præfuit.

In hoc conuentu spiritum creatori reddidit Fr. Petrus de Capucijs de Tipherno, vir vitæ sanctitate celebris, miraculis-

que

que clarus, cuius corpus sub Ara maxima eiusdem Ecclesi S. Dominico dicatæ, conditum iacet tali elogio.

B. Petrus Capucius de Tipherno
Ordinis Prædicatorum
Virtutibus præditus; Miraculis clarus
Prophetico spiritu repletus
Plenus meritis.
Ac omnibus Ecclesiæ Sacramentis receptis
Ex hac mortali vita
Ad immortalem euolauit 12. Kal. Nouemb.
Circa annum M. CCCC. XXXXV.

Cœtera huius cęnobij monumenta, qui sextumdecimum in Romana Prouincia consequitur locum, igne fuere consumpta.

TITVLVS XVII.

De Conuentu Sancti Iacobi de Meuania.

SPoleti Dominicanæ Religionis habitum suscipiens Beatus Iacobus de Meuania ex nobili de Blanconibus familia anno 1236. in vitæ sanctitate, ac litteris peregregiè excultus, ad instaurandã, atq; restituendam patriæ deperditam Christianam pietatem, ob ministrorum euangelij inopiam, animum applicuit. Quapropter frequenti ad illam accessu conciues suos sacris exhortationibus ad mundi contemptũ, Sacramentorumque frequentiam inflammabat. At cum huiusmodi discursus non modicum eidem, & socijs afferret incommodum, cogitauère Meuanates de conuentu Ordinis construendo pro illorum domicilio, quod & præstitum est, Bartholomęo Acorambono Spoletano Episcopo annuente,

copiosasq; eleemosynas pro illius ædificio elargiente, ciuibus etiam cunctis certatim idem præstantibus.

Dum hæc agerentur, B. Iacobus quotidianis sacris declamationibus in hæreticos Fraticellos, quibus Meuania affluebat, addictus, Ottonellum illorum Ducem, & Antesignanum, eiuratis erroribus, ad agnitionem veritatis, maxima Meuanatum exultatione perduxit, atque ad petendam veniam ab Apostolica Sede induxit.

Anno igitur 1271. nouum ædificium incoluère Patres nostri, superiore ibidem constituto eodem B. Iacobo, qui datam Ordini Ecclesiam, angustam nimis pro populi, ad diuina conuenientis, concursu cognoscens, ad ampliorem construendam animum applicuit, quod & exequtioni mandatum est an. 1291. sub titulo S. Georgij Mart. vnius ex Sanctis tutelaribus Meuaniæ, ex ciuium decreto, qui copiosas pro illius structura eleemosynas porrexère; vnde breui temporis decursu perfecta est, ipso B. Iacobo adhuc superstite, qui octuagenario maior paulò post in cœlum ibidem euolauit anno, 1301. de quo S. Antoninus 3. p. hist. tit. 22 hæc ait. *In conuentu Meuaniæ propè Fulgineum requiescit corpus Fratris Iacobi inde oriundi, cuius corpus ego vidi integrum, & desiccatum ad modum statuæ ligneæ; hic valdè deuotus fuit, & miraculis gloriosus.*

Anno autem 1302. eius corpus exhumatum die prima Maij integrum, incorruptumq; repertum, populo venerandum exhibitum est, reclusum postmodum in marmoreo sepulchro, ex quo post centum annos erutum, atque incorruptum, tractabileque repertum, in lignea arca reconditum est in Ara eiusdem Ecclesiæ, quæ communi nomine Beati Iacobi nuncupatur.

Asseruatur ibidem statua lignea Iesu Christi Crucifixi ex qua copiosus sanguis in signum salutis eiusdem Iacobi emanauit, dicentis: *Sanguis iste sit in signum tuæ salutis*: quo & manus, & facies, & vestimenta illius fuère consperſa.

Anno

Anno 1375. Conradus Trincius Fulginei Dominus copiosa militari manu in Meuaniam irruens, ità illam deuastauit, vt Patrès nostri conuentum deserere sint coacti; ad quē sequenti anno reuersi sunt cum Frat. Ventura Camasseo, inter illos doctrina, ac litteris præstantiore, qui in eodem conuentu ad Ordinem receptus, ad instaurationem cœnobij, & Ecclesiæ animum applicuit, à militibus vna cum Archiuio, inclusisque scripturis igne consumptis, inter quas erat processus de vita, moribus, sanctitate, ac miraculis B. Iacobi, qui & alterum iuxta tenorem prioris ipse compilauit, ibidem asseruatum. Decessit verò Ventura relicto posteris sanctioris vitæ odore, in hoc conuentu anno 1400. Septembris 14.

Pro eiusdem Conuentus, atque Ecclesiæ instauratione non modicum insudauit & P. Fr. Nicolaus de Meuania, ejusdem alumnus, qui 11 Iulij an. 1398. perrexit ad Christū, eiusque vitam Plodius noster, Baptista Piergilius, & Iacobillus compilauêre. In separatione Prouinciæ à Vicaria Romana à Clemente VII. facta, Vicariæ fuit addictus conuentus hic, sub qua vsque ad annum 1592. permansit, quò Augusti 28. S. Augustino sacra, cum Romana Prouincia fuit incorporatus ex decreto Cardinalis nostri Alexandrini Ordinis Protectoris, à P. Mag. Fr. Vincentio Asturicense Vicario, ac Procuratore Generali exequtioni dato, Prioreque S. Dominici de Perusio Fr. Leandro Lessio eius nomine possessionem iniente; Fratribus ex Perusino, atque Fulginat. conuentibus desumptis, & P. Fr. Antonio Gilio Romano primo Priore ibidem instituto. *Ex monum. eiusdem Conu.* qui 17. locum in Romana Prouincia consequitur.

TITV-

TITVLVS XVIII.

De Conuentu Sanctæ Mariæ Maioris de Narnia.

A Primo Ordinis sæculo obtinuère Patres nostri hospitium Narniæ, extra ciuitatis mœnia tamen, in quo permanserũt propriæ professionis non immemores, prædicando, Sacramentaque ciuibus illis ministrando vsque ad Benedicti XI. Pontificis Sanctissimi ex Ordine nostro assumpti tempora, sub quo, Orlando eiusdem ciuitatis Episcopo, actum est de commodiori, aptiorique loco illis attribuendo conclusumque est, concedendam fore Parochialem Sanctæ Mariæ Maioris Ecclesiã cum horto, domibusque annexis, quæ antiqua Episcopalis Ecclesia fuerat; de consensu tamẽ Archipræsbyteri, Canonicorumq; nouæ Cathedralis, quibus eiusdem cura fuerat demandata; & hæc omnia executioni data sunt Apostolica concessione Benedicti XI. Pontif. Max. quæ talis est tenoris.

BENEDICTVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei, Venerabili Fratri Leonardo Episcopo Albanensi.

Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

SAcræ Religionis merita dilectorum filiorum Prioris, & Conuentus Ordinis Prædicatorum de Narnia, sub qua virtutum omniũ militantes ipsisper vitæ meritum, & alijs pro-

proficiunt per exemplum, instanter exposcit, vt illa eos gratia fauorabiliter prosequamur, quam ipsorum fore conspicimus necessitatibus opportunam. Cum itaq; ex parte eorundẽ Prioris, & conuẽtus fuerit expositum coram nobis, vt Ecclesiã S. Mariæ Maioris de Narnia, in quà nunc resident, hactenus eis concessã per dilectum filium Archipresbyterum, & Capitulum Ecclesiæ prælibatæ: Nec non, & per Venerabilem Fratrem nostrum Orlandum Episcopum Narniensem: timentes in posterum ratione curæ dictæ Ecclesiæ molestari, tanquam uiris pacificis liberè donaremus. Nos super hoc ipsis prouidere volentes, dictam Ecclesiam S. Mariæ Maioris, cum Parochia, domibus, casalenis, & hortis, cæterisque bonis, iuribus, & pertinentijs suis infra muros dictæ ciuitatis consistentibus eidem, & conuentui Apostolica authoritate concessimus, & pia liberalitate donauimus. Ac ab ea ex nunc dilectum filium Archipresbyterum, & Canonicos, cui prædictæ Ecclesiæ cura competere posset, dimittentes, ac prædictæ Ecclesiæ S. Mariæ Maioris cum Parochia, casalenis, hortis, iuribus, & pertinentijs suis, alterius assensu minimè requisito, eidem Priori, & conuentui licentiam liberam exibemus: volumus autem, & authoritate prædicta duximus statuendum, quòd dictus Prior, & Conuentus ijsdem Parochianis per se, vel per aliũ, aut Capellanum idoneum Ecclesiast. Sacramẽta administrare, cum cura prædictæ Ecclesiæ S. Mariæ Maioris eidem Poiori, & successoribus suis Prioribus dicti loci, qui pro tempore fuerit, imminere, ipsaque per fratrem exerceat, vel Capellanum, cuius institutionem, & destitutionem, quoties viderint oportunum, ad eos decreuimus pertinere.

Nolu-

Nolumus tamen, quod Venerabili Fratri nostro Episcopo Narniensi, vel eius successoribus, qui pro tempore fuerint, sint dicti Prior, & successores in aliquo, vel idem Capellanus ratione dictæ curæ subiecti, vel sibi de cura dictæ Ecclesiæ aliquatenus respondere, vel aliquam de spiritualibus, vel temporalibus reddere rationem. Possessiones autem, & alia bona immobilia dictæ Ecclesiæ S. Mariæ Maioris Episc. Narniensi secũdùm pacta inter eos habita, reseruamus, perpetuis eius vsibus applicando. Quo circa fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eosdem Priorem, & conuentum, vel Procuratorem suum, eorum nomine in corporalem possessionem dictæ ecclesiæ per nos eis, vt præmittitur concessæ, per te, vel per alium, seu alios inducas, & defendas inductos, non obstantibus, si aliquibus à Sede Apostolica sit indultum, quòd excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione posposita, compescendo. Datum Perusij 11. Kal. Iunij 1304. Pontif. nostri Anno primo.

Post consequtam ab Ordine hanc Ecclesiam, quæ Archipræsbyterali insignita erat titulo, Prior pro tempore conuentus Archipræsbyter erat, conueniebatque cum Episcopo, cœterisque dignitatibus, ac Canonicis ad diuina in magnis solemnitatibus in choro matricis Ecclesiæ, perseurauitque talis mos vsque ad vniuersalem pestilentiam, quæ Europam totam deuastauit, quo tempore sublatis, ac fugatis Fratribus cunctis desolatum est cœnobium, quod non nisi post multos annos iterum inhabitatum est: & tunc temporis perijt quoque Archipræsbyteralis titulus, dignitas, atq; præcedentia in Prioribus sequentibus.

Ex-

Extra ciuitatis mœnia erat quoq; Monialiũ noſtrarũ Tertiariarũ cœnobiũ ſub cura Ord. quod totaliter deſolatũ remanſit cõmuni lætali morbo ciuitatem inficiente circa an. 1548. quarum bona partim huic noſtro conuentui, partimq; menſę Epiſcopali ex communi concordia noſtrorum cum Epiſcopo fuère attributa, publico confecto de hac re inſtrumento die 27. Ianuarij anno 1550. Sub reformata Congregatione Lombardiæ fuit Narnien. conuentus poſitus anno 1465. à Magiſtro Generali Martiali Auribello ad regimen Ordinis eodem anno reaſſumpto, perſtititq; ſub illius regimine vſq; ad annũ 1532. cuius tũc poſſeſſionem inijt Prouincialis Romanus 15. Maij, primo Priore inſtituto P.Fr. Alexandro Benciuenne. Verùm bonorum direptionem paſſus eſt ſub Clemente VII. Pont. Max. dum poſt depopulatam Vrbem in ſua reuerteretur exercitus, qui ſub Borbonio Romam inuaſerat.

Ex Monumen. huius Conuentus, qui 18. locum tenet inter cœteros Prouinciæ.

T I T V L V S XIX.

De Conuentu Sanctæ Agnetis de Monte Politiano.

CONuentus hic antiquo tempore Sanctæ Mariæ Nouellæ dictus, tale habuit principium, vt illius monumenta teſtantur. Fundauit B. Agnes noſtra de Monte Politiano in caſtro Procenæ ad illius communitatis reiteratas ſupplicationes Monialium Monaſterium noſtri Ordinis, illiſque in via Dei, Religioniſque conſtitutionibus benè informatis, ad Montem Politianum patriam ſuam, alterum Sacrarum Virginum cęnobium conſtructura reuerſa eſt. Erat ibi extra ciuitatis mœnia collis à meritricibus inhabitatus, quem ex

loco contumeliæ, in Virginum ſacrarium vertendum eſſe; monita diuiuitus B. Agnes, emendicatis hinc inde pecunijs, Monaſterium Ordinis ibidem conſtruxit anno 1306. cum Eccleſia S. Mariæ Nouellæ nuncupata, cui Summi Pontificis iuſſu inuita fuit præfecta. Floruit cœnobium illud ſacris Virginibus in pietate, vitæque ſanctitate cum regulari obſeruantia enutritis, toto tempore, quo inter mortales vixit B. Agnes, eaque in cœlum euolata, exterminauit vineam illam Dei electam aper de ſilua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam; nam propriæ profeſſionis immemores Sorores, vanitatibus ità ſe dedère, vt ad maiora euitanda ſcandala, petentibus ciuibus, coactus ſit Magiſter Generalis Bartholomæus Texerius auctoritate Apoſtolica Eugenij IV. inobedientes, atque laxiores in paternas domos demittere, obſeruantes verò ad Monaſter. S. Pauli de Vrbeueteri transferre an. 1435. & hoc pacto diſſolutum eſt Monaſterium.

Interea Fratres noſtri, qui hoſpitium ſub Conuentu, ac Priore Vrbeuetano incolebant ibi ſine Eccleſia, in Plebana ſacra miniſteria complebant, poſtmodum apud S. Lucam; tandemq; eodem anno 1435. ex conceſſione ipſius Eugenij Papæ obtinuère derelictum noſtrarum monialium ædificiũ, & Eccleſiam S. Agnetis nuncupatam, cum bonis omnibus, ac redditibus ad ipſas quomodolibet ſpectantibus, dato Apoſtolico Breui, quod ſequitur.

EVGE-

EVGENIVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei, Dilecto filio Priori Prouinciali Prouinciæ Romanæ Ordinis Fratrum Prædicatorum secundum morem dicti Ordinis.

Salutem, & Apostolicam benedictionem.

P*Iis votis fidelium, ijs præsertim, qui Diuini cultus augumentum, & animarum salutem respiciunt libẽter annuimus, atque fauoribus prosequimur opportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filij* Iacobi *de Regno Ordinis Fratrum Prædicatorum professoris, & in Romana Curia eiusdem Ordinis Generalis Procuratoris petitio, continebat, quòd moniales Monasterij Sanctæ Agnetis extra muros Montis Politiani Ordinis* S. *Augustini Aretinæ Diæces. sub habitu, & cura dictorum Fratrum viuentes: propter guerras, & alias calamitates, quibus Prouincia illa hactenus afflicta fuit, & conuersationem malarum gentium armigerarum à semitis religiosæ pietatis fuerint abductæ, & deuiæ factæ adeo, quòd eis est necessarium pro earum salute, cum de earum reductione spes non habeatur, vt ad alia monisteria transferantur, quodque in Ciuitate Vrbeuetana est monasterium Monialium Sancti Pauli eiusdem Ordinis, & sub habitu, & cura dictorum Fratrum viuentium, in quo admodum paucæ moniales remanserunt, quæ paratæ sunt moniales dicti Monasterij Sanctæ Agnetis recipere, & etiam*

retinere. Quare pro parte dicti Iacobi nobis fuit humiliter supplicatum, vt in præmissis opportunè prouidere, ac monasterium prædictum S. Agnetis, pro vsu, & habitatione vnius Prioris, & nonnullorum Fratrum dicti Ordinis Prædicatorum concedere de benignitate Apostolica dignaremur: Nos igitur de præmissis certam notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus de præmissis omnibus, & singulis auctoritate nostra te diligenter informes, & si per informationẽ iuridicam vera esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, moniales prædicti Monasterij S. Agnetis ad præfatum monasterium S. Pauli, si sint honestæ conuersationis, & famæ, vel ad alia similia monasteria noua dictorum Fratrum existentia, in quibus voluntarias inuenerint receptrices, cum dotibus, ac rebus, & bonis suis eadem auctoritate transferas, & nihilominus postquã eas, vt præfertur transtuleris, monasterium S. Agnetis præfatum, dignitate Abatiali in eo pariter suppressa pœnitus, & extincta, pro vsu & habitatione vnius Prioris, & nonnullorum Fratrum dicti Ordinis Prædicatorum eadem auctoritate deputes, & eis concedas; Nos enim, si translationem, & suppressionem, & concessionem huiusmodi feceris, vt præfertur, Priori, & Fratribus, qui in ipso monasterio S. Agnetis pro tempore morabuntur, vt omnibus, & singulis priuilegijs, habilitate, exemptionibus, gratijs, & indultis, quibus alia monasteria, atque domus Fratrum eiusdem Ord. Prædicatorum gaudent, & vtuntur, ipsi pariter vti valeant, & eis gaudere tenore præsentium indulgemus; fel. rec. Bonifacij Papæ Octaui prædecef-

deceſſoris noſtri, illa præſertim, qua prohibetur, ne Fratres Ordinis Mendicantium in aliqua ciuitate, caſtro, ſeu villa, aut loco quocumque domus ad habitandum denuo recipere, vel habitare, & receptas mutare præſumant, abſq; Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de prohibitione huiuſmodi mentionem, & alijs conſtitutionibus Apoſtolicis, contrarijs non obſtantibus quibuſcumque. Parochialis Eccleſiæ, & cuiuslibet alterius præmiſſis omnib. ſemper ſaluis. **Datum** *Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadrageſimo trigeſimo quinto duocimo Kal. Iulij Pont. noſtri Anno quinto.*

In Monialium igitur Eccleſiam, atque ædes ingreſſi Fratres, animarum ſaluti addicti, Politanenſium ciuium animos ita breui temporis decurſu allexère, vt affluentibus eleemoſynis aſſequtum ædificium cum Eccleſia in meliorem, ampliorem que formam redegerint, quibus pro commodiori eorum ſuſtentatione, idem Eugenius Pontifex hoſpitale ab Angelo Daneſio fabricatum, Apoſtolica auctoritate conceſſit, commiſſa cauſa immiſſionis in poſſeſſionem eorundem Clugien. Epiſcopo anno *1436.*

His auxilijs freti Patres noſtri, ieiunis, orationibus, animarumq; ſoluti intenti, non modicum ſpiritualem fructum Deo authore obtinuērũt, in ea vocatione, in qua vocati erant conſtanter permanentes vſque ad annum 1502. quo cum à priſtino regularis obſeruantiæ rigore deflexiſſent, à Vincentio Bandello Magiſtro Generali ſubditus fuit Conuentus Congregationi reformatæ Lombardiæ, cuius poſſeſſionem inière Lombardi 2. Maij eiuſdem anni, à quibus auctus eſt in ædificiis, manſitque ſub eorundem cura vſque ad annum 1531. quo Nouembris die 3. de mandato Clementis VII. Pont. Max. dimiſſis in ſuam prouinciam Lombardis, reſtitutus eſt Romanæ Prouinciæ, Patre Angelo Diaceto, Prouinciali

ciali Romano illum recipiente, & Fr. Angelo Bettino Florentino Priore ibidem instituto.

Nobilis est huius cęnobij, atque Ecclesiæ structura, in qua sub maiori ara B. Agnetis de Monte Politiano corpus integrum requiescit cum pluribus alijs reliquijs, parua cruce, quam à collo infantis Iesu detraxit; nec non & ampulla mannæ candidæ, crucis effigiem multiplicem referentis, quæ super illius tumulum, dum S. Catharina Senen. illud veneraretur, adinstar niuis toto illo loco pluere cępit.

Dedit Ordini, atque Prouinciæ Conuentus hic viros, & pietate, & doctrina spectabiles, inter quos recensendi videntur PP. Dominicus ex nobili familia de Auenionensibus huius cœcobij singularis promotor: Franciscus Maria Samuelius Clusinus S. Theol. Mag. qui de Canonica electione, ac sepulturis egregiè scripsit, nec non & Mag. Nicolaus Barberius diuersorum operum authorum.

Anno 1560. Nouembris 20. decreuère ciues Montis Politiani nouum construere sacrarum Virginum Monasterium sub perpetua clausura, & habitu Ordinis, quod & conclusum est, aliquibus monialibus ex Monasterio S. Pauli de Vrbeueteri pro fundatione euocatis, datusque est sub Ordinis cura per publicum instrumentum die 3. Iulij anno 1569. perseuerauitque sub eadem vsque ad Gregorij XIII. tempora, multis contentionibus inter nostros, ac Ciues Politianos subortis, causa iurisdictionis super idem monasteriũ; cumque moniales minori, qua tenebantur, obedientia erga Superiores nostros essent affectæ, atque in Episcopi, ciuiumque partes declinarent, ex Ordinis cura reiectæ sunt annuente Card. Alexandrino Protectore.

Ex monnmen. eiusdem Conuen. qui 19. locum habet in Romana Prouincia.

TI-

TITVLVS XX.

De Conuentu Sancti Dominici de Pistorio.

AB anno 1281. Fratres nostros Pistorium incoluisse, ex quibusdam instrumentis perantiquis asserit P. Fr. Ioseph Dondorus Capuccinus in libro *Della Pietà di Pistoia.* Cęterum non nisi in hospitio tunc permansisse sibi à Pistoriensibus ciuibus, donec construeretur conuentūs, concesso; credimus; Certum est autem anno 1318. fuisse Priorem P.F. Rinaldum de Cancellarijs in Conuentu Pistoriensi, publico ære constructo, sicuti liber quidam Cancellariæ eiusdem ciuitatis fol. 29. testatur, in quo quadratos lapides cunctos ad Ecclesiæ ædificium pernecessarios communibus ciuium expensis emptos fuisse asseritur; nec non & eleemosynas copiosas pro conuentus, atque Ecclesiæ constructione ab eisdem, atque nostro Cardinali de Prato fuisse elargitas, ita vt anno 1331. fuerint eadem ædificia perfecta, P.F. Luca Mannello ibidem tunc Priore.

Nobilis est Ecclesia hæc, in qua vna ex spinis dominicæ coronæ asseruatur, à milite quodam in direptione Vrbis sub Clemente VII. furto sublata, atq; Fratribus nostris publico documento dono data, vigetq; in Pistoriensi Populo erga Beatissimam Virginē SS. Rosarij, nec non D.P. Dominici deuotio singularis.

In eadem requiescit B. Laurentij de Ripafracta Pisani ex Ord. nostro corpus, de quo S. Antoninus eius discipulus ad Priorem nostrum Pistoriensem scribens, hæc in eius laudē dicit.

Quest'huomo dall'hora prima della vigna di Dio sino alla dodicesima, cioè dall'adolescenza sua sino alla decrepità, hà virilmente lauorato, sopportando innumerabili fatiche,

senza

senza mai stancarsi; anzi con somma giocondità per l'amor di Dio. Se i mondi di quore vedono à faccia à faccia Iddio, chi fù mai più di questo Beato puro d'anima, e di corpo, il quale frà le pungenti spine de' lusingheuoli piaceri assiduamente nell'vdienza delle confessioni si mantenne illibato? Crocifisse il suo corpo con la parcità del magnare, e bere più che la sanità non comportaua. Gran tempo portò vn' infirmità in vna gamba con molta patienza. Penetrò con l'assidua meditatione nella lege del Signore molti oscuri passi, & secreti misteri della Sacra scrittura. E chi da questo Padre si partì mai sconsolato? Piango anch'io con l'istessi Pistoiesi piangenti per la morte del B. Lorenzo, se bene sopra vn carro di fuoco è quello in cielo stato rapito, il quale era di quel popolo carro, e cochiero. Mi condolgo anche meco stesso non aspettando più dalle sue mani lettere, con le quali m'eccitaua all'esequtione del zelo Pastorale.

Hæc ille. In cœlum euolauit anno 1457. cui Pistorienses publico ære parentauère, sepulchrumque sequenti elogio: *& cum veneratione maxima totius Cleri, & Populi,* inquit S. Antoninus *construxere*.

Laurentio Pisano Prædicatorum
Sacerdoti Venerando
Summæq; sanctitatis viro.
Populus Pistorien. tanquam de se benumer.
Publicis sumptibus faciendum curauit.
Obijt Kal. Octob. M. CCCC. LVII.
Vixit Ann. IIC.

Huic

Huic cœnobio annexa eſt cura Eccleſiæ S. Mariæ de Vinacciano, dicta *di Beluedere*, erga quam Piſtorienſes, finitimique incolæ ſumma ſunt deuotione affecti ob imaginem Beatiſſimæ Virginis in ea veneratam, quam ædificaſſe Frat. Franciſcum de Mato ex Piſtorien. conuentu, qui vitam cum morte commutauit anno 1490. conſtans traditio eſt.

Duo ibi Sacrarum Virginum noſtrarum nobilia Monaſteria ſub Prioris cura ſunt, quæ ſingulari florent pietate, atque obſeruantia regulari, inter quas eminet Soror Maria Theodora de Roſpilioſis Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis Papæ IX. Neptis; aliæq; ex eiſdem emanauère Virgines, vitæ ſanctitate venèrabiles, prout P. Ioſeph Capucinus ſupradictus refert.

Ex monumen. eiuſdem Conuentus. qui 20. locum inter conuentus Prouinciæ tenet.

TITVLVS XXI.

De Conuentu Sancti Iacobi de Sancto Miniate.

IN annum 1292. reicit Plodius p. 2. lib. 1. de Viris Illuſt. Ord. fundationem huius Couuentus; cœterum illam nō niſi anno 1329. contigiſſe monumenta illius plenam faciūt fidem: etenim illo anno Ioannes XXII. qui Pontificatus eiuſdem fuit 13. dedit Auenioni 22. Febr. Apoſtolicum Breue de fundando apud S. Miniatem conuentu Ordinis, directum Magiſtro Generali Barnabæ de Vercellis.

Accepto igitur Breui Apoſtolico, Barnabas illud F. Ioanni Pogiano Prouinciali Romano pro exequtione dedit, qui F. F. Iacobum Carfagninum Priorem Piſanum, Bartholomęū de Piſis, & Lucam de Sancta Cruce ſuos Procuratores ſpeciali-

cialiter constituit, vt Religionis, ac Romanæ prouinciæ nomine aptum locū pro fundando conuentu apud S.Miniatem ab illius Magistratu, & ciuibus reciperent. Processerunt illuc Patres, & à Præposito Matricis Ecclesiæ D. Vgone Malpiglio, de Canonicorum consensu, obtinuère Ecclesiam Sãctæ Luciæ cum annexa domo inhabitanda die 13. Iulij eiusdem anni 1329. Ibi sacris prædicationibus, cœterisque pietatis operibus addicti, ita Samminiatensium animos allexère, vt breui temporis decursu de ampliori, capacioriq; Ecclesia, ac cœnobio construendo cogitauerint, quod Deo bonorum omnium largitore præstante, ciuibusque adiutrices manus copiosis eleemosynis porrigentibus, fęliciter præstitum est, Sancto Iacobo Apostolo noua Ecclesia dicata.

Vix terminatis ædificijs, fugit velut vmbra ab eis Dominicanæ professionis nitor: suborta est enim pestis ingens, alibi relata, quæ Italiam totam deuastauit, & pereuntibus Fratribus desolatum remansit cœnobium annis pluribus, at lue tandem aliquando imminuata, reassumpserunt nostri cęnobium, cui Thomas Caietanus Generalis Magister regularem obseruantiam restituit an. millensimoquingentes. duodecimo, Congreg. S. Marci, quæ & Tusciæ dicèbatur, illud subdendo, & tandem in Prouinciam Romanam erecta, sub eadem apposita perseuerat, consequiturque 21. locum inter illius conuentus, in quo prouincialia Capitula anno 1411. & 1626. celebrata sunt. Ciuibus illis singulari charitate copiosas eleemosynas, ac cibaria toto Capitulorum eorundem tempore porrigentibus.

Ex monumen. huius conuent.

TITV-

TITVLVS XXII.

De Conuentu Sanctissimæ Annuntiatæ de S. Geminiano.

CVm Patres nostri S. Dominici de Senis in prædicationis euangelicæ vocatione, in qua vocati erant manẽtes, circuirent per ciuitates, & castella anunciantes verbum Dei, itá Sancti Geminiani ciues allexère, vt plures illorum, eorumque filij Ordinem Senis sint ingressi, inter quos recẽsetur Ioannes de Iacoppis, qui Fr. Ioannes de S. Geminiano in Ordine dictus est. Anno verò 1318. die prima Iulij Dom. Iacobus de Coppo Canonicus Plebanæ Ecclesiæ testamentum condidit, Naso de Orlando notario, quo domum in vico Sancti Matthæi Fratribus S. Dominici de Senis, & pro eis F. Ioanni prædicto pro hospitio in peccatorum suorum remissionem legauit, vbi tanquam in hospitio mansère Fratres vndecim annorum decursu.

Anno autem 1329. prima die Iunij Norus Petrini de Sancto Geminiano condidit testamentum, Hyppolito de Loteringio notario, quo domum prædicta nobiliorem, sitam in loco dicto *Monte Staffolo* ad effectum ibidem construendi conuentum, Ordini legauit.

Cum verò Barnabas de Vercellis Magister Gener. Apostolicum á Ioanne XXII. indultum consequtus fuisset in Sancti Geminiani, S. Miniati, atque Montis Politiani oppidis construendi tres conuentus, exequutionem illius Romano Prouinciali F. Ioanni de Poppis mandauit, qui selectos tres Patres Sangeminianenses, religione, ac doctrina venerabiles, cum alijs, omnibus numero duodecim, illuc misit, & 29. Iulij eiusdem anni 1329. oppidum ingressi, lectisque coram congregatis ciuibus Apostolico Breui, litterisque P. Prouin-

cialis patentibus,declarauère domum illam,ex hoſpitio Sancti Dominici de Senis,factam Conuentum Rom. Prouinciæ: elegeruntque ſequenti die ſibi Priorem P.F.Theobaldum de Aretio, qui ciuium eleemoſynis domum ampliauit,& in cænobij formam aptauit,in quo mansêre Fratres annos viginti quatuor.

At veró cum Sangeminianenſes anno 1353. Florentinorum ditioni ſe dediſſent, conuentum noſtrum in munitam arcem pro oppidi ſecuritate conuertèrunt,nobis aptiori loco conceſſo cum Eccleſia Sancti Stephani in Canoua, atq; conuentu ære publico conſtructo,qui modò eſt vnus ex pulchrioribus Romanæ Prouinciæ, cum clauſtro, horto, omnibuſque neceſſarij officinis. Diruta poſtmodum eſt parua S.Stephani Eccleſia, nouaque amplior, atque formoſior ſub nomine Sanctiſſimæ Annuntiatæ ciuium eleemoſynis ædificata, picturiſque præſtantiſſimis ornata à Fr. Bartholomæo de Bartholis huius conuentus alumno, Alexandro Papę VI. à Sacris confeſſionibus, atque Callien. Epiſcopo dono datis: de quo infra.

Dedit quoque Ordini,atq; Romanæ Prouinciæ conuentus hic ſingularis pietatis, & doctrinæ viros, inter quos recenſentur ſequentes.

Fr.Thomas de Antonio de S. Geminiano, à genitoribus prole omni deſtitutis, voto facto D. Thomæ Angelico Doctori, genitus, atque in lucem datus,in Ordine poſtmodum enutritus, mirabili vitæ ſanctitate floruit, ác in morte cęleſtibus apparitionibus ad luctam cum humani generis hoſte ſubeandam confortatus, victor tranſijt ad ſuperos in pronũtiatione Pſalmi *Qui Regis Iſrael intende, &c.*

F. Vincentius de Bartholis ex S.Geminiano in Rethorica, poeſi, atque græca lingua verſatiſſimus, diuini verbi præco famoſus effectus, in principalioribus Italiæ urbibus, quinimò, & coram Leone X. ac Clemente VII. ſumma cum laude declamauit. A magiſtro Generali Garzia de Loayſa in viſitatione Ordinis ſocius aſſumptus; tandem, & Procurator,

tor, & Vicarius eiusdem effectus est. Officium, quo nunc vtitur Religio in festo S. Antonini Archiep. Florentini composuit, quod ex Generalis Capituli Romani 1525. decreto recitatur in Ordine. Tandem cum in Romana Curia ad Episcopalem dignitatem promouendus esset, compleuit vitæ cursum an. 1527. in Minerua tumulatus.

F. Fęlix de Castro Franco vir doctus, magnique nominis Theologus à F. Vincentio Herculano Sarnen Episcopo ex Ord. nostro, theologus, Vicariusque Episcopalis assumptus, regimini illius Ecclesiæ dexteram porrexit incontaminatam inculpatæ vitæ exemplo omnibus se amabilem præbendo. Apostolicus Commissarius pro reparatione regularis obseruantiæ in Germaniam superiorem, atque inferiorem missus, suo exemplo Religiosos ad morum compositionem induxit. Decessit in conuentu nostro de Summa apud Neapolim Vicarij Generalis Sarnen. Episcopi præfati munus exercens 17. Iulij an. 1571.

Prouinciale Capitulum celebratum est in hoc conuentu anno 1550. copiosissimas eleemosynas ciuibus porrigentibus, quod 22. locum in prouincia tenet.

Ex monument. Archiuij Conuen.

TITVLVS XXIV.

De Conuentu S. Thomæ de Floriano.

VIgente regulari obseruantia in Cortonensi nostro conuentu, Patres illius zelo zelati pro Domino Deo exercituum, Florianum cum vicinis castris, pagisque frequenter petebant, vt fideles illos verbi Dei pabulo, Sacramentorumque ministerio reficerent; quibus allecti Florianenses ciues, publicis sumptibus domum pro Fratrum hospitio constituère, subordinatam tamen Cortonen. Conuentui,

quod

quod contigisse anno 1384. monumenta huius Conuentus probant. Tandem affluentibus ciuium eleemosynis, aucto que Fratrum numero, erectum est hospitium in conuentum Romanæ Prouinciæ circa annum 1400. cum Ecclesia Sancto Thomæ dicata satis ampla, & capaci.

Sub Alexandro Papa VI. anno 1498. Septembris 15. celebratum est in hoc conuentu Prouinciale Capitulum, assistente P. Ioachino Turriano Magistro Generali, cui Magistri 24. & supra 300. Fratres interfuère; & nouissimè elapsis annis, nempè 1649. Dominica *Deus qui errantibus*, aliud Capitulum Prouinciale ibidem celebrauimus, ciuibus illis adiutrices manus porrigentibus, benignèque nos tractantibus, atq; in suis domibus humanissimè recipientibus.

Fuit diu sub Romana Vicaria; tandemque mandante Magistro Generali Beccaria Prouinciæ subditus est an. 1589.

Cœterum cum in Florentinorum bello scripturæ huius cœnobij fuerint igne consumptę, aliud referre non valemus. Tenet autem 23. locum in Prouincia.

Ex monum. huius Conu.

TITVLVS XXIV.

De Conuentu Sancti Dominici de Fesulis.

VEnerabilis ille F. Ioannes Dominici S. R. E. Cardinalis adhuc in claustris Sanctæ Mariæ Nouellæ constitus, regularis vitæ desiderio inflammatus, è præfato cœnobio discedens, suadentibus nobilibus Florentinis, ad radices Fesulani montis accessit, conuentum pro regulari exacta obseruantia ibidem seruanda constructurus anno 1405. Fesulano Episcopo F. Iacobo de Altouitis ex Ordine nostro, nedum consentiente, verum, & manus adiutrices porrigente, ob quem effectum de Canonicorum suorum consensu vi-

neam pro loco ædificij eidem in perpetuum concessit.

Anno autem sequenti 1406. à Natiuitate Domini, die prima Martij primus ædificij iactus est lapis summa multorum Florentinorum, Episcopi, Fratrisq; Ioannis præfati lætitia, sub nomine, ac titulo S. P. Dominici, cuius festo die Augusto mense celebrato, in erecta ibi cappella solemne missæ sacrificium habuit Episcopus, frequenti Florentini populi, vicinorumque fidelium concursu; concessa fidelibus 40. dierum Indulgentia anniuersaria die illam visitantibus, quæ in constructione conuentus postmodum solo æquata fuit.

Primi huius cœnobij incolæ fuère S. Antoninus, & Fratres Bartholomæus de Monte Rappolo, Ioannes Masius Florentinus, Angelusque de Fabriano, ex Cortonensi conuentu missi; qui in festo Pentecostes eiusdem anni conuentum cum eodem Ioanne Dominici ingressi sunt: Quia verò ædificium ad inhabitandum nondum erat aptum, Romitorium Sancti Hieronymi quibusdam septimanis incoluère prius; Abbatiam Sancti Bartholomæi postmodum, vsque ad solemnitatem Natiuitatis B. Virginis, in qua & sequentibus diebus, non autem noctibus, in illo quieuère vsque adfestum Sancti Michaelis Archangeli 29. Septembr. & tunc fixère pedem ibi cum alijs Fratibus assignatis, numero 14. primo Priore F. Marco de Venetijs electo, acceptatusq; fuit conuentus in Capitulo Generali Bononiæ sequenti anno 1407. celebrato.

Eodem anno 1406. Fesulanus Episcopus F. Iacobus de Altouitis ex nostro Ordine pertimescens ne Fratres nouum cœnobium annuis redditibus destitutum, futuris temporibus essent dimissuri, publico instrumento 20. Nouemb. confecto, obligauit illos ad permanendum in eodem, non pauciores tribus; & in casu contrauentionis per duos continuos, ac integros menses, fabrica conuentus fundata in loco, ac situ ad Episcopalem mensam spectantibus, ad eandem ipso facto deuolueretur, F. Ioanne Dominico Commissario P. Genera-

neralis Fr. Thomæ de Firmo assentiente.

Cum verò F. Ioan. Dominici Florentinæ Reipub. ad Gregorium XII. Orator eodem anno missus esset, detineretúrque apud eum, creuit in Fratrum numero conuentus, affluentibus vndique eleemosynis, à Florentinis pia prodigalitate effusis, ita vt sexdecim essent, qui in rigurosa obseruantia regulari viuentes, maximum Ordini afferrent decorem. At electione facta Alexandri V. in Summum Pontificem anno 1409. cum Florentina Respublica eidem adhæsisset, ipsiq; Fratres nostri in veneratione Gregorij persisterent, imminutis eleemosynis, omnes nocturno tempore conuentu derelicto, Fulgineum petière, vbi à Hieronymo de Trincijs ciuitatis domino, Fratreq; Federico de Fretijs nostro Dominicano Episcopo benignè suscepti, cœnobium Sancti Dominici obtinuère inhabitandum, manseruntq; in assumpta obseruantia annos plures. Interim ne ad Episcopum deuolueretur Fesulanus conuentus, ipsum incoluère Fratres S. Mariæ Nouellæ de Florentia, à quibus & paulò post derelictus, ad Episcopum deuolutus est.

Dum hæc agerentur, creatur Episcopus Ragusinus, & S. R. E. Cardinalis à Gregorio XII. F. Io: Dominici, qui destitutionem sui Fesulani conuentus ferre non valens, ad eiusdem Pontificis pedes accessit, & restitutionē illius Ordini liberè, & in perpetuum, absque timore, clausulaque recaducitatis impetrauit. At morte sublato Iacobo, neque à successore Antonio Cardinale Caietano, cui Fesulana Ecclesia ab Alexandro V. commendata fuerat, neque à Bindo Ferruccio Episcopo conuentus restitutionem cōsequi valuit vsque ad Ecclesiæ vnionem, in Martini Papæ V. electione constabilitam, sub quo Leonardus de Mansuetis Magist. Generalis Ordinis Bindo paramenta Ecclesiastica valoris florenorum centum pro libera restitutione illius dedit, quæ pecunia eidem conuentui ex hæreditate patris S. Antonini obuenerat, sicque constabilitus est in Romana Prouincia, atque Ordine nostro conuentus Fesulanus, ad quem inhabitan-

bitandum quatuor Fratres illuc missi sunt an. 1418. ab eodem Mag. Generali: & paulò post Barnabas de Aglis Florentinus ciuis pro complendo conuentus ædificio sex millia florenorum eidem legauit.

Anno 1435. Ianuario mense ex beneplacito Apostolico Eugenij IV. data est eisdem Fesulanis Fratribus S. Georgij Ecclesia Florentiæ, in qua diuina, in eiusdem ciuitatis populi spirituale commodum, atque animarum salutem exercère valerent, & hæc eodem anno cum Siluestrinis Monachis commutata est, illis nobis Sancti Marci Ecclesiam concedentibus, annuente eodem Pont. Max. Eugenio, & Fratribus Prioris Fesulani obedientiæ per decennium subactis.

Eodem anno consecratur S. Dominici Ecclesia ab Episcopo nostro Recanatense Fr. Thoma Baruta Veneto die 30. Octobr. quæ Dominica fuit, & post decem annos ex Apostolico indulto separatus est conuentus S. Marci à Fesulano, cum impossibile videretur vnum, eundemque Priorem, & Fesulis, & Florentiæ fratribus præesse.

Anno 1528. cum Fratres Congregationis S. Marci essent capitulariter congregati, Plebanus Burgi Sancti Laurentij in Mugello eisdem præsentauit Apostolicum Breue Clementis Papæ VII. quo monasterium Monialium dicti loci, quæ paulò ante Pontificia auctoritate Ordinis habitum sumpserant, curæ Prioris S. Dominici de Fesulis subdebat, quod vsque in præsentem diem sub illius gubernio, ac cura perseuerat. Et anno 1587. in hoc conuentu habitum Ordinis sumpsit F. Ciprianus Brignola, qui multis pecunijs illud ædificijs, & annuis redditibus non modicum auxit.

Ordini, atque Ecclesiæ multos præstantissimos viros dedit Conuentus Fesulanus, ex quibus, ommissis Episcopis, de quibus suo loco dicemus, sequentes recensentur.

S. Antoninū Archiepiscopū Florentinum fuisse huius conuentus alumnum, afferunt illius monumenta, quem & indutum fuisse Ordinis habitu à F. Ioanne Dominici, postmodum

dum S.R.E. Cardinale, tunc Commissario Magistri Generalis, dum conuentus fabricaretur, missumque Cortonium pro probationis anno affirmant, quo completo, ad eundem cum alijs tribus supra recensitis reuersus est: de quo infra.

F. Sanctes Pagninus de Luca, linguarum peritia, pietate, atque doctrina famosus, in Latina, Caldea, Græca, atq; Hebrea lingua versatissimus, multa in lucem edidit, copiosis eleemosynis propter hoc à Leone Papa X. adiutus, qui dum Lugduni eorundem operum impressioni operam daret, temporalem cum æterna vita commutauit anno 1541. Septembris 9. Kal. in medio chori Ecclesiæ Ordinis sepultus.

F. Sanctes Sosinus, dum in Ecclesia Santissimæ Annuntiatæ de Florentia ante B. Virginis imaginem oraret, triplicatis vicibus audiuit vocem de cœlo dicentem sibi: *Vatti à far Religioso in S. Domenico di Fiesole*, qua propter diuinę vocationi assensum præbens, nulla interposita mora, illuc properauit, quod sibi contigerat enarrans. Quapropter sacro habitu vestitus, Angelicam vitam duxit, ieiunijs, orationibus, atq; pietatis operibus semper addictus. Apud Florentinos propterea, curiamque Romanam in singulari veneratione habitus, dum Confessoris Monialium S. Mariæ Magdalenæ in Monte Quirinali de Vrbe onus sustineret, perrexit ad Christum Septembris 10. die an. 1608. confluente Romano populo ad eius funus, particulasque vestium pro magno munere efflagitante, cuius corpus in eadem Ecclesia conditum, euolutis tribus annis integrum repertum fuit.

Tandem pro coronide huius incliti cœnobij ponimus P. Magist. F. Timothæum Riccium, virum Apostolicum, nostri sæculi iubar gloriosum, diuini verbi in Italia tota præconem famosum, & alterum B. Alanum, Sanctissimi Rosarij Beatæ Virginis promotorem maximum, qui deuotione singulari erga Dei Genitricem affectus, dum Senis in Ecclesia Sancti Dominici Lectoris Sacræ Scripturæ munus subiret, Deo afflante, atque Sanctissima Dei Genitrice cor, & eloquium

eius

eius dirigente, Sacratiſſimum Roſarium, ad vitia extinguẽda ſingulare præſidium, alternatis choris, voce elata recitandum in eodem templo, a copioſo populi concurſu, prima vice in Ordine, atque Orbe voluit, & obtinuit, à viris humani generis hoſte mulieres à publica recitatione illius, verecundiæ prætextu auertere contendente: quod anno 1622. contigit.

Sequenti anno Patres Conuentus Mineruæ de Vrbe eundem Sacræ Scripturæ in ſua Eccleſia lectorem elegère, qui in Vrbem veniens, tanto mentis affectu Romano populo B. Virginis Roſarium prædicauit, vt etiam mulieres ad illud alta voce, alternatiſque choris cum viris recitandum, primò in cappella B. Virginis, in tota Eccleſia poſtmodum, maximo vtriuſque ſexus fidelium concurſu induxerit, & ſequenti anno mandante Magiſtro Generali Sicco Neapoli, poſtmodum Mediolani, Venetijs, atq; in cœteris principalioribus Italiæ Vrbibus idem præſtitit, cum prius à ſodalibus tantũ in oratorijs recitaretur, qui mos ad cœteras Ordinis Eccleſias deindè aduolauit, & maximo Chriſtianæ rei, atque Ordinis incremento perſeuerat. Tandem ad Mineruam reuerſus, atque in eodem miniſterio vſque ad annum 1641. occupatus, cum podagræ morbo vexeretur, annorum pondere grauatus in ſuum cœnobium Feſulanum ſe recepit, expectans beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei. Hunc pluries audiuimus dicentem ſe Beatiſſimam Virginem ſæpè ſæpius interpellaſſe, vt in extremo propriæ vitæ curſu non ſineret ſe diuturno morbo vexari, votique compos factus eſt, nam breui febre correptus, adſtantibus Fratribus, atq; *Salue Regina* alta voce, prout inſtanter petierat, concinentibus, ad illa verba *O clemens, ò pia, ò dulcis Virgo Maria*, eidem ſanctæ Dei genitrici ſuo ſpiritu commendato, euolauit in cœlum in Sanctiſſimæ Trinitatis feſto, quod in diem 31. Maij incidit ann. 1643. in cœmeterio eiuſdem conuentus terræ traditus.

Fuit conuentus hic ſub Vicaria reformata Lombardiæ

positus die 4. Iunij anno 1474. à Leonardo de Mansuetis Mag. Ordinis, vt eius Regesta testantur, deindè Congregationi Sancti Marci, ex qua ad Vicariam reformatam, postmodum ad Prouinciam Romanam sub Clemente Septimo transijt.

Ex monument. huius Conu.

T I T V L V S XXV.

De Conuentu Sancti Marci de Florentia.

FEsulani conuentus S. Dominici Fratres anno 1435. cum ex quotidianis quæstibus, ac eleemosynis viuerent, cogitauère de Hospitio consequendo Florentiæ, in quo, & quiescere, & eleemosynas emendicatas seruare possent. Cum igitur S. Antonino, qui tunc temporis conuentuum Tusciæ, Vicarius erat, votum suum manifestassent, annuit ille, & ad Eugenij Pont. pedes accedens, Fratrum suorum necessitatem exposuit, supplicauitque vt illis conuentum cum Ecclesia sancti Marci ad Siluestrinos Monachos spectan. qui à regulari obseruantia alieni, Florentino populo inuisi erant, tanquam aptiorem, commodioremque concedere dignaretur. At Pontifex sperans Monachos ad meliorem frugem aliquando se redacturos, renuit id præstare, & Parochialem S. Georgij Ecclesiam Fratribus concessit per Apostolicum Breue, cuius inière possessionem 19. Iulij an. 1435. tanquã hospitij conuentus Fesulani, ibique Parochiali cura suscepta mansère vsque ad Ianuarium mensem sequentis anni.

Anno 1436. cum difficile nimis esset Fratribus Fesulanis ad receptum hospitium propter distantiam magnam accedere trans Arnum, institère apud eundem S. Antoninum pro Monasterio S. Marci, tanquam sibi commodiori, aptiorique con-

consequendo, qui DD. Cosmæ, & Laurentij fratrum de Medicis protectione apud Eugenium fretus, commutationem loci S.Gregorij trans Arnum cum monasterio sancti Marci ab eodem Pont.Max. impetrauit, in quod ingressi Fratres, sub vno eodemq; Priore sancti Dominici de Fesulis viuebãt, in illo tanquam in hospitio commorantes, ipsoque Priore apud S.Marcum permanente.

In monasterium igitur hoc ingressi, de illius omni ex parte deformati, ac fatiscentis reparatione cogitauerũt Fratres: quapropter ad Dominos Cosmam, & Laurentium de Medicis proprios benefactores maximos confugientes, totalem illius instaurationem ab eisdem consequti sunt an.1437. & sequẽtibus, constructis nouis dormitorijs, bibliotheca, hospitio, reliquisque conuentus officinis, supra triginta millia aureorum in eisdem consumptis.

Anno 1439. S.Antoninus, tunc temporis Fr. Antoninus de Perozzis dictus, ex conuentu Fesulano, electus est secundus Prior vnitorum conuentuum S.Dominici de Fesulis, & S.Marci de Florentia, qui annos quatuor illis præfuit, & anno 1442. S.Marci Ecclesiam consecrari voluit ipso Epiphaniæ die à Card.Nicolao de Acciapacio Archiepisc.Capuano, Eugenio IV. Pont. Max. cum Cardinalium sacro cætu adstantibus.

Anno verò 1445. Apostolica auctoritate Eugenij Papæ Quarti, procurante S. Antonino iterum Generali Vicario conuentuum Tusciæ sub regulari obseruantia viuentium, (cum impossibile foret, vt vnus, idemque Prior duobus conuentibus benè praeesset) sancti Marci conuentus à Fesulano seiunctus est, constituto vnicuique proprio Priore, & Pastore, & huic Sancti Marci præfectus est F.Nicolaus de Carmignano, qui tunc temporis Generalis Bononien. studii Baccalaureus erat.

Anno 1448. grassante lue in Italia, & in Etruria maximè, destituti sunt conuentus Fratrum numero ita, vt in illis diuinum officium recitari vix posset; quapropter Fratres sancti

cti Marci petierunt à magistro Ord. Guidone Flamochetto proprium conuentum congregationi reformatæ Lombardiæ subdi pro obtinendis Fratribus ab illa; qui eorum iustæ petitioni annuens, conuentum S. Marci Vicario Congregationis Lombardiæ subdidit an. 1451.& in illo Cōgreg. Lombardiæ Capitulum habitum fuit anno 1462. Reassumptus autem ad Ordinis regimen Martialis Auribellus an. 1465. conuentum hunc à Congregatione Lombardiæ separauit, quem tandem Leonardus de Mansuetis iterum eidem restituit cum conuentibus Fesulano, & Sangeminianensi 12. Iulij 1474. vt supra retulimus, & ibidem aliud Capitulum Congregationis Lombardiæ celebratum est, Priore Fr. Francisco de Saluiatis an. 1485.

Anno 1482. cum huic conuentui præsideret F. Vincentius Bandellus, ad Magisterium Ordinis postmodum assumptus, assignatus est ibidem Fr. Hieronymus Sauonarola Ferrariensis, vt Lectoris officio fungeretur, quod onus summa cum laude sustinuit, in veneratione non modica à Magistratu, Florentinoq; populo habitus, qui anno 1492. Prior electus vsque ad an. 1496. illum laudabiliter rexit, supra ducentum nobiles ad ordinem recepiēdo. Cum verò Bononiæ in Quadragesima anni 1493. conciones ad populum habuisset, Florentiam reuersus, de Superiorum licentia affiliationem suā ex conuentu S. Dominici de Bononia ad hunc Sancti Marci transtulit.

Anno 1493. Apostolica auctoritate Alexandri Papæ VI. procurante Card. de Neapoli Ord. Protectore; accedente etiam consensu, & beneplacito Magistri Ord. Ioachini Turriani auulsus est à Congregatione Lombardiæ conuentus hic, & restitutus Congregationi Tusciæ, à cuius Patribus Fr. Hieronymus Sauonarola Prior Sancti Marci electus est Generalis Vicarius illius; quæ inde etiam Congregatio S. Marci dicta est, denominatione sumpta à nobiliori illius conuentu, in quo Vicarius Generalis residebat.

Anno

Anno 1498. post mortem Sauonarolæ Mag.Ordin.Turianus pertimescens ne perfecta regularis obseruantia ab eodẽ Sauonarola inducta, atque continuata, imminueretur, Florentiam visitationis gratia petens, auctoritate Apostolica Alexandri VI. & sua, Congregationem reformatam Tusciæ instituit, & in obseruantia regulari constabiliuit (promulgato talis institutionis Breui eiusdem Pont.Max.) constantem ex Conuentibus S.Marci de Florentia, S.Dominici de Fesulis, S.Dominici de Prato, S.Dominici de Pistorio, S. Romani de Luca, S.Spiritus de Senis. sanctæ Mariæ super Quercum de Viterbio, sanctæ Mariæ de Saxo, sanctæ Agnetis de Monte Politiano, sancti Dominici de Cortonio, & Sanctissimæ Annuntiatæ de sancto Geminiano, quibus Generalem Vicariũ præfecit P.F.Iacobum de Sicilia, & hic cum successoribus suis dictus est Vicarius Congregationis Tusciæ, quæ perseuerauit vsque ad Clementis VII. tempora.

Anno verò 1530. qui fuit Pontificatus Clementis VII. octauus, idem Pont.Max. ad petitionem nostri Cardin.Caietani præfatæ Congregationi vniuit conuentũ sanctæ Mariæ super Mineruam de Vrbe, qui tunc temporis erat caput Romanæ Prouinciæ, sancti Dominici de Perusio, atque sancti Dominici de Aretio, & postmodum illam in Prouinciam Romanam erexit, & cæteros conuentus ad Romanam Prouinciam pertinentes, sub vna Vicaria, dicta Vicaria Romana; constituit.

Decem & septem habuit Generales Vicarios Congregatio reformata, dicta prius sancti Marci, postmodum Cõgregatio reformata Tusciæ, ex quibus sequentes duodecim ex hoc inclito conuentu fuere assumpti filij. PP.FF. Malatesta Sacramorus de Rimino tertius Vicarius Gener. an. 1500. Franciscus de Saluiatis 4. anno 1502. Matthæus de Marco Florentino 6. an. 1506. Io: Maria Canigianus 9. an. 1514. qui sequenti anno à Leone X. Pont. Max. Generalis Abbas Monachorum Vallis Vmbrosæ creatus est. Philippus de Strozzis 10. an. 1515. Hieronymus de Rubeis Pistorien. 11.

anno

anno 1517. Matthæus de Marco iterum reassumptus anno 1519. Baptista de Carolo Florentino 13. an. 1521. Bartholomæus de Fauentia 14.an.1523.Seraphinus de Bellandinis 15.an.1525. Nicolaus de Michelozzis 16. an.1527. Zanobius de Pieris an 1529. Vicarius Gen.17.& vltimus, cuius regiminis anno 2. qui fuit salutis 1531. Clemens VII. deleto nomine Congregationis reformatæ Tusciæ, eidem nomen, titulum, iuraque omnia Prouinciæ Romanæ contulit P.Zanobio de Picris Generali Vicario præfato primo Priore Prouinciali reformatæ Romanæ Prouinciæ instituto.

Fuit Conuentus Sancti Marci nobile virorum illustrium Seminarium, qui suis virtutibus Romanam prouinciam, atque Ordinem illustrarunt, & ommissis Infulatis, de quibus infra, recensemus sequẽtes. Eminet verò inter cœteros huius cœnobij nobiles alumnos Fr. Nicolaus Sciemberg in Germania ortus, qui Florentiæ à Sauonarola ad Ordinem receptus, in litteris, ac moribus religiosis ità excelluit, vt ad principaliores illius dignitates fuerit euectus, Pontificib. Maxx. summoperè charus; Quapropter à Leone X. Archiepiscop. Capuanus creatus, à Paulo III. sacra purpura cohonestatus est an.1535. Decessit in Vrbe an. 1537. extra Mineruæ fores electa sepultura.

Fr.Franciscus de Meis doctissimus vir sub Magist. Gener. Turriano fuit Generalis Vicarius an.1497 eoque defuncto, ab Alexandro VI. Vicarius Ordinis creatus est cum eiusdem Procurator Generalis esset. Fuit & eiusdem Pontificis Prædicator Apostolicus.

Fr.Vincentius Mainardus Magistri Generalis Garziæ de Loaysa in visitatione Ord. socius, Vicarius, & Procurator Generalis ab eodem institutus, decessit Romæ grassante lue an. 1527.

F.Franciscus Romeus de Castilione Aretino fuit Vicarius Ordinis, ex quo munere ad Magisterium Generale eiusdem assumptus est an. 1546.

F.Seraphinus de Bellandinis Vicarius Gener.Ord. & ipse

sub

ſub Clemente VII. euaſit: deceſſit in Vrbe an. 1535. in Minerua tumulatus.

Fr. Benedictus Filicaia Vicarius Generalis in Græcia, & Oriente conſtitutus eſt à Franciſco Romeo Magiſtro Ordinis.

Anno 1514. Leo Papa X. Generali Abbate Vallis Vmbroſæ depoſito, eidem Ordini Generalem præfecit Fr. Ioannem Mariam Canigianum Florentinum, tunc temporis Geralem Vicarium Congregationis Tuſciæ reformatæ.

Fr. Zenobius Acciaiolus à Leone X. Bibliothecarius Apoſtolicus creatus eſt, deceſſitq; in Vrbe in Quirinali, apud ſanctum Silueſtrum, qui conuentus ad Congregationem Tuſciæ ſpectabat, an. 1519.

Anno 1527. vitam cum morte commutauit in Vrbe ex contagioſa lue F. Coſmas de Tornabonis Florentinus in palatio hoſpitalis ſancti Spiritus, cui à Clemente VII. præfectus fuerat Præceptor, ſeu Commendator.

F. Franciſcus Maria Campana noſtri ſæculi Prædicator in Italia tota famoſus ab Innocentio X. Procurator Ordinis inſtitutus anno 1647. à Canonicis Vaticanæ Baſilicæ perpetuus concionator delectus, deceſſit in Curia an. 1651.

Sed & alij concionatores præſtantiſſimi ex hoc nobili cęnobio prodière, inter quos eminent FF. Thomas Caianns à Clemente VII. Apoſtolicus prædicator delectus. Nicolaus Lorinus à Clemente VIII. Apoſtolicus concionator, & ipſe aſſumptus, qui ab Eccleſiaſticis dignitatibus alienus, ab eodem Pont. Max. annua penſione ducatorum auri de Camera centum donatus eſt: obijt in hoc connentu anno 1617. Vincentius de Federighis, qui peractis concionibus in principalioribus Italiæ Vrbibus, à sancto Carolo Borromeo aſſumptus eſt prædicator in ſua Matrici Eccleſia Mediolanens nec non Cherubinus Primieranus, Seraphinus de Bellandinis, Zaccarias de Lunigiana, Zenobius Medices, Sancte-Cinus, atque Maurus de Arighettis cum alijs compluribus.

Y Ema-

Emanauère quoque ex hoc conuentu Pœnitentiarij Domini Papæ F.F. Vincentius Puccionus, qui viginti quinque annis Pœnitentiarii munus sustinuit, & Cardinali Maffeo Barberino, postea Vrb. VIII. nũcupato, à sacris cõfessionibus diu fuit, decessitque an. 1625. nec non Thomas Caccinus, & Angelus Brogius.

F. Dominicus Landius à Clemente VIII. Apostol. Cõmiss. in Poloniã pro Regijs negocijs directus est, quæ iuxta Pont. max. voluntatem fuere perfecta. Decessit an. 1610.

F. Nicolaus de Alexijs Generalis Inquisitor Perusij, atque Vmbriæ constitutus, post peractum summa cum laude iniunctum munus decessit an. 1585.

Theologi præstantissimi ex eodẽ prodière F.F. Sanctes de Nerlis Mantuæ Ducis Theologus fuit. Hieronymus Tursius à Bibiena in Vniuersitate Patauina Biblicus Lector assumptus, & conuentui, & Ordini maximum laudis attulit ornamentum. Albertus Campana F. Francisci Mariæ germanus frater, post rectam cathedram metaphysicæ in Pisana vniuersitate 22. annorum cursu, ad cathedram sacræ scripturæ in studio Patauino vocatus, tanto in pretio à Veneta Rep. habitus est, vt perpetuus Promotor Collegij Doctorum fuerit institutus, ibidemque decessit an. 1639. Thomas Caccinus probitate vitæ, ac doctrina spectabilis, in tanta fuit æstimatione apud Florentinos, etiam magnates, vt ad ipsum tanquam ad oraculum confluerent cuncti: quieuit cum Christo an. 1648. Zanobius Medices à Card. Iustiniano in theologum assumptus, apud Græcorum Collegium Vrbis quod tunc ad Ordinem spectabat, theologiã annis pluribus docuit, in Basilica sanctæ Mariæ Maioris Pœnitentiarius Apostolicus postmodum assumptus.

Cœterùm pro coronide huius nobilis conuentus ponamus F. Antoninum de Riuolo Pedemontanum, qui à Sancto Antonino conuentus sancti Marci Priore sacro Religionis habitu indutus, proprioque nomine donatus, cum studiorũ causa in Siciliam pergeret, à piratis captus, atq; Tunetum per-

perductus à catholica fide recessit, Mahumeti sectator effectus: at nunciato ei post aliquot menses à catholicis mercatoribus sancti Antonini miraculis corruscantis obitu, Spiritu sancto cor eius dirigente, in lachrymas erumpens, mahometicam sectam execrando coram Rege tiranno,& Christum alta voce verum Deum dicendo, lapidibus obrutus est anno 1459.

Hæc omnia ex monumen. huius Conu.eruta sunt,qui vsque in præsentem diem in maxima veneratione est apud Florentinos.

Conuentũ hunc illustriorẽ reddidit P.F. Timothæus Bottiglius Florentinus, qui studiorum cursu in Mineruæ Collegio peracto, Spiritu sancto cor eius dirigente, memor illius quod dicitur de S.Patre nostro *Sitiebat seruus Christi martyrium sicut sitit ceruus ad aquæ fluuium*, vale dicens parentibus, & amicis, in Hispaniam contendit, ex qua cum alijs 29. Religiosis ad Philippinas Insulas perrexit, & inde à Sacra Congregatione in magnumRegnum de China directus,ibi quatuordecim annorum cursu in vinea Domini strenuam operam posuit prædicando, baptizando, sacramentales confessiones audiendo, multosque infideles sacro lauacro regenerando: & tandem cum bonum certamen certasse cursum consummasset, fidem seruisset, Vicarius Apostolicus ibidem institutus, repositam sibi à Domino coronam percepturus perrexit ad Christum die prima Octob. Beatissimę Virgini de Rosario sacra an 1662.cuius mortem prætiosam, atque exantlatos pro catholica fide lebores, in hunc modum Priori huius conuẽtus nunciauit P.F. Victorius Riccius Florentinus de conuentu sancti Dominici de Fesulis,ibidem in vinea Domini cultor egregius, atque Apostolicus Vicarius post F. Timothæum institutus à Sacra Congregatione de Propaganda fide.

Molto Reu. P. Priore di S. Marco di Firenze.

HO' molto precisa, e particolare obligatione d'auuisare V.P.M.R. come l'Anno 1662. il primo d'Ottobre che fù il giorno del SS. Rosario, morì nella Prouincia de Chin Kiagn nel Regno della gran China il Venerabile, e Reuer. Padre Fr. Timoteo Bottigli di cotesto Santo, & illustre Conuento, Paesano, amico, e compagno mio singolarissimo, col quale salij da Roma, e uenni all'Indie, e da lì alle Filippine, e dalle Filippine alla Gran China, e haueua 14. anni, che non c'eramo visti, ancorche stessimo nel medesimo Regno. Assistè alla sua morte vn Religioso del medesimo Ordine nostro, e fù la morte sua senza dubbio pretiosa nel cospetto del Signore, poiche quà fece sempre vna vita Angelica. Morì come visse, con desio di vedersi con il suo Signore; stando fino all'vltimo punto con tutti li suoi sentimenti, e rispondendo alle Litanie, e verso l'ultimo eleuò una mano, e dando l'vltimo respiro rese l'Anima sua al Signore. Piansi la sua morte con amarissime lagrime, e molto l'inuidiai, poiche egli se ne andò senza dubbio à riposar nel Cielo, e lasciò quì noi altri frà tante miserie, e fatiche. Fù sempre per tutte le parti doue hà egli dimorato dilectus Deo, & hominibus; si affaticò, predicò, battezzò, e conuertì molta gente nello spatio di 14. anni, che è stato nella Gran China, e mai si conobbe in lui colpa ancorche leggiera. Fù huomo ammirabile, ancor che sempre infirma valetudine, e con esser così, che morì giouane, hà operato assai, più che altri robusti, che viuono più anni, mentre non l'impiegano come questo Apostolico Religioso:

Alcu-

Alcune volte non posso contenermi d'inuocarlo con lacrime, e dirgli, Ricordati di me amatissimo compagno Fra Timoteo, che sò, che godi della presenza di Dio. Con tutto ciò V. P. M. Reu. l'aiuti con i soliti suffragij, e lo scriua à tutta la Romana Prouincia, acciò che altri s'animino à venire quà ad occupar il luogo, che hà lasciato vacuo il nostro buon Santo Fr. Timoteo. Dio guardi V. P. come desidero; Mi raccomãdo alle sue Orationi, e sacrificij. Dalla Città di Subengchiù della Prouincia di Fochien del Regno della Gran China alli 25. di Marzo 1663.

Bacio le mani di V. P. M. Reu.

Suo humile figlio

Fr. Vittorio Ricci.

TITVLVS XXVI.

De Conuentu S. Spiritus de Senis.

Conuentus hic cum Ecclesia S. Spiritus intra vrbis mœnia positus à Monachis Siluestrinis plurimorum annorum cursu inhabitatus fuit vsque ad annum 1440. quo iam dimissis ipsis à Magistratu Reipub. Senen. ob laxiorem vitam, datus est Dom. Bartholomæo Vallisumbrosæ, qui ibidem suis monacis annos quatuor præfuit Prior. Anno verò 1445. datus est Patribus Cassinensis Congregationis Sanctæ Iustinæ, qui illum incoluère vsq; ad an. 1448.

Anno 1448. instante apud Apostolicam Sedem Senensis Reipub. Magistratu, & supplicante Bart. Texerio Mag. Generali datus est conuentus cũ Ecclesia, omnibusq; bonis eisdem annexis Ordini nostro; & Fratribus Congregationis refor-

reformatæ in Tuſcia à Nicolao Papa V. per Apoſtolicum Breue dat.Romæ apud S.Petrũ prid.Non. Iulij an.1448. ſui Pontificatus 2. directum Dom. Iacobo Abbati Sancti Antonij de Senis, quo illum ſuum in hac parte delegatum cõmiſſarium inſtituit, vt ſedulo examine inquireret, an Benedictini monaci conuentum illum ſpotè, ac liberè Fratribus Prædicatoribus concedere eſſent parati, quod ſi id præſtare vellent, Apoſtolica auctoritate ſibi attributa Prædicatoribus cuncta perpetuò poſsidenda traderet. Litterarum autem Apoſtolicarum tale erat initium.*Paſtoralis officij debitum exigit, &c.*Sunt litt. in arch. eiuſdem conuentus, in quibus aſſeritur bona cuncta fructifera ad eundem ſpectantia, tunc temporis non exceſſiſſe valorem annuum 24.florenorum auri de Camera ſecundùm communem æſtimationem.

Die itaque 10. Auguſti eiuſdem anni 1448. F.Petrus Antonij de Petruccis Senenſis,Peruſinus Baccalaureus à Frat. Antonio de Viterbio Generali Vicario conuentuum in Romana prouincia reformatorum, Vicarius inſtitutus,cũ alijs Fratribus Senas petijt, & libera Monachorũ ceſſione accedente, per dictum Dom.Abbatem sãcti Antonij delegatum, & Apoſtolicum Commiſſarium poſſeſſionem Eccleſiæ,conuentus, ac bonorum omnium ad illum ſpectantium ſuſcepit Ioanne de Senis Notario inſtrumentum conficiente.

Manum applicuère ſtatim Fratres ad reparationem conuentus, ruinam minitantis, & piorum eleemoſynis adiuti nouum cœnobium fabricauerunt, quod eſt ita aptum ad Fratrum receptionem, vt anno 1656. Prouinciale capitulum in illo ſit celebratum. Ab anno autem 1462. fuerunt incoata ædificia, & perfecta 1466. noſtro Cardin. de Turrecremata aurum porrigente, atque hoſpitium cum capitulo fabricante.

Cum autem regularis obſeruantia ex hoc cœnobio fuiſſet eliminata, Mag.Ord. Ioachinus Turrianus eandem reſtituturus, commiſſarium ſuum inſtituit ad petitionem nobilis Equitis Nicolai Burgheſij,aliorumque Senenſium Nobilium

F.Hie-

F.Hieronymum Sauonarolam, qui ad illud accedens cum pluribus Fratribus sancti Marci, dimissis ijs, qui tunc temporis ibidem erant, nouum Priorem, atque officiales instituit, & congregationi sancti Marci subegit anno 1494.

Cum autem, & Ecclesia talem imminentem ruinam patefaceret, vt populum, ac Fratres ab illius ingressu deterreret, F.Lucas de Trano ibidem Prior, de noua, nobilioriq; Ecclesia construenda cogitauit; & vnico aureo floreno suffultus, in Spiritus sancti tamen, cui dicanda erat, auxilio confisus, ad illius constructionem processit anno 1498. quàm anno 1504. perfectam, & completam mirabundi conspexère Senenses, qui copiosis eleemosynis, tam priuatis, quàm publicis adiutrices manus illi porrexèrunt.

Quadriennio elapso, nempè 1508. Mag. Ordin. Thomas de Vio Caietanus monialium nostrarum monasterium, de Paradiso dictum, ex regimine Prioris Sancti Dominici de Campo Regio euulsit, & Fr. Francisci de Prato Prioris huius conuentus, & successorum illius curæ subegit: idemque præstitit Sororibus nostris cœnobij, Vitæ æternæ nuncupati, quæ duo nobilia Monasteria sub cura Ordinis permanserunt vsq; ad Clementis VIII. tempora, qui instante Cardin. Tarusio Senen. Archiepiscopo illa Archiepiscopi curæ tradidit. Cœterum Fr. Thomas Margottinus Vrbeuetanus huius conuentus Prior præfatas Sorores de Vita æterna ad clausuram perpetuam amplectendam anno 1596. induxit, quibus scapulare Fr. Dionysius Tornaquincius & ipse Prior, annuente Magistro Generali Francisco Romeo, largitus fuerat anno 1548.

Sed & alia duo Capitula Prouincialia, præter illud supra memoratum collecta sunt in hoc conuentu, quorum primú anno 1575. alterum verò 1592. contigit, atque in eo Nouitij plurium annorum decursu ad Ordinem fuère recepti, atque in regulari vita educati.

Præfuère autem huic conuentui Priores viri incliti, inter quos recensentur F.F. Nicolaus Sciombergh electus anno

1505

1505. postmodum S. R. E. Card. Sanctes Pagninus electus post Nicolaum anno 1506. nec non Ambrosius Catherinus anno 1529. postea Compsanns Archiep.
Ex monum. huius Conu.

TITVLVS XXVII.

De *Conuentu Sanctæ Mariæ de Saxo.*

ECclesia sanctæ Mariæ de Saxo propè Bibienam originem consequta est anno 1347. quo post trium flammarum apparitiones, quæ eundem locum illustrauère, post Angelorum visiones, qui ex vicino lóco illuc processionaliter incessère, comparuit quoque ipsa Beata Virgo cœli Regina super saxum magnum semel in columbæ candidissimæ specie, iterum autem in forma pulcherrimæ, ac nobilissimæ Virginis, quæ puellam, Catharinam nomine de Bibiena, ibidem existentem cum matre sua lineos pannos abluente allocuta, ad puritatis, atque virginitatis, nec non Dei amoris amplexum hortata est, donoque illi dedit recentes fabas, quas in gremio absconditas, matri ad domum reuersæ obtulit. Donum suscepit mater, quod aperiens, profundentes illicò captiosum sanguinem fabas vidit. Facti mirabunda mulier sciscitatur à filia, à quo donũ acceperit; ab ignota pulcherrima puella, respondit illa. Conuocat interea vicinas suas, fabas cum sanguine ostendit, factum narrat, & cum filia ad pristinum locum reuertitur, vbi puellam speciosissimam super saxum sedentem reperit, & vidit filia, non verò mater; iussit hæc filiæ, vt ab illa sciscitaretur, quid portenti haberet sanguis in fabis. Respondit illa, presagium esse futurorum malorum, quæ erant euentura, inter quæ erat pestis iminens in mortales grassanda, prout euenit.

Propè saxum erat cuiusdam eremitæ habitaculum, qui ibidem

ibidem ieiunijs, & orationibus intentus, carnem ſpiritui ſeruire cogebat; cumque columba ad eum volitaret, extendens manum capere illam conabatur, ſed fruſtra; nam ſtatim ad ſaxum redibat, ibique pedem figebat. Cognouit miſterium Eremita, columbamque eſſe Beatiſſimam Virginem, quæ ſuper Saxum illud Eccleſiam ſibi conſtrui volebat: ex collectis, atque emendicatis igitur eleemoſynis paruam cappellã in honorem B. Virginis ibidem conſtruxit, atque eiuſdem imaginem in illa collocauit.

Miraculis floruit imago ita, vt ex finitimis caſtris cateruatim ruerent populi, cernere cupientes, quæ per eam fiebant miracula, & affluentibus eleemoſynis cogitauit Eremita de Eccleſia conſtruenda; cumque neceſſaria ad ædificiũ congregaſſet, ad triumphantem Eccleſiam vocatus eſt. Cura igitur Eccleſiolæ ab Aretino Epiſcopo diuerſis presbyteris demandata eſt, tandemque D. Laurentius de Siluestro Bibienæ Plebanus illam obtinuit, qui timoratæ conſcientiæ Sacerdos, videns ſe non poſſe vtrique Eccleſiæ inſeruire, neque confluentis populi deuotioni, ac pietati ſatisfacere, re maturè orationibus cum Deo diſcuſſa, poſt quatuor annos Fratribus Congreg. ſancti Marci illam dedit, qui die 29. Septembris ſancto Michaeli ſacra an. 1468. poſſeſſionem eiuſdem iniere, primo Vicario conſtituto Fr. Iuliano Ducci Adimari ex primaria Florentina nobilitate, qui cum ſocijs operibus pietatis confluentium fidelium ſaluti conſulendo, tales, ac tantas collegit eleemoſynas, vt ad nobilis Eccleſiæ, atque conuentus conſtructionem animum applicuerint Fratres.

Cum verò anno 1486. Deo ita diſponente ex luminariũ multitudine Eccleſiola in cineres redacta fuiſſet, ipſa Dei Genitricis immagine intacta, atque illæſa omni ex parte remanente, fabricata eſt nobilis Eccleſia duplicata, vna ſuper aliam cum conuentu adiutrices manus dantibus Dom. Laurentio de Medicis Florentinæ Reipubl. Confalonerio, alijſq; nobilibus Florentinis, ac Fr Hieronymo Sauonarola procu-

rante. Tandem in Capitulo Prouinciali an. 1495. celebrato hospitium hoc in conuentum erectum est annuente Ioachino Turriano Magistro Generali, ex cuius mandato Frat. Hieronymus Sauonarola Vicarius Congregationis Tusciæ, dictæ sancti Marci, viginti duos Fratres ibidem assignauit, qui Fr. Timothæum de Marco Florentinum sibi primum Priorem elegère.

Anno 1507. omni ex parte Ecclesiæ, atque conuentus ædificio perfecto, 24. Augusti D. Cosimus de Pazzis Aretinus Episcopus Ecclesiam solemi ritu consecrauit, in qua sunt prætiosæ sanctorum Reliquiæ, & inter eas, de ligno Sãctissimæ Crucis D.N. Iesu Christi; quæ erat Cardinalis de Bibiena.

Sub Patrum huius conuentus cura est Ecclesia sancti Angeli de Camentia, quam pluribus ditatam à summis Pontificibus Indulgentijs, cum omnibus annexis bonis D. Ioannes del Vantaggio Florentinus, sanctæ Mariæ in monte Plebanus Fratribus eiusdem 3. die Martij anno 1525. liberè cessit, & donauit, publico talis cessionis confecto instrumento per Franciscum de Soci notarium Papiensem; quam cessionem, seu donationem suo speciali Breui confirmauit, & approbauit Clemens Papa VII.

Prodière ex hoc cœnobio viri spectabiles, inter quos recensentur P.P. Eusebius Siluanus Sacr. Theologiæ Magistr. Inquisitor, ac Vicarius Ceneten. Episcopi, qui nouum sacrarium construxit, sacrisque paramentis ornauit; & Zanobius de Medicis diuini verbi præco famosus, qui & ipse supellectile sacra Ecclesiam cohonestauit.

Vigesimum octauum locum inter Romanæ Prouinciæ cõuentus consequitur iste.

Ex monum. Conuen.

TI-

TITVLVS XXIX.

De Conuentu Sanctæ Mariæ super Quercum de Viterbio.

PAVLO II. Pontifice Maximo regnante fęliciter anno 1467. menſe Septembri, cum quidam inſequutus ab inimicis in cōdenſum nemus inter confinia Viterbien. ciuitatis, & caſtri Balneariæ mortem euaſurus aufugiens ſe occultaſſet, conquiſitus ab illis, ſub Quercu delituit, ante cuius conſpectum imago B. Virginis in tegula depicta pendebat. Illi ſe toto deuotionis affectu commedauit ſupplicans, vt in tanto vitæ diſcrimine ſibi contra irruentes hoſtes patrocinari dignaretur. Adfuère illicò hoſtes, & inuiſibilem redditum ſupplicantem non inuenère prætereuntes, quo in facto patrocinium ſanctiſſimæ Dei Genitricis in ſe agnoſcēs in genua procumbendo, innumeras ex corde illi gratías egit, & perpetuum tanti beneficij ſe præconem futurum dixit, quod & ſtatim præſtitit. Factus eſt igitur concurſus Viterbienſis populi, vicinorumque caſtrorum, laudantium Deum, qui ſibi talem in nemoroſo loco dedit protectricem, & confluentibus eleemoſynis ob gratias, & beneficia ex eadem B. Virgine emanantia, erecta eſt in eodem loco cappella, in qua Sacra imago collocata eſt; cumque in dies populi concurſus, deuotio, ac oblationes eleemoſynarum creſcerent, paruam Eccleſiam cum annexa habitatione Magiſtratus Viterbienſis ibidem conſtruxit, Patribuſque Ieſuatis conceſſit. At cum, & confeſſiones audire, & prædicationes habere, & Sacramenta accedentibus fidelibus miniſtrare neceſſarium eſſet, ſe id præſtare non poſſe Patres prędicti coram Viterbien. Magiſtratu proteſtati ſunt, atque ad omne illius mandatum alijs quibuſcumque Religioſis cede-

dere locum se esse paratos. Conuenère in vnum Magistratus, ciuesque Viterbienses, consulturi, quibus Religiosis esset talis locus concedendus; & post non modicas altercationes, in eam abière omnes sententiam, vt tres ex magistratu, ætate grauiores illicò ad ciuitatis portam, sanctæ Luciæ dictam, per quam, & ad eandem B. Virginem dextera manu, & ad montem Faliscum recta via itur, pergerent, ibique consisterent, donec aliquis sacrorum Ordinum Religiosus itinerans primus aduentaret, eique & suo Ordini B. Virginis locus inhabitandus concederetur. Vix tres viri ad determinatum locum peruenerāt, cum ecce conspiciunt tres Fratres de longinquo aduenientes per montis Flalisci viam, pedestres: expectant, & interrogant, qui nam sint, & quò pergant. Respondit senior, se esse Frat. Martialem Magistrum Generalem Prædicatorum, Romam cum socijs, ex visitatione Ordinis reuertentem. Subdunt illi. Vos elegit Deus nouæ Ecclesiæ B. Virginis ministros vt ad illam eatis, & fructum affsratis, & fructus vester maneat; & narretis quæ acciderunt cunctis, obtuleruntq; Ordini inhabitandum locum, quibus omnibus annuit Martialis.

Supplicauerūt igitur Viterbienses Paulum II. vt Iesuatos Patres ex eodem loco, tanquam insufficientes amouère, ac Prædicatores in eorum locum subrogare dignaretur, quibus libenter annuit Pontifex, commissa exequtione Iacobo de Romanexio Episcopo Castren. & Bartholomæo de Ildrubalducinis Canonico Montis Falisci dato Apostolico Breui sequentis tenoris.

PAV-

PAVLVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo Castren. & dilecto filio Bartholomæo de Ildrubalducinis Canonico Ecclesiæ Montis Flasconis.

Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Fidelitatis constantia, nec non sinceræ deuotionis affectus, quem dilecti filij communitas ciuitatis vestræ Viterbien. ad nos, & Romanam gerunt ecclesiam, non indignè meretur, vt eorum votis præsertim per quæ cum animarum ciuium, & incolarum dictæ ciuitatis, aliorumque fidelium salute sacra religio propagata, & diuinus cultus augeri valeat, quantum cum Deo possumus fauorabiliter annuamus. Dudum siquidem ad humilem ipsorum Communitatis supplicationis instantiam, dilectis filijs pauperibus, Societatis Iesuatorum nuncupatæ, ut ad figuram B. Mariæ Virginis de Quercu extra muros Ciuitatis prædictæ vnam domum cum ecclesiola sub innocatione eiusdem Virginis Mariæ, alijsque necessarijs officinis ex oblationibus, & eleemosynis pia fideliũ largitione factis, & in posterum faciendis construere, & ædificare possent per alias nostras litteras licentiam concedi mandauimus, prout in illis plenius continetur. Cum itaq; sicut accepimus nonnulli pauperes Iesuati, qui de licentia eis earundem litterarum vigore concessa domum cum ecclesiola huiusmodi construere inceperant, vice, & nomine totius Societatis pauperum prædictorum, à quibus super hoc

man-

mandatum habebant speciale pro eo quòd ipsi cognouerant, & cognoscebant dictum locum maioris ponderis esse, quàm ipsi se sustinere posse sentirent; & quia locus ipse pro eis aptus non erat, eundem locum cum ecclesiola, & domo iam incæpta in manibus dilectorum filiorum Priorum dictæ ciuitatis, & quorundam aliorum officialium quoad hoc per communitatem prædictam deputatorum coram certis Notario publico, & testibus fide dignis extra Romanam curiam spõtè, & liberè resignauerint: & sicut exhibita nobis nuper pro parte comunitatis prædictornm petio continebat, ipsi considerantes fructus uberes, quos sacra Religio Fratrum Prædicatorum in cunctis locis, in quibus domos sui Ordinis habent, prædicatione verbi Dei, & exemplo bonorum operum facere consueuerunt, cupientesque ab intimis dictam domum iam inceptam, cuius fundamenta pro parte iacta sunt debitè perfici, & ecclesiam inibi pro loci qualitate congruentem construi, & ædificari, sperantesque, quod id per Fratres dicti Ordinis de facili confici, & adimpleri poterit, summè desiderent locum ipsum cum ecclesiola, & domo inceptis, Fratribus dicti Ordinis concedi, & assignari, pro parte communitatis prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, vt prædictum locum, & ecclesiolam, ac domum iam inceptam Fratribus dicti Ordinis pro eorum vsu, & habitatione perpetuò concedi, & elargiri mandare, ac alias super his opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui religionis propagationem, & diuini cultus augmentum exquirimus, nostris præsertim temporibus desiderijs indefessis, de præmissis certam notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni

vestræ

vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel alter vestrum, si, & postquam vobis de resignatione huiusmodi constiterit, illam, si hactenus ritè admissa non est, auctoritate nostra hac vice dumtaxat admittatis, illaq; per uos admissa, prædictum locum cum ecclesiola, & domo iam incœptis eisdem Fratribus pro eorum vsu, & habitatione perpetuis, eadem auctoritate nostra concedatis, ipsisque ut ex oblationibus, & eleemosynis inibi occasione dictæ figuræ impensis iam, & in posterum impendendis prædictam domum cum ecclesia, humili campanili, campana, cimiterio, claustro hortis, hortalicijs, alijsque necessarijs officinis construere, & ædificare, ac alia prædictis pauperibus Iesuatis per nos, seu auctoritate nostra pro ipsius domus perfectione, vel vsu concessa, facere liberè, & licitè valeant, eadem auctoritate licentiam largiamini, iure Parochialis Ecclesiæ, & cuiuslibet alterius in omnibus semper saluo. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacij Papæ Octaui prædecessoris nostri prohibente ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua Ciuitate, Villa, vel Castro, aut alio loco quocumque ad inhabitandum domos, vel loca quæcumque de nouo recipere, aut hactenus receptas mutare præsumant absque Sedis Apostolicæ licentia speciali, faciente plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de prohibitione huiusmodi mentionem, alijsque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Nos enim si concessionem huiusmodi per vos vigore præsentium fieri contigerit, vt præfertur Fratribus dicti Ordinis, qui in ipsa construenda domo pro tempore moram trahent, vt omnibus, & singulis priuilegijs exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, in-

dultis

dultis, & gratijs, tam spiritualibus, quàm temporalibus præfato Ordini eiusque professoribus, nec non ecclesijs, & domibus eorum a Sede Apostolica, vel aliàs in genere concessis potiri, & gaudere liberè, ac licitè valeant auctoritate Apostolica tenore præsentium de speciali gratia indulgemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadrigentesimo sexagesimo nono 3. Kal. Octob. Pontif. nostri Anno sexto.

M. de Sole.

Immissi sunt igitur in possessionem huius nouæ habitationis, ac Ecclesiolæ Fratres nostri eodem anno 1469. & & affluentibus vndique eleemosynis, actum est in Viterbien. Magistratu de capaciori Fratrum habitatione construenda, nobilique templo ad tantæ Virginis venerationem aptiore excitando, quod & præstitum est, ita vt anno 1181. quo Sixtus IV. Pontifex ad eandem Virginem Beatam venerandam, atque inuisendam accessit, perfecta essent & cœnobium, & templum, quod sequentibus Indulgentijs, atque priuilegijs ditauit.

SIXTVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei, Vniuersis & singulis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis.

Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Virgini Gloriosæ, & si nequeamus debitas, condignasque rependere gratiarum actiones, cœlo enim altior

altior eſt, & abiſſo profundior, ad cuius magnitudinem vox humana non pertingit, cum nec Angelica ſuis ineffabilibus meritis æqualia laudum præconia referre ſufficiat; cupimus tamen eam Reginam cæli, ſuper choros Angelorum exeltatã, quæ vnigenitum Saluatorem Dominum noſtrum IeſumChriſtum mundo peperit, & ſedibus prælata ſydereis quaſi ſtella matutina prærutilat, mater miſericordiæ, humani generis conſolatrix, & pietatis amica, pro ſalute fidelium, qui delictorum onere prægrauantur, ad Regem, quem genuit, ſedula oratrix intercedit, omni amplitudine, & integritate deuotionis venerari, atque ad ipſius iugem reuerentiam, & memoriam in Eccleſijs, & cœnobijs ad laudem, & gloriam ſui nominis dedicatis, eò feruentius Chriſtifideles incitare, quo ſe nouerint vberioris ſpei munere, copioſiorique gratiæ prærogatiua communitos. Cum itaque ſicut accepimus in agro Gratiano extra muros Viterbien. ſit eccleſia miro, & ſumptuoſo opere ædificata, & ſub vocabulo prælibatæ Virg. Mariæ, cuius poteſtas nullis coarctatur finibus, & totum implet orbem miraculis, fundata in loco, vbi ipſa Virgo pro voluntate ſua præteritis annis elapſis ſub Quercù ſibi placidam ſedem elegit, quam per ſingulos dies innumeris ſignis, & miraculis exornat, quemadmodum oculis noſtris conſpeximus, dictaq; eccleſia nullos habeat redditus, ex quibus illius ſtructuræ conſeruari, & manuteneri, atque augeri valeant, ſed Chriſti fidelium ſuffragia plurimum ſunt oportuna. Nos igitur, vt ipſa eccleſia in ſuis ſtructuris conſeruaretur, & manuteneatur, ac etiam alijs ornamentis eccleſiaſticis decoretur, nec non Chriſti fidelium deuotio, quæ ingens eſt ad illam magis augeatur, ipſique fideles eò libentius deuotionis cauſa

confluant ad eandem, ac ad conseruationem, & manutentionem structurarum, & ornamentorum huiusmodi decorem cupidius intendant; nec non manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono cœlestis gratiæ vberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus & singulis Christi fidelibus utriusque sexus verè pœnitentibus, & confessis, qui dictam ecclesiam in die Dominico festiuitatem Natiuitatis ipsius Virginis de mense Septembri immediatè sequente à primis vesperis diei dictæ Dominicæ, vsq; ad secundas Vesperas deuotè visitauerint, & ad ædificiorum conseruationem, manutentionem, & augmẽtum, ac ornamentũ & decorem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam, & remissionem, tenore præsentium concedimus, & elargimur. Et vt ipsi fideles ad eandem ecclesiam confluentes conscientiæ pacem, & animarum salutem Deo propitio consequi, & indulgentiæ huiusmodi facilius participes esse possint, dilecto filio Priori dictæ Ecclesiæ, tot quot voluerit Præsbyteros idoneos sæculares, vel cuiuscumque Ordinis Regulares deputandi, qui confessiones quarumcumque personarum, de ciuitate, & diœcesi Viterbien. minimè existentium, & eandem Ecclesiam pro huiusmodi indulgentia consequenda visitantium per tres dies præcedentes, & totidem sequẽtes dictam Dominicam dumtaxat audire, & ipsorum confessionibus diligentèr auditis, eisdem personis pro commissis per eas criminibus, excessibus, & delictis, ac peccatis omnibus Sedi Apostolicæ non reseruatis casibus, debitam absolutionẽ, ea dumtaxat vice, impendere, ac pœnitentiam salutarem iniun-

iniungere valeat, auctoritate Apostolica, & dicto tenore cōcemus facultatem: præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Dat. Viterbij Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octuagesimo primo, Pontific. nostri anno tertio. Octobris vndecima.

L. Grifus.

Gratis de mandato Sanctiss. D. N. PP.

M. Millinus.

Licèt verò Patres nostri conuentum cum Ecclesia sint cōsequuti, tamen ibidem tanquam mansionarij residebant, quibus à Sanctesijs per Magistratum Viterbien. eidem loco præfectis ad victum, & vestitum, aliaq; necessaria, suppetebantur pro qualitate, & numero Fratrum ibidem degentium cœteris redditibus, atque eleemosynis in communi capsa, cuius claues vna apud Priorem conuentus, altera verò apud Sanctesios laicos detinebantur, asseruatis.

Cum autem inter Priorem conuentus, præfectosque Sanctesios frequentes essent querimoniæ atq; altercationes circa expensas pro Fratrum sustentatione, eorumque necessitatibus, cogitauère non semel Patres de loco derelinquendo: At deuotione singulari erga Beatissimam Virginem affecti, illam deserere nefas iudicabant, sperantes ab illa tandem aliquando illatarum molestiarum opportunum leuamen, prout contigit; nam electo ad militantis Ecclesiæ regimen Pio V. P. M. tertio sui Pontificatus anno, sublatis Sanctesiis, omnique sæcularium regimine, Ecclesiam cum annexo cœnobio redditibus, atque bonis cunctis ad illam quomodolibet spectantibus pleno iure, plenoq. dominio liberè, ac licitè dedit, & concessit Fratribus in eodem conuentu degētibus, dato sequenti Apostolico Breui.

PIVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

QVantum beneficij, & fructus Christiano orbi Ordo FF.Prædicatorum Sancti Dominici, quem olim in minoribus constituti expressè professi sumus, attulerit, quotidieque adferat, & nos lætanter cognouimus: & dum nobiscum memoria repetimus, dignum, quin potius debitum reputamus; vt sub illius Ordinis vexillo Altissimo famulantes ab omni molestiæ timore vindicemus, & ea quæ aliàs in ipsorum fauorem à nobis concessa sunt, ne altercationi subiaceant, Apostolici muneris suffragio roboremus. Sanè cum sicut accepimus, ante publicationem quarundam nostrarum litterarum in Religiosorum Domorum, & locorum Ordinis mendicantium fauorem, super exemptiones, & immunitates à solutione, & præstatione exactionnm, datiorum, gabellarum, pedagiorum, victualium, & aliarum impositionum: Nec non facultate administrandi bona Monasteriorum, Conuentuum, & aliorum locorum eorundem Religiosorum dicti Ordinis, & de fructibus redditibus, prouentibus, & obuentionibus illorum; nec non eleemosynis, & oblationibus, & prohibitione ne de cætero tutores, & curatores, seu Protectores, aut alio nomine nuncupati Sanctesij, de eisdem bonis fructibus, & eleemosynis vllo modo disponere possent, concessarum, eleemosynæ, & oblationes, quæ in Ecclesia domus Sanctæ Mariæ ad Quercum Fratrum dicti Ordin. Prædica-

dicatorum Sancti Dominici, propè, & extra ciuitatem nostram Viterbien. annuatim fieri consueuerant, & ex quibus pro maiori parte dilectorum filiorum Conuentus dictæ domus onera suportabantur: ac in quibus emolumenta, & redditus ipsorum conuentus potissimum consistebant, in vna capsa includerentur, & penes dilectum filium Priorē, & dictos conuentum ipsius capsæ vna, & penes Sanctesios laycos ità nuncupatos, annuatim siuè alias à dilectis filijs communitate, siuè consilio dictæ ciuitatis electos, altera, claues retinentur: dictique laici, quod iuxta ipsarum litterarum tenorem administratio huiusmodi fuerit illis interdicta, ipsique adstricti claues dictæ capsæ eisdem Priori, & Conuentui restituerint, & consignauerint, ægre ferunt, ac forsan clausulam illam dictis litteris addictam; hisce videlicet verbis, nec etiam soli Tutores, aut Curatores, seu Procuratores, & alio nomine, Sanctesij, aut aliàs nuncupati, de eisdem bonis vllo modo disponere possint, contra mentem nostram sinistrè interpretari, quod huiusmodi administratio non fuerit ipsis simpliciter interdicta. Sed ne ipsi soli, atque inde se desuper Priorem, & Conuentum præfatos molestare velle iactent, occasionemq; controuertendi quærunt: Nos qui semper detestati fuimus, quod bona Ecclesiarum, præsertim Religiosorum Ordinum huiusmodi, illorumque fructus, & eleemosynæ, oblationesq; per laycos administrentur, siuè in illis layci se immiscère habeant, & cuius mentis semper fuit talia officia, vti libertati ecclesiasticæ repugnantia tollere, & pœnitus extinguere, ipsisq; sanctesijs aut alio nomine nuncupatis officialibus laycis, siuè solis, siuè associatis huiusmodi administrationem

nem, siue interuentum interdicere, & inhibere: cognoscentes quam periculosum sit, quod layci in similibus se intromittant; ad plerumque informati quanta, & qualia damna, incommoda, & perturbationes dicti Prior, & Conuentus ex huiusmodi interuentu patiebantur: quodque etiam circa personarum inibi Deo famulantium, & seruientium victum, & sustentationem ac Ecclesiæ seruitium ipsis laycis se submittere cogebantur; & quod dicti layci nonnunquam ad aperiendum capsam, vt ex illa pecuniæ pro necessario, tam ecclesiæ, quam religiosarum personarum ipsarum vsu extrahi possent, conuenire recusabant. Omnem hæsitationem, & ambiguitatem tollere, & indemnitati ipsorum Prioris, & Conuentus consulere, ac in futurum ne detur occasio, litem, siuè controuersiam suscitandi, prouidere volentes. Nec non ipsos Priorem, & Conuentum, eorumque singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendũ, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes: Motu proprio, non ad ipsorum Prioris, & Conuentus, vel cuiusuis alterius pro eis super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de mera deliberatione, & ex certa scientia nostris, dictas literas cum omnibus in illis contentis clausulis Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus; ac potiori pro cautela officium, & interuentum Sanctesiorum, seu alio nomine nuncupatorum laycorum administratorum huiusmodi, in ipsis conuentu, & ecclesia, ac

illo-

illorum nomen, & denominationem eiſdem auctoritate,& tenore ſupprimimus, extinguimus, caſſamus, & annullamus. Nec non præfatis communitati, & conſilio, officialibuſque ciuitatis noſtræ Viterbien. & alijs quibuſcunque ad quos ſimilis electio, & deputatio de iure, ſiuè conſuetudine ſpectat, vel pertinet, ne impoſterum in huiuſmodi officio, electione, ſiuè adminiſtratione ſe intromittant. Diſtrictius inhibemus dictis Priori,& Fratribus nunc & pro tempore exiſtentibus ſolis, & inſolidum omnium , & ſingulorum dictæ domus bonorum,ac illius fructuum,reddituum & prouentuum, nec non oblationum, & eleemoſynarum quarumcumque impoſterum faciendarum liberam,& omnimodam adminiſtrationem diſtributionem, & diſpoſitionem, fabricæque dictæ eccleſiæ curam , & regimen ; ita quod ipſi Prior , & Fratres , ſemotis & excluſis Sanctesijs, ſeu laycis officialibus huiuſmodi, qui interuenire conſueuerant, de ipſis fructibus, prouentibus, eleemoſynis, & oblationibus diſponere,illoſque in eccleſiæ,& conuentus prædictorum vtilitatem ipſorumque ſuſtentationem conuertere, & alias iuxta ipſarum litterarum vim, formam, & tenorem liberè poſſint, & valeant, eiſdem auctoritate, & tenore concedimus, & elargimur. Et ita per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes , ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi , & interprætandi auctoritate, & facultate,iudicari,& diffiniri debere; ac quidquid ſecus à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter attemptari contigerit , irritum , & inane decernimus . Quocirca Venerabilibus Fratribus Amerinen. & Balneorigien. Epiſcopis, ac dilecto filio Vi-

cario

cario Venerabilis fratris Episcopi Viterbien. in spirituali-bus Generali per præsentes, motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel per alium, seù alios, prædictas litteras, & in eis contenta quæcumque, vbiq: quando opus fuerit, ac quoties pro parte Prioris, & Fratrum huiusmodi vel alicuius eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra Priorem, & Fratres prædictos, illorumque singulos, confirmatione, innouatione, suppressione, extinctione, cassatione, annullatione, inhibitione, concessione, elargitione, & decreto, alijsque præmissis iuxta præsentium continentiam, & tenores, pacificè frui, & gaudere. Non permittentes illos desuper per prædictos communitatem, seù quoscumq. alios quomodolibet indebite molestari, perturbari, & inquietari. Contradictores quoslibet & rebelles, ac præmissis non parentes, per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposita compescendo, nec non legitimis super his habendis, seruatis processibus, illos sententias, censuras, & pœnas ipsas incurrisse declarando, nec non eas iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus præmissis, ac fel. record. Bonifacij Papæ VIII. prædecess. nostri de vna, & Concilij Generalis de duabus dictis, dummodo quis vigore præsentium vltra tres dietas, ad iudicium non trahatur, ac quibusuis alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non dictæ ciuitatis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, vsi-

bus,

bus, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis dictis communitati, & alijs personis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibus, & alijs decretis, in genere, vel in specie concessis, & confirmatis. Quibus omnibus illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, motu pari, derogamus: nec non omnibus alijs, quæ in dictis litteris voluimus non obstare; contrarijs quibuscumq; aut si præfatis communitati, vel quibusuis alijs communiter, vel diuisim ab Apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII. Ianuarij M. D. LXVIII. Pont. nostri Anno Tertio.

B. Melchioris.

V. de Martholis.

His Apostolicis litteris deuenere Patres nostri in possessionem bonorum omnium ad Ecclesiam spectantium, nec non & priuilegiorum à diuersis Romanis Pontificibus eidem concessorum, quæ cuncta fuere eisdem à Clemente Papa VIII. in hunc modum confirmata.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcras Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ semper Virginis Ecclesias, eas præsertim, quæ miraculis insignes sunt, magnæ deuotionis affectu venerantes, ea quæ à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus illis, earum monasterijs, seù domibus, & Religiosis personis in eis degentibus, aut etiam ad illarum decorem, commodum, fauorem, & amplitudinem concessa sunt priuilegia, indulta, concessiones, & gratias libenter confirmamus, & etiam extendimus, & ampliamus. Sanè cum sicut accepimus recolen. memoriæ Prædecessores nostri Sixtus IV. Iulius II. Leo X. Clemens VII. Paulus III. Pius IV. Pius V. & Gregorius XIII. ac alij forsan Romani Pontifices Ecclesiæ B. Mariæ de Quercu in Campo Gratiano extra muros Viterbienses ob miraculorum frequentiam, quæ ibidem Deus intercessione, ac meritis eiusdem Santissimæ Virginis Mariæ quotidie ædit, atq; operatur valde celebri, eiusque monasterio, seù conuentui ordinis Fratrum Prædicatorum, seù ad ipsorum Ecclesiæ, aut monasterij, seù Conuentus Religiosorumque in illis degentium, ac illorum rerum, ac bonorom stabilium, & mobilium fauorem, commodum, & vtilitatem, ac ad conseruandam fidelium erga præfatam Ecclesiam duotionem, plura, ac diuersa priuilegia, indulta, Concessiones, facultates, exemptiones, prærogatiuas, gratias, & indulgentias concesserint,

sæ-

ſæpius confirmauerint, & approbauerint, ac etiam quandoq; ampliauerint, & extenderint, prout in diuerſis eorundem prædeceſſorum litteris, quarum tenores, & datas præſentibus, ac ſi ad verbum infererentur pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Cumq; ea, quæ ſepius Apoſtolica autoritate communiuntur, validiora, & firmiora ſemper exiſtant. Nos, qui erga præfatam Eccleſiam, ſingularem gerimus deuotionis affectum, illam, eiuſq; monaſtorium, ſeu Conuentum, ac Religioſos, & alias perſonas ibidem degentes, ac res, & bona vniuerſa, ſpecialibus, ac amplioribus adhuc fauoribus, & gratijs proſequi volentes, ac Priorem, & fratres præfati monaſterij, ſeu Conuentus à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijsq; eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus modati exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnia, & ſingula priuilegia, indulta, conceſſiones facultates, exemptiones, libertates, prerogatiuas, & gratias, tam ſpirituales, quam temporales, à memoratis, & quibuſcumq; alijs Romanis Pontificibus prędeceſſoribus noſtris, ac ſede Apoſtolica, illiuſq; Legatis eiſdem Eccleſiæ, monaſterio, ſeu Conuentui, Religioſis, & perſonis, ſeu ad eorum, ac bonorum, tam mobilium, quam ſtabilium, iurium, & actionum eorundem fauorem, commodum, vtilitatem, conſeruationem, & augumentum, quomodolibet, & quomodocumq; factas, conceſſas, emanatas, ac ſepius confirmatas, approba-

tas, & innouatas, seù facta, concessa, emanata, confirmata, & approbata, & innouata, ac litteras desuper expeditas, & in eis contenta quæcumq; ac eorundem Ecclesiæ, ac monasterij, seu Conuentus Statuta, & consuetudines, quatenus tamen in vsu sint, & Sacris Cononibus Conc. Tridentini Decretis sint conformia, autoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illisq; perpetuæ, & inuiolabilis Apostolicæ nostræ confirmationis, robur adijcimus, omnesq; & singulos, tàm iuris, quàm facti defectus, si qui interuenerint, in eisdem supplemus. Insuper, quia Paulus III. & Pius IV. prædium de santo Cataldo nuncupat. situm in plano dell' orfanelli in Territorio Viterbiensi, & Vitorchiani ad monasterium, seù Conuentum præfatum spectans, & pertinens pro incluso in numero Bannitarum Prioris, & Fratrum dicti conuentus haberetur, teneretur, & intelligeretur declarauerint, & tam communitati Viterbiensi, & viuersitati Vitorchiani, illarumq; particularibus personis, cuiusuis status, gradus, & conditionis, ne sub pœnis in statutis dictæ Ciuitatis de damnis dantibus in prædijs, & possessionibus inclusis, & Bannitis contentis, eo ipso incurrendis, ne Bannitas in præiudicium domus, & Conuentus præfatorum facere, nec erbas, seù prædiorum colligen. incidere, pascere, vel vendere auderent, vel præsumerent, prohibuerint; ac Gregorius XIII. declarationem, & prohibitionē huiusmodi cōfirmauerit. Nos declarationem, & prohibitionem huiusmodi itidem nominatim confirmantes decernimus, & declaramus quidquid intra antiquos fines dicti prædij, cui vt accepimus ab vno prædiū Societatis I. Io

de

de Bagnaia, ab alio, hæredumq; Constantini de Vitorchiano bona, & ab alio lateribus riuus, siue torrens, qui vulgo dicitur il fosso della vezza, adherent, & nomine dicti predij S. Cataldi, ac sub eius iuribus, & pertinentijs comprehenditur, & ad Conuentum perfatum pertinet, id totum siue inplanitie, siue in collibus, & vt vulgo appellant in piano, & costis, ac tàm laboratiuis, & arboratis, quàm dumosis, & siluestribus, & tàm in Viterbiensi, quàm in Vitorchiani territorijs consistat, & pro incluso Bannitarum dicti monasterij seù conuentus, haberi, teneri, & reputari debere ac realiter, & cum effectu existere: nec licere cuiq; tàm communitatis Viterbien. quàm vniuersitatis Vitorchiani, & aliorum particularium quauis autoritate, & potestate præfulgenti, ac cuiusuis gradus, status, conditionis, & praeminentiæ existenti, intus prædium præfatum S. Cataldi, dictaq; confinia, Bannitas, seù conseruas, facere herbas, colligere, incidere, pascere, vendere, lignaue incidere, aut aliud quidquam, in dicti monasterij, seù Conuentus præiudicium facere, vel intentare, ac eos, qui secus fecerint, in pænas damnum dantium, ac alienæ possessionis pacifice perturbatorum in municipalibus, & alijs legibus, seù statutis expressis, eo ipso absq; alia declaratione incidere. Præterea commoditati mercatorum, & aliorum ad nundinas in dicto campo Gratiani propè eandem Ecclesiam quotannis ex dictorum Summorum Pontificum concessione celebrari solitas confluentium, amplius consulere volentes, nundinas ipsas, eas videlicet, quæ iuxta concessiones, & confirmationes prefatas, per quatur dies ante Dominicam post festum Natiuitatis B.

Ma-

Mariæ Virginis immediate sequentem, incoari, & ad octo dies post ipsam Dominicam non computatis festis interim occurrentibus, durare solent, post hac in perpetuum, ad diem 12. mensis Septembris indici, & in ea incoari, & vsq; ad festum S. Francisci die 4. Octobris inclusiue durare debere, quo tempore durante nundinas ipsas, ac personas quascumq; ad illas confluentes, illarumq; merces, animalia, & bona quæcumq; iuxta prefatarum concessionum, & indultorum seriem perpetuo iuxta morem aliarum nundinarum liberarũ à cuiusuis Gabellæ, seù alterius cuiuscũq; oneris solutione, liberæ, immunes, & exemptæ, ac libera, immunia, & exempta fore, & esse concedimus, & indulgemus, ac statuimus, & ordinamus: Nec non etiam, quod omnes, & singulæ merces, res, & bona ad huiusmodi nundinas delata, quæ in fine aliquarum ex dictis nundinis ab eorum Patronis mercatoribus penes dictum monasterium, vel Conuentum ad effectum, vt in sequentibus nundinis vendenda, conseruentur in custodiam, deponentur ab omni pariter gabellæ, datij, vectigalis, aut alterius oneris solutione, libera plane, atq; immunia, & exempta existant, dummodo tamen à Gabellario Viterbien. pro tempore gratis sigillari pro ipsius gabellarij securitate prius debeant; si vero aliqua ex illis extra nundinas vendi contingat, etiamsi tota vt dicitur Balla mercium non vendatur, nihilominus pro tota ad rigorem Gabellæ solui debeat, pariter concedimus, ac statuimus. Decernentes presentes litteras nullo vnquam tempore de subrectionis, vel obrectionis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu, etiam ex eo quod interesse forsan habentes

ad

ad id vocati non fuerint, vel ex quacumq; alia causa notari impugnari, vel inualidari, aut in ius, vel incontrouersiam reuocari, nullatenus posse, neq; sub quibusuis litium, vel dissimilium gratiarũ reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut alijs contrarijs dispositionibus à nobis & successoribus nostris Romanis pontificibus, seu dicta sede, aut illius Legatis, vel Nuntijs, etiam de latere pro tẽpore emanatis, comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & eum, in quo antequam emanarent, statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas esse, & fore, ac eisdem Priori, & fratribus suffragari, sicq; per quoscumq; iudices ordinarios, vel delegatos, etiam causarum palatij Apostolici Auditores, ac S.R.Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & definiri debere: Irritum quoque & inane si secus super his, à quoquamquauis autoritate scienter, vel ignorãter cõtigerit attentari. Quocirca venerabilibus fratribus montis Falisci & Balneoregien. Episcopis, ac dilecto filio curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios presentes litteras, & in eis contenta quæcunq; vbi, & quando opus fuerit, ac etiam pro parte Prioris, & fratrum prefatorum, ac aliorum interesse habentium, seu alicuius eorum, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisq; in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant authoritate nostra easdem presentes litteras, & in eis contenta huiusmodi ab omni-

Mariæ Virginis immediate sequentem, incoari, & ad octo dies post ipsam Dominicam non computatis festis interim occurrentibus, durare solent, post hac in perpetuum, ad diem 12. mensis Septembris indici, & in ea incoari, & vsq; ad festum S. Francisci die 4. Octobris inclusiue durare debere, quo tempore durante nundinas ipsas, ac personas quascumq; ad illas confluentes, illarumq; merces, animalia, & bona quæcumq; iuxta prefatarum concessionum, & indultorum seriem perpetuo iuxta morem aliarum nundinarum liberarũ à cuiusuis Gabellæ, seu alterius cuiuscũq; oneris solutione, liberæ, immunes, & exemptæ, ac libera, immunia, & exempta fore; & esse concedimus, & indulgemus, ac statuimus, & ordinamus: Nec non etiam, quod omnes, & singulæ merces, res, & bona ad huiusmodi nundinas delata, quæ in fine aliquarum ex dictis nundinis ab eorum Patronis mercatoribus penes dictum monasterium, vel Conuentum ad effectum, vt in sequentibus nundinis vendenda, conseruentur in custodiam, deponentur ab omni pariter gabellæ, datij, vectigalis, aut alterius oneris solutione, libera plane, atq; immunia, & exempta existant, dummodo tamen à Galellario Viterbien. pro tempore gratis sigillari pro ipsius gabellarij securitate prius debeant; si vero aliqua ex illis extra nundinas vendi contingat, etiamsi tota vt dicitur Balla mercium non vendatur, nihilominus pro tota ad rigorem Gabellæ solui debeat, pariter concedimus, ac statuimus. Decernentes presentes litteras nullo vnquam tempore de subrectionis, vel obrectionis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu, etiam ex eo quod interesse forsan habentes

ad id vocati non fuerint, vel ex quacumq; alia causa notari impugnari, vel inualidari, aut in ius, vel incontrouersiam reuocari, nullatenus posse, neq; sub quibusuis litium, vel dissimilium gratiarũ reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut alijs contrarijs dispositionibus à nobis & successoribus nostris Romanis pontificibus, seù dicta sede, aut illius Legatis, vel Nuntijs, etiam de latere pro tẽpore emanatis, comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & eum, in quo antequam emanarent, statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas esse, & fore, ac eisdem Priori, & fratribus suffragari, sicq; per quoscumq; iudices ordinarios, vel delegatos, etiam causarum palatij Apostolici Auditores, ac S.R.Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & definiri debere: Irritum quoque & inane si secus super his, à quoquamquauis autoritate scienter, vel ignorãter cõtigerit attentari. Quocirca venerabilibus fratribus montis Falisci & Balneoregien. Episcopis, ac dilecto filio curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seù alios presentes litteras, & in eis contenta quæcunq; vbi, & quando opus fuerit, ac etiam pro parte Prioris, & fratrum prefatorum, ac aliorum interesse habentium, seù alicuius eorum, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisq; in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant authoritate nostra easdem presentes litteras, & in eis contenta huiusmodi ab omni-

nibus ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum, inuiolabiliter obseruari, ipsosq; Priorem, & fratres, ac alios interesse habentes illis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumq; indebite molestari. Contraditores quoslibet, & rebelles per sentẽtias, censuras, & pænas Ecclesiasticas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, nec non legittimis super his habendis seruatis Processibus, sententias, censuras, & pænas ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis. Non obstantibus præmissis, ac felicis recordationis Bonifatij Papæ 8. etiam predecessoris nostri de vna, & in Concilio Generali edita de duabus dictis, dummodo vltra tres dietas aliquis authoritate presentiũ, ad iudicium non trahatur, alijsq; Apostolicis, ac in Prouincialibus, & Sinodalibus Concilijs editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, nec non ciuitatum, oppidorum, terrarum, villarum, & locorum prefatorum, etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis alia firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, ac etiam legibus municipalibus, Priuilegijs quoq; indultis, & litteris Apostolicis, illis, eorumq; Communitatibus, hominibus, & personis sub quibuscumq; tenoribus, & formis, ac cum quibusuis derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & alijs Decretis in Genere, vel in Specie, etiam motu, & scientia similibus, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, seù alias quomodolibet concessis, etiam interatis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus

omni-

omnibus etiam si de illis, eorumq; totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seù quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda esset, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum nihil pœnitus omisso, & forma in illis tradita, obseruata, inserti forent, presentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus; nec non omnibus illis, quæ in singulis litteris præfatis expressum fuit non obstan. contrarijs quibuscumq; aut si aliquibus comuniter, vel diuisim, ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excomunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionẽ. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris Die 3. Iunij 1593. Pontificatus nostri An. 2.

M. Vestrius Barbianus

Constabilitus his fauoribus, atque gratijs Apostolicis conuentus, Dei bonorum omnium largitoris, Beatissimæque Cœli Reginæ Mariæ protectricis auxilio, in bonis, tam temporalibus, quàm spiritualibus, ac numero Religiosorum ita auctus est, vt vnus ex nobilioribus, præstantioribusque Romanæ Prouinciæ sit: in eoque per quadraginta circiter annos Generale studium Romanæ Prouinciæ fuit, ex quo prodière viri doctissimi, translatum annis præteritis Perusium.

Emanauerunt quoque ex eodem viri præstantissimi, qui ad Ecclesiarum regimen assumpti, Ordini singulare decoris ornamentum attulere, de quibus suo loco dicemus.

Ecclesia prætiosa supellectile ditata existit, á diuersis Pontificibus, ac Magnatibus, ob recepta à Beatiss. Virgine be-

neficia; nec non à Patribus eiuſdem conuentus filijs dono data: Confluentibus ad illam ſacram Imaginem venerandam Fidelibus ex Vrbe, diuerſiſque Italiæ partibus.

Ex monument. conuentus.

TITVLVS XXIX.

De Conuentu Sancti Blasij de Tibure.

VIgeſimum nonum conſequitur modò locum inter Romanæ Prouinciæ cœnobia hoc Tiburtinum, ad nobiliorem in futuro Capitulo Prouinciali, in quo cunctis aſſignanda eſt præcedentia iuxta fundationis propriã antiquitatem, aſcenſurum: eſt enim ex antiquioribus Prouinciæ.

Cũ S P. Dominicus inter mortales degeret, circuiretq; per ciuitates, & Caſtella Suburbana prædicãs, & euãgelizans regnum Dei, Tibur venit, vbi in Oratorio sãcti Ioannis Euangeliſtæ propè ciuitatis portam Apoſtolicum miniſterium, ad quod à Spiritu ſancto aſſumptus erat, exercebat, in cuius rei teſtimonium Confratres dictæ Societatis eiuſdem S. Patris imaginem, antiquo penicillo delineatam, ſuper Eccleſiæ fores appoſuere: ibique tanquam in hoſpitio recipiebantur eius filij, quando Tibur pro diuinis exequendis adibant.

In æternam requiem translato S. Patre, ſucceſſores filij in Eccleſia ſancti Blaſij, tanquam ad populi frequentiam aptiore, ſacra miniſteria exercebant, in qua eiuſdem effigiem in pariete depictam vidimus in habitu, quo vtebatur, antequam in Sanctorum album referretur, cum hac ad pedes inſcriptione *Frater Dominicus*. At facies illius ex humiditate erat deformata, manſitque in eadem Eccleſia, vſque ad annum 1664. quo ab inprudente, & incauto Priore cum cœteris illius Eccleſiæ picturis dealbata eſt, vt vidimus.

Anno autem 1285. cũ Honorius IV. Tibure eſſet, eandem Eccleſiam S. Blaſij Ordini in hunc modum conceſſit ad Fratrum noſtrorum ſupplicationem.

HONO-

HONORIVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo Tiburtino

Salutem, & Apostolicam benedictionem.

COnsiderantes attentius fructus vberes, qui ex Ordine Fratrum Prædicatorum proueniunt fidelium animabus, Ordinem ipsum, & professores illius fauore prosequimur speciali, ad plantandum eundem Ordinem in locis congruis opem, & operam benignius impendentes. Cum itaq; sicut dilectus filius Munio Magister, Io: Prior Prouincialis in Romana prouincia, & quidam alij Fratres eiusdem Ordinis nobis exponere curauerint locum in ciuitate Tiburtina non habere, in quo ipsi morari, & suum exhibere altissimo famulatum, ac verbum Dei proponere populo valeant temporibus opportunis, nobis humiliter supplicarunt, vt de aliqua Ecclesia ciuitatis eiusdem eis ad hoc competenti prouidere sibi paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque ad animarum profectus salubribus intendentes studijs, & eorundem Fratrum pium, laudandumque propositum fauore beneuolo prosequi cupientes, ac volentes, ad procurandam salutem populi suæ curæ commissi sibi adiungere sollicitos, & idoneos adiutores, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mãdamus, quatenus pro nostra, & Apostolicæ Sedis reuerentia Ordini, & Fratribus supradictis Ecclesiam S. Blasij ciuitatis eiusdem cum iuribus, & pertinentijs suis, quæ Fratribus

bus ipsis competens, & accommoda esse asseritur, studeas, sublata qualibet difficultate, conferre, ac duos ipsius ecclesiæ clericos in ea, vt dicitur, institutos, auctoritate nostra, de canonicatibus, & præbendis, si vacant ad præsens, vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, in S. Petri, & S. Pauli præfatæ ciuitatis ecclesijs, ita quod vni eorum in vna dumtaxat prouideatur ecclesia, prouidere procures, non obstantibus statutis ecclesiarum ipsarum de certo canonicorum numero, iuramento, confirmatione Sedis Apostolicæ, aut alia quauis firmitate vallatis. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Volumus autem quod dilectus filius Nicolaus natus Petri Sanctesij ciuis Tiburtinus, cui Canonici eiusdem ecclesiæ S. Petri, sicut asseritur promiserunt, se ad hoc per instrumentum publicum obligantes, quod eum in ecclesia ipsa in Canonicum recipient, & in fratrem, quam cito ad id obtulerit se facultas, illi, quem ex duobus prædictis Clericis in eadem ecclesia collocari contigerit, præferatur. Datum Tibure 14. Kal. Augusti Pontificatus nostri Anno primo.

In huius Breuis exequtione non modicas reperit Episcopus difficultates, renuentibus duobus præfatis Clericis Sãcti Blasij Ecclesiam nostris Fratribus renunciare, donec Canonicatuum sibi à Pontifice Max. assignatorum in possessionem immitterentur.

Defuncto interim Honorio Pontif. Episcopus sancti Flauiani Ecclesiam propè S. Blasium, in superiori tamen ciuitatis parte existentem Fratribus concessit, quæ postmodum in constructione nouæ Ecclesiæ, sanctæ Mariæ de Gloria dictæ, quæ ampla, ac nobilis tempore Bonifacij Papæ VIII. constructa est, & vsque in hodiernum diem perseuerat, S. Blasij communiter nuncupata, solo æquata est. Ibi fixère pedem

Fra-

Fratres nostri, constructo paruo conuentu, cum dormitorio, quod vsque in hodiernum diem perseuerat, desolatum tamē, & tecto destitutum, atque ex parte dirutum.

Anno 1291. locus hic iam in conuentum cum Priore erectus asseritur in sequētibus litteris à Vicario Domini Papæ Fratre Saluo Recanaten. Episcopo ex Ordine nostro datis pro Indulgentijs referendis.

F. SALVVS Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Recanaten. Episcopus.

Et in Vrbe Domini Papæ Vicarius Generalis, Vniuersis præsentes litteras inspecturis.

Salutem in Christo Iesu humani generis Saluatore.

QVoniam vt ait Apostolus omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi, prout in corpore gessimus, siuè bonum, siuè malum, oportet nos diem messionis extremæ misericordiæ operibus præuenire, ac æternorum intuitu seminare in terris, quod redeunte Domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in cælis, summam spem, fiduciãque tenentes, quoniam qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam. Verùm cum ex parte Prioris, & Conuentus Fratrum Prædicatorum de Tibure nobis extiterit humiliter supplicatum, vt loco eorundem, seu Ecclesiæ aliqualem Indulgentiam concedere dignaremur, vnde nos eorum precibus inclinati, omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui

in

in festiuitatibus eorum, videlicet B. Dominici, & B. Petri Mart. & per octauas eorum, & in festiuitatibus B. Virginis, & in festo eiusdem Ecclesiæ annum, & quadraginta dies, & festis annalibus, & in festis XII. Apostolorum, & in maiori quadragesima, ad locum prædictorum Fratrum deuotè accesserint, & manus porrexerint adiutrices, auctoritate Apostolorum Petri, & Pauli, & B. Flauiani mart. Patroni vestri, cum ad hoc assensus loci diœcesani accesserit, centum dies de indulta eis pœnitentia in Domino misericorditer relaxamus. In cuius rei testimonium præsentes litteras nostri sigilli munimine fecimus roborari. Datum in Vrbe apud S. Apollinarem an. Dom. M.CC.LXXXXI. indictione 5. mense Septembris die XI. tempore Dom. Nicolai Papæ IV. Pontif. eiusdem Dom. anno IV.

Immissis tandem duobus Clericis in possessionem canonicatuum sibi ab Honorio Pontifice concessorum, data est ab Episcopo Fratribus S. Blasij Ecclesia, quæ amplior, & ad diuina ministeria capacior erat, cùm retentione illius S. Flauiani, estq; eadem apud nostros vsque in præsentem diem, in qua, die Sancto Blasio sacra, missæ sacrificium celebratur, & licet duabus vicibus igne exarserit, perseuerat tamen integra, vocaturque communiter S. *Biagio vecchio.*

Cogitauerunt Patres de noua Ecclesia pro populi cōcursu ad suas prædicationes, atque suscipienda Sacramenta confluentis capace construenda, quæ in nobiliori ciuitatis parte, iuxta tamen duas præfatas incępta, sub nomine B. Mariæ de Gloria, Bonifacio Papa VIII Pont. terminata, atque perfecta est, cum Conuentu ampliori eidem annexo, Tiburtinis ciuibus eleemosynas larga manu porrigentibus, cui idem Bonifacius Pontifex easdem Indulgentias quas eius prædecessores B. Mariæ de Portiuncula, seu de Angelis Assisien. Diœ-

cesis elargiti sunt, ipse concessit sequenti diplomate Apostolico.

BONIFACIVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei, Vniuersis, Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.

Salutem, & Apostolicam benedictionem.

GLoriosus Deus in sanctis suis in ipsorum glorificatione congaudens, in veneratione B. Mariæ semper Virginis eo iocũdius delectatur, quo ipsa, vtpotè mater eius effecta meruit altius istis cæteris in cælestibus collocari Cupientes igitur vt altare maius B. Mariæ de Gloria domus Ordinis fratrum Prædicatorum Tiburtin. congruis honoribus frequentetur, & vt Christi fideles eò libentius causa deuotionis ad ipsam confluant, & ad ipsius Ecclesiæ conseruationem manus promptius porrigant adiutrices, quo ibidem ex hoc dono celestis gratiæ vberius conspexerint se refectos. De omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui in festiu. Annuciationis ipsius Beatiss. Virg. à primis vesperis vsq; ad secundas vesperas ipsius festiuitatis, & per 6. dies ipsam festiuitatem inmediate sequentes altare prædictum deuotè visitauerint annuatim, & ad huiusmodi conseruationem manus parrexerint adiutrices, illam Indulgentiam, & remissionem peccatorum concedimus, quam Ecclesiam B. Mariæ in Portiuncula, alias dictam de Angelis,

ex-

extra muros Assisinaten. 1. & 2. diebus mensis Augusti visitantes annuatim quomodolibet consequentur. Volumus autem quod si aliàs aliqua alia Indulgentia visitantibus Ecclesiam, aut Altare prædictum, vel ad eorum fabricam, aut conseruationem huiusmodi manus porrigentibus adiutrices, aut aliàs inibi pias elemosynas erogantibus perpetuò, vel ad certum tempus non dum elapsum duratura per nos concessa fuerit, præsentes litteræ nullius existant roboris, vel momenti. Datum Romæ apud S. Petrum XVIII. Cal. Septemb. Pont. nostri an. 5.

Cardinalis noster de Turrecremata post centum circiter septuaginta annos eiusdem Ecclesiæ tectum restituit, eleemosinasque non modicas pro illa instauranda elargitus est, vt ex inscriptione vni ex trabibus affixa apparet; in eodem enim conuentu nostro aliquando permansit mensibus multis, à curia secedens.

Tres numerantur huius Tiburtinæ Sedis Episcopi ex Ordine nostro assumpti. F. Branca Romanus an. 1337. F. Ios. Gebennensis Brancæ successor, & F. Philippus Gezza de Ruffinis S. R. E. Cardinalis an. 1367. creati, de quibus suo loco dicemus.

Prodière ex hoc Conuentu viri, qui Dominicanam togã illustrauère, inter quos iure merito recensendi sunt Fratres, Vincentius Surronus vir doctus, & Pœnitentiarius Apostolicus in Basilica S. Mariæ Maioris in locum Dom. Iuliani Monaci S. Gregorij de Vrbe à Iulio II. institutus per Breue datum 24. Martij 1556. quod in Archiuio eiusdem conuentus custoditur. Gregorius Aldogattus Tibertinus magni nominis concionator, Vrbini Ducis theologus, qui in hoc conuentu capularis senex decessit anno 1636. & hic fuit vltimus ex Fratribus Claustralibus Romanæ Vicariæ dictis, qui nobis non semel laxatum illorum viuendi modum nũciauit. Et Dominicus Laurus Prouinciæ Magister, qui Prouin-

uin-

uinciæ Bohemiæ præfuit Prouincialis, atque in conuentu Pragen. Prior, nec nō in Collegio S. Thomæ de Neapoli Rector, vbi conuentus iura contra Marchionem de Vasto infracto animo defendit, & tandem in hunc conuentum reuersus, Ecclesiam nouo Sacello B. Rosæ dicato, atque sacra suppellectile ditauit. Viuit hoc anno 1670.

Fuit & Tibure Monasterium, seu potius conseruatoriū, Monialium nostrarum Tertiariarum sub Ordinis cura, quod sub Paulo V. Pont. Max. defecit, illarum domo cum modicis bonis huic Conuentui adiudicatis.

Vltimus fuit ex conuentibus qui regularem obseruantiā amplexati sunt, ac propterea ad hæc vsque tempora inter eosdem vltimum locum obtinuit, qui anno 1589. Aprutinæ Congregationi subactus, tandem Prouinciæ restitutus est.

Ex mon. Conu. in quo cum esset Prior huius operis Auctor an. 1668. *hæc scripsit.*

TITVLVS XXX.

De Conuentu S. Mariæ Ciuitatis Vetulæ.

Conuentus hic antiquus est, spectauitque à sua institutione ad Romanam Prouinciam, prout in peruetustis Magistrorum Ord. Regest. testatum reperitur. Transijt deinde ad Congregationem reformatam, quæ erecta est in Prouincia Lombardiæ; sub qua permansit ad nostra vsque tempora: & cum sub Vrbano VIII. esset Fratribus quasi destitutus, polleretque redditibus copiosis, institère illius ciues apud eundem Vrbanum Pont. vt in nostra S. Mariæ Ecclesia, ac Conuentu Matricem Ecclesiam cum Capitulo Canonicorum fundaret. At ille erga Ordinem benè affectus, dictum conuentum Romanæ Prouinciæ perpetuis futuris temporibus subegit anno Pontificatus sui decimo nono, qui fuit humanæ salutis. M. D. C. XXXXII. sequenti Apostolico decreto.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ONerosa Pastoralis officij cura nobis ex alto commissa postulat vt ad ea mentis nostræ aciem iugiter intendamus, perquæ disciplinæ regularis, in quibus Relgiosorum Ordinum monasterijs exactè seruetur, & sicubi illa exciderit, modis restituatur oportunis. Hinc est quod nos felici, prosperoque Conuentus S. Mariæ Terræ nostræ Ciuitæ Vetulæ Fratrum ordinis Prædicatorum Prouinciæ Lombardiæ regimini, & gubernio, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, supplicationibus dilecti filij Francisci Galassini in sacra Theologia Magistri, & dicti Ord. Procuratoris Generalis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, conuentum præfatum, illiusq; Fratres, res & bona vniuersa ab eadem Prouincia, nec non ab illius Prioris Prouincialis quacumque superioritate, iurisdictione, visitatione, correctione, cura, & gubernio in spiritualibus, & temporalibus, Apostolica auctoritate tenore præsentiũ perpetuo segregamus, dismembramus, eximimus, & liberamus, illaq; sic dismembrata, & separata, & prout ad presens reperiuntur, Prouinciæ Romanæ Fratrum dicti ordinis etiam perpetuò agregamus, & incorporamus; nec non omnimodis moderni, & pro tempore existentis secundo dictæ prouinciæ huiusmodi autoritati, correctioni, curæ, & gubernio in eisdem spiritualibus, & temporalibus, auctoritate, & tenore

præ-

præfatis committimus, subijcimus, & supponimus. Ac eisdem Fratribus conuentus dictæ Terræ, vt sub secundò dictæ prouinciæ Prioris Prouincialis obedientia viuentes, omnibus & singulis priuilegijs, gratijs & indultis alij secundo, dictæ Prouinciæ huiusmodi religiosi de iure, vsu, consuetudine, vel aliàs quomodolibet vtuntur, fruuntur, & gaudent, ac vti frui, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, vti, frui & gaudere, libere, & licitè possint, & valeant autoritate, & tenore similibus concedimus, & indulgemus, mandates propterea in virtute S. obedientiæ primo dictæ Prouinciæ Priori Prouinciali ne de cetero sub quouis quæsito colore, pretextu, vel ingenio in cura, & gubernio dicti conuentus, illiusq; Fratrum rerum, & bonorum præfatorum quoquo modo se se immiscère, aut in eis iurisdictionem superioritatem, visitationem, aut correctionem aliquam exercere audeant, & præsumant. Præfatis verò Fratribus dicti conuentus, & secundò dictæ Prouinciæ huiusmodi vt Priorem Prouincialem in suum, & dicti conuentus, illiusq; rerum & bonorum præfatorum superiorem, reformatorem, & correctorem habeant, & recognoscant, ipsiusq; secundò dictæ Prouinciæ Prioris Prouincialis pro tompore existentis monitis, & mandatis salubribus prompte pareant, & obediant, illaq; suscipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent. Decernentes irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Prouinciarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitatē alia robo-

roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis quibusuis dicti Ordinis superioribus Fratribus, & personis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illarum sufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus specialis, expressa & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquesita forma ad hoc seruanda foret tenore huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil pœnitus ommisso, ac forma in illis tradita obseruata exprimerentur, & insererentur, presentibus pro plenè, & sufficienter expressis haberi, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 5. Iunij MDCXXXXII. Pontificatus nostri Anno decimonono.

M. A. Maraldus.

In exequutionem igitur harum Apostolicarum litterarum P.F. Michael Mazarinus tunc Romanæ Prouinciæ Prior Prouincialis, S. R. E. postmodum Cardinalis, amotis Patribus Lombardis, qui erant numero quinque, eiusdem Conuentus possessionem inijt, P. Lect. & Prædicatore Generali F. Angelo Vrbano de Conuentu Gradensi Priore ibidem instituto, qui paucos post menses (Conuentu ad numerum quindecim Fratrum cum Philosophiæ lectione aucto, atque in me-

in meliorem formam composito) quieuit in pace, ipsa Ecclesia vetustate fatiscente, instaurata, elata, atque sacra suppellectile à F. Hieronymo de Polidoris Vrbeuetano ibidem Priore, & successoribus ditata.

Supradictum Breue Vrbani est in Archiuio Conuentus Mineruæ.

TITVLVS XXXI.

De *Conuentu Sancti Iacobi de Anagnia.*

Conuentus iste antiquus est, & floruit numero, & qualitate Religiosorum ita, vt in antiquis illius Ciuitatis tabularijs recenseantur Fratres multi capitulares, inter quos Doctor noster Angelicus, qui ibidem Theologiam docuit: & est in eodem Conuentu cella, quam incolebat idem Doctor Sanctus, à Magistro Generali de Marinis in meliorem, ac nobiliorem formam aptata.

Sancto Patre Dominico in Cœlum assumpto, filij eius salutis animarum sitientissimi, circuibant per ciuitates, & castella annunciantes verbum Dei, & ex Vrbe discedentes etiã Anagniam petebant ad eundem effectum: manebant autem in Hospitali, in quo tanquam hospitio recipiebantur, vt ex antiquis illius monumentis apparet. Quando autem Fratres nostri ibidem pedem fixerint recepto Conuentu, non inuenimus.

Fuit diù Conuentus hic sub Romana Prouincia: transijt autem deinde ad immediatam curam Magistrorum Generalium, ac propterea taliter imminutus est Fratrum numerus in illo, vt vix quinque, vel sex in eo ali possint Religiosi. Quapropter ex Capituli Generalis Romani anno 1656. decreto datus est Romanæ Prouinciæ, quod tamen executioni nequaquam mandatũ est vsque ad annum 1658.

quo

quo illius possessionem inijt P. Mag. F. Bonuuentura Borsellius Prouincialis Romanus, primo Priore instituto P. Mag. Fabiano Vechietto. Amplam habet Ecclesiam antiquo more fabricatã, substantiasque non modicas, at agrorum cultura neglecta, tenuiores habet pro alendis Fratribus redditus, cui in sequenti Prouinciali Capitulo præficietur inter cæteros Prouinciæ Conuentus locus debitus.
Ex *monum. huius Conuentus*.

TITVLVS XXXII.

De Conuentu S, Thomæ de Piperno.

PRiuernatem conuentum esse in Ordine antiquum, in Romana verò Prouincia nouissimum, certum est, cum ille datus sit sub cura Romanæ Prouinciæ eodem tempore, & modo, quo conuentus Anagninus.

Illius fundationem contigisse post factam canonizatiotionem S. Thomæ de Aquino indubitatũ est; nã eidem S Doctori dicatam Ecclesiam videmus, quam ædificasse F. Nallum, seu Reginaldum Vrbeuetanum ex nobili, ac perantiqua familia de Montemarte ibidem Priorem, Sciptores Ordinis produnt; qui & asserunt eundem Beatum truncam trabem in Ecclesiæ ædificio suis orationibus ita longiorem reddidisse, vt ex ea frustum prescindi fuerit necesse, atque in eo spiritum creatori suo reddidisse dum Prioris officio fungeretur anno 1348. de quo supra tit. *6*.

Prodijt ex Priuerno celebris ille vir B. Reginaldus, de Piperno dictus S. Thomæ Aquinatis discipulus, socius charissimus, ac confessor, cui ipse S. Doctor tria opuscula, videlicet 3. 15. & 26. in hunc modum inscripsit: *Ad Fratrem Reginaldum socium suum charissimum*. De hoc B. Confessore Io: Papa XXII. in Bulla Canonizationis eiusdem S. Doctoris hæc habet. *Eiusdem Sancti Confssor Ordinis memorati*,

qui

qui longo tempore ipsius confessionem audierat, publicè (vt ad nos testimonio fide digno peruenit) coram omnibus die defunctionis eiusdem asseruit dicens, ego confessionem generalem istius viri audiui, de quo testificor, quia ita inueni eum purum, sicut puer quinque annorum, qui nunquam suæ carnis sensit corruptelam. Decessit Reginaldus circa annum 1330. post factam canonizationem S. Thomæ, ob quam tanto repletus est gaudio, vt cum Simeone diceret *Nunc dimittis Domine seruum tuum in pace.* Ex Vallo de Vir. Illust. Prou. Regni, & Plodio, qui parte 2. lib. 2. de Viris Illust. Ordinis nostri fol. 157. hunc conuentum sua habere initia ab anno 1331. affirmat.

TITVLVS XXXIII.

De Conuentu S. Tholomei de Nepe.

SAnctorum Martyrum, atque Episcoporum Tholomei, & Romani, nec non et triginta octo aliorum, qui sub Claudio Imperatore à nato Saluatore anno 51. glorioso agone consummato, victores Cœlum conscendère, corpora, in cripta, extra mœnia Nepesinæ ciuitatis à Seuinilla sancta muliere recondita sunt, vbi concessa Ecclesiæ tranquillitate, à fidelibus in eorundem Martyrum honorem Ecclesia postmodum ædificata est: At illa post sæcula multa diruta, pia Nepesinorum cura cripta, in qua condita erant prætiosa corpora, valido muro, ne raperentur, occlusa est, parua Ecclesia, ex antiqua, ibidem reaptata, quam anno 1533. Maij 29. D. Iacobus Bongallus eiusdem Ciuitatis Episcopus, atque Cathedralis Ecclesiæ Canonici, quorum curæ commissa erat, Ordini nostro donauere, publico instrumento per acta Petri Pauli de Galeottis confecto; & F. Lazaro Scassa de Viterbio ex mandato Magistri Generalis

lis Ioannis de Finario pro Romana Prouincia ſtipulante, atque acceptante.

Paulo III. Pont. Max. regnante cum Petrus Aloyſius Farneſius Nepe Dux arce ciuitatem illam communire decreuiſſet, Eccleſiam cum annexa domo à Fratribus noſtris inhabitata dirui voluit anno 1540. nobiſque aptiorem locum intra menia conceſſit pro altero cœnobio nobis conſtruendo cum Eccclesia.

In fundamentorum igitur antiquę Eccleſiæ euerſione, murus, quo cripta Sanctorum Martyrum occluſa erat corruit, apparueruntque ſacra pignora, inter quæ eminebat ſepulchrum ex marmore cum inſcriptione, vbi conditũ quieſcebat corpus S. Tholomæi, integrum atque incorruptum recenti ſanguine conſperſum, poſt mille, & quingentos circiter annos peracti agonis, ſtupendibus cunctis, Deoque gratias agentibus, qui in Sanctis ſuis ſemper eſt mirabilis.

Re ad Pontificem Maximum delata, factum eſt gaudium magnum in Romana curia, ex qua confluxère cum Pontifice ipſo multi ad ſacra corpora inuiſenda. Cœterùm vt noua Sanctis Martyribus conſtrueretur Eccleſia, in qua decentiori ſepulchro cohoneſtarentur eorum corpora, idem Paulus Pont. multas, ac ſingulares elargitus eſt Indulgentias adiutrices manus pro illius ædificio porrigentibus, Apoſtolico promulgato Breui, ſequentis tenoris.

Paulus Papa III. &c,

Cum itaque ſicut accepimus nuper dum propè, & extra muros ciuitatis Nepeſinæ foderetur, Altiſſimo id volente quadraginta Samctorum Martyrum corpora, inter quæ corpus B. Ptholomæi Epiſcopi Nepeſini, qui dum in humanis ageret, B. Petri Apoſtoli diſcipulus erat, reperta fuere; & qui ſub quodam fidei Chriſtianæ Tiranno Claudio Imperatore martyrij palmam r portauerint, & quod mirabile dictu videtur; cum iam annis mille quingentis, vel circa ef-

fuſis

fusis ab eorum martyrio, vulnera, & sanguis in aliquorum eorundem Sanctorum membris in eorum repertione liquida apparebant, quæ indicia ipsos non leue sanctitatis demonstrant. &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1542. 6. *Id. Ianuarij Pontificat.* 9. Adfuit & P. Magister F. Thomas de Strozzis Florentinus ex nostris Sacrorum corporum inuentioni, de quibus in suo impresso Confessionali hæc subdit. *At nuper in conuentu Nepesino tanti Martyris, & sociorum eius corpora reperta sunt, quæ nunc etiam, & vulnera, & cruoris vestigia gerunt, vt non solum sit spectatu mirabile ob tantum temporis fluxum, verùm cogitatu etiam iucundum &c. Hæc animo secum seruans S. D. N. Papa Paulus III. cum fidelibus etiam oculis spectasset, quæ narrauimus, tantarum mirarum reliquiarum, non absque spiritu Dei vt piè credendum est, decreuit in gloriam Dei suorumque gloriosorum Martyrum extrui templum &c.* Ex quibus apparet eundem Pontificem accessisse ad Martyrum locum post cuius accessum occlusa sunt corpora in capsis, nec deinceps patefacta.

In vastatione Ecclesiæ prædictæ, ac domus, in qua quiescebant Fratres nostri, accepère ab Episcopo inhabitandam Ecclesiam S. Andreæ, cum annexo domicilio intra ciuitatem, donec conuentus in loco, nobis à Duce Farnesio concesso, & Ecclesia construerêtur, quod nō nisi post multos annos præstitutum est; Ad hanc igitur Ecclesiam delatum est S. Tolomæi Episcopi corpus, in eodem marmoreo tumulo, in quo conditum fuit ab initio, cum corporibus aliorum triginta nouem Martyrum, in septem capsis ligneis occlusis, vbi mansère vsque ad annum 1606. quo Fratres nostri, in nouum conuentum transierunt. Anno 1569. F. Camillus

Campegius Nepesinus, ac Sutrinus Episcopus ex Ordine nostro, singulari deuotione erga hos Sanctos Martyres affe. ctus, eorundem sacras reliquias venerari cupiens, loculos eorundem Decembris 26. aperiri voluit, adstantibus Nepesino, ac Sutrino Generalibus Vicarijs suis cum F. Innocentio de Vico nostro Vicario Nepesino, pluribusq; alijs, inuentaque sunt corpora in cineres redacta, præter scapulam corporis S. Tolomæi sanguine consperſam, quæ à F. Innocentio præfato extracta, in sacrario nostræ Ecclesiæ custoditur, publico instrumento de hac re confecto à Petro Sansonio. Anno 1606. noua S. Tolomæi Ecclesia ad perfectionem redacta, solemni ritu in eam translata sunt sacra corpora die 23. Augusti, Episcopo, Fratribus nostris pluribus, ex Vrbe, atque Viterbio concurrentibus, nec non copiosa populi multitudine adstante, atque sub ara maxima collocata sunt, quorum sepulcrum F. Io: Baptista de Marinis Mag. Ordinis an. 1664. exornauit, S. Tolomæi statua apposita; reliquis eiusdem ornamentis à F. Vincentio Poesio Vicario confectis.

TITVLVS XXXIV.

De Conuentu S. Dominici de Trebio.

CAstrum Trebij, & magnitudine, & populo, ac diuitijs inter Ciuitates Vmbriæ meritò comparandum, Dominicana Religione destitutum mansit vsque ad annum 1617. quo Septembris 21. die, S. Matthæo Apostolo sacra, supplicantibus ciuibus, in eo fixit pedem, sanctissimæ Annunciatæ Oratorio Fratribus concesso: & P. F. Lutio Bataglia Priore S. Domini de Fulgineo, ex mandato P. Generalis Seraphini Sicci, & nomine Romanæ Prouinciæ illud recipiente litteris patentibus sibi à Prouinciali Romano Magistro

gistro Thoma Margottino Perusino Inquisitore datis Romæ 7. Iunij eiusdem anni. Initæ possessionis confectum est instrumentum per acta Francisci Matthioli pub. Notarij præsentibus Card. de Valentibus Spoletano Episcopo, Clero, Ciuibusque cunctis cum Trebano Magistratu.

Permanserunt Fratres ibidem in annexa domo Oratorio eidem vsque ad annum 1631. quo ad ampliorem locum, extra, & propè muros Castri ab eisdem, ciuium eleemosynis fabricatum in ampla planitiæ transierunt; ibique in parua Ecclesia, martij 24. in primis Vesperis pro prima vice diuina celebrauerũt de Annunciatione Sanctissimæ Dei Genetricis. Auctum est postmodum cœnobium, capaxque Ecclesia constructa ab eiusdem loci Vicarijs, affluentibus Ciuium eleemosynis.

Huic Conuentui D. Virgilius Lucarinus nobilis ciuis Trebanus, vir pietate in pauperes spectabilis, ad 12. millia scuta ex patrimonialibus bonis, pro illius conseruatione, atque augumento, procurante Illustrissimo, & Reuerendiss. D. F. Reginaldo Lucarino eius Nepote, Ciuitatis Plebis Episcopo, pia prodigalitate legauit, consequenda post decessum eiusdem Episcopi, euadetque vnus ex bonis Conuentibus Prouinciæ.

TITVLVS XXXV.

De Alijs Conuentibus.

PLures alij conuentus præter recensitos ad Romanam Prouinciam spectauèrunt; quos vel ad alias Prouincias translatos, vel derelictos a nostris, vel suppressos ab Innocentio X. hic referemus.

Conuentus S. Dominici de Reate nobilis est, à sui institutione sub regimine Prouincialium Romanæ Prouinciæ

positus, sub qua permansit vsque ad Sixti Fabri Lucen. Magistri Ord. tempora, qui Congregationi Aprutinæ illum subegit cum conuentu Tiburtino, idque confirmatum fuit in Capitulo Gen. Rom. an. 1589. sicut retulimus in Constitutionibus nostris p. 2. cum de Aprutina Prouincia tractauimus sub num. 40.

Sarzanen. Conuentus & ipse sub Romana Prouincia fuit, cuius mentionem faciunt Regesta Leonardi Mansueti Magistri Ord. ad ann. 1474. fol. 52. in hunc modum. *F. Nicolaus Mazuoli de Florentia Prior Conuentus Sarzanæ habuit præceptum sub pœna excommunicat. quod expellat de Diœcesi Lunen. auctoritate Magistri, etiam cum auxilio brachij sæcularis Fratrem Ioannem, & Fratrem Thomam de Trebiano 5. Iulij. 1474.*

Sed & apud Volateranam ciuitatem fuisse conuentum an. 1501. Regesta Vincentij Bandelli pag.41. à ter. affirmāt, in quibus sequen. fol. 45 memoratur locus Ordinis in terra de Mugello; nec non & apud Pitilianum Fratres nostros locum habuisse eadem Regesta fol. 64. testantur.

Apud Nursiam quoque conuentum habuimus S. Vincētii nunpupatū, eleganti forma fabricatū cū pulcra Ecclesia, quem in suppressione paruorum conuentuum ab Innocentio X an. 1653. facta dereliquerunt Patres nostri, & de eo reassumendo actum est apud Clementem Papam IX. at morte prepropera illo sublato, suum non sortitæ sunt effectum Nursinorum ciuium supplicationes eidem Sanctissimo porrectæ.

In eadem paruorum conuentuum suppressione dimissi sunt quoque parui conuentus S. Thomæ de Terracina & Sanctiss. Annuntiatæ de Ferentino, qui ad immediatum Magistrorum Ordinis regimen spectabant.

Fuit & in Romana Prouincia conuentus de Taliacozzo, qui in eadem facta suppressione à Patribus Aprutinis derelictus, tandem auctis redditibus, & bonis ad illum spectātibus ad supplicationem populi eiusdem loci restitutus est Or-

Ordini ab Alexandro VII. datuſque Romanę Prouinciæ, cuius Fratres illum ferè per decenniũ rexerunt: ac tandem Aprutinæ Prouinciæ reſtituere neceſſe fuit, cum illius viſitatio Romanis Prouincialibus oneroſa nimis videretur.

Apud Sanctam Felicem Terracinen. Diœceſis habuimus Conuentum, S. Dominici de Suriano nuncupatum, ab Excellentiſſ. Dom. Franciſco Caetano Sermonetæ Duce fabricatum, quẽ per 30. ferè annos incolueruerunt noſtri: At congruis redditibus deſtitutus dimiſsus eſt anno 1667.

Habuimus, & Romæ locum S. Silueſtri in monte Quirinali, à Leone Papa x. datum Fratribus Congregationis S. Marci, vt in Vrbe Conuentum haberent pro ſuis negotijs occurrentibus apud Apoſtolicam Sedem, quem incoluerunt Patres noſtri ſub Vicariatus, non verò Prioratus, titulo vſq; ad Pauli IV. tempora, qui illum ſibi concedi à Romana Prouincia, & Ordine voluit, à Patribus Theatinis ſuis incolendum, in quo loco permanebat confeſſarius Tertiariarum noſtrarum S. Mariæ ad Niues nuncupatarum, quæ in eodem loco, vbi nunc eſt Monaſterium SS. Sixti, & Dominici permanebant, vt ex Regeſtis Magiſtrorum Ordinis illorum temporum manifeſtum apparet.

CAPVT

CAPVT III,

DE MONASTERIIS

Sororum Romanæ Prouinciæ.

TERMINATA enarratione Conuentuum Fratrum noſtræ Romanæ Prouinciæ, ad relationem Monaſteriorum Sororum noſtrarum in hoc cap.3.accedimus in quo, omiſsis ijs, quæ iure meritò ab Ordinis cura reiecta ſunt à ſuperioribus noſtris eo quod à Regulari obſeruantia defeciſſent & illorum Sorores eam reaſſumere recuſarent, illa tantùm, quæ ſub actuali cura, regimine viſitatione, atque correctione Romani Prouincialis ſunt referemus.

TI-

T I T V L V S I.

De *Monasterijs Vrbis.*

PRimum tenet locum inter Vrbis Monasteria ad Romanam Prouinciam spectantia illud S. Catharinæ de Senis, cuius initia talia referuntur.

Cum Gregorius XI. iteratis D. Catharinæ Senen. precibus satisfacturus Auenionem deserens in Vrbem venisset. an. 1377. Sanctam Virginem apud se commorari voluit, vt illius orationum auxilio catholicæ Ecclesiæ, atque Apostolicæ Sedis negotia in maiorem Dei gloriam componere valeret: ea propter in Regione S. Eustachij, propè Mineruæ cœnobium, domum ab illa, sodalibusque suis inhabitandam eidem constituit, vbi annos tres permansit, atque in cœlum euolauit, corpore in Mineruæ Ecclesiam illato.

Fama eius sanctitatis in Vrbe, & Orbe percrebrescente, plures Romanæ Virgines abdicatis mundi illecebris, Iesu Christo virginum sponso, cum relictis sodalibus, in Tertiariarum habitu adhæsère, quas B. Raymundus de Capua, qui S. Catherinæ fuerat à sacris confessionibus, per viam salutis dirigens sacris nostris legibus informabat. Verùm ille ad supremum Ordinis regimen electus, Sororibus alium confessarium, ac directorem constituit, cum Fratre Conuerso ad eisdem inseruiendum.

Anno 1509. ita auctus erat virginum numerus, vt iam formatum esset Monasterium, cui Magister Ord. Caietanus Vicarium præfecit F. Antonium de Caramanico, qui in Mineruæ conuentu, cum confessario, atque conuerso assignatus erat: & tandem ab eodem Caietano illud subditum fuit Priori Conuentus Mineruæ pro tempore die 3. April. 1513. vt eius Regesta testantur, & Monialium cadauera ad Ecclesiam Mineræ deferebantur, in sepulcro ante gradus

ca-

capellæ B. Virginis de Rosario, in qua S. Matris corpus quie. scit sepelienda, cui inscriptum est *Di S. Catarina* in eoque sepultæ sunt sorores cunctæ vsque ad annum 1640. quo mēse Aprili decedens Soror Domitilla de Catallis, in noua earum Ecclesia eius cadauer conditum est.

Deo incrementū dante ita virtutibus, ac numero sororum floruit Monasterium hoc, vt ex nobilioribus, principalioribusque familijs Romanis sacræ Virgines in eo voluerint cooptari: nam & Sorori Bernardinæ de Sabellis adeundi sacram Lauretanam domum, licentiam concesit Leonardus Mansuetus 16. Septemb. an. 1474. & Sorori Cœciliæ de Vrsinis dispensationem super vsum lineorum ad carnes 17. Iulij an. 1501. Vincentius Bandellus tribuit & Sorori Annæ de Anguillarijs F. Antonium de Florentia peculiarē confessarium 6. Iulij an. 1546. dedit Albertus Casaus, Magistri Generales Ordinis: & Soror perpetua de Lusignanis ex Regibus Cipri sacro est habituinduta an. 1595. die 23. Februarij: & nouissimè Soror Camilla de Perettis D. Michaelis Venafri Principis filia, & Sixti V. Pont. Max. proneptis, in qua hæc familia desijt, in eo vitam cum morte commutauit an. 1668. in quo & Soror Lucida filia D. Mutij Sfortię, & D. Vrsinæ de Perettis, neptis Sixti V. Marchionum Carauagij dies suos compleuit an. 1659. & Soror Paula Hiacinta de Mendozzis DD. Prinicipum Plumbini filia, in eo obijt an. 1665. & hæ suis meritis, sanguinisque præstantia Monasterium illustrarunt non modicū: sicut & illud spectabile reddunt Sorores, Maria Alexandra de Cæsarinis, atque Angela Margarita Cæsarina eius neptis ex Ducibus ciuitatis nouæ, nec non Anna Constantia Sfortia ex Ducibus S. Floræ, quę in religiosa charitate, & paupertate viuentes, maximum decoris Ordini afferunt ornamentum, cum cœteris Sororibus, & natalibus, & regularis obseruantiæ, ac virtutum fulgore venerabilibus, ita vt constituant Monasterium & nobilitate & numero in Vrbe nemini secundum.

Cogitauere igitur Superiores Ordinis de clausura, atq; re-

gu-

gulari exacta obseruantia in hoc Monasterio constabiliendis, & re cum Gregorio XIII. à Seraphino Caballo Mag. Generali communicata, decretum fuit ex Monasterio obseruantissimo S. Luciæ de Florentia, cuius Moniales Tertiarię quoque erant, quinque Sorores ad hunc effectum transferendas fore. Venērūt igitur in Vrbem 25. die Nouembris an. 1572. Sorores Maria Victoria de Maximis Romana, Constantia de Petruccijs, Baptista de Riccijs, Siluia de Bergomo, atque Columba de Nepe, & ingressæ Monasterium, illicò constabilita est clausura. At quia angustus erat nimis pro monialibus locus, actum est de illis in nobiliorem, ampliorémque transferendis, & annuente eodem Pont. Max. atque sex millia scuta elargiente, emptum est ædificium in Quirinali monte propè turrim excubiarum, vbi erant balnea Pauli Emilij, à D. Duce Camillo de Comitibus, ex cuius nobilissima Romana familia erant tunc in hoc Monasterio Sorores Hippolita atque Angela germanæ, nec non & earum neptis Soror Cleria; eoque in Monasterij formam aptato, egressæ sunt Sorores, & processionaliter binæ, & binæ incedentes, cum Superioribus Ordinis die 12. Octob. S. Remigio sacra anno 1574. illuc sunt ingressæ cum benedictione Pontificis, & sub perpetua clausura, prima Priorissa ibidem instituta Sorore Maria Victoria de Maximis.

Sequenti anno, qui fuit Iubilei 1575. à Magistro Generali sacro nigro velo cunctæ cohonestatæ sunt, receptis ad habitum decem spectatæ indolis puellis, ex quibus octo Deo in choro, reliquæ verò in seruilibus exercitijs monasterij essent inseruituræ.

Anno 1620. cum Sorores essent numero ferè centum, emerunt palatium D. Ducis Camilli de Comitibus die 22. Febr. prætio scutorum decem & octo millium cum annexo viridario, quo in loco Ecclesiam nobilem construxērunt, primo iacto lapide à F. Hiacinto de Stephanis Prouinciali Romano die 1. Martij 1628. quæ tandem opera F. Dominici de Marinis tunc Prioris Mineruæ, postmodum Archiep. A-

uenionem. ad optatum finem perducta est an. 1637. atque à Card. Cæsarino consecrata an. 1640., vt apparet ex sequenti documento eidem in anteriori facie prostanti.

Alexander S. R. E. Diaconus,
Cardinalis Cæsarinus Romanus.
Episcopus Viterbiensis, & Tuscanensis.
Ecclesiam hanc in honorem
S. Seraphicæ Virginis Catharinæ
Die XXIII. Septembris consecrauit
Eamque anniuersaria die visitantibus
XXXX. dies de vera Indulgentia
In perpetuum concessit
Anno Dom. M. D. C. XXXX.

In hoc Monasterio enutritæ sunt sacræ virgines vitæ Sanctitate spectabiles, inter quas eminet Soror Lucia de Narnia, à Deo sacris stigmatibus insignita, quæ Romam ab Alexandro Papa VI. euocata, in priori harum Virginum monasterio cum eisdem permansit. Nec non Sorores Catherina Angelica de Caietanis, & Dominica de Cinque, quæ singulari vitæ sanctitate floruerunt, & preteritis annis in cœlum euolauerunt, prior quidem die 26. Febr. 1659. posterior verò 21. Febr. 1663.

Enutriuntur in hoc Monasterio supra centum Virgines, & natalibus, & virtutibus, atque regulari obseruantia venerabiles, inter quas, nec etiam infirmæ, lineis vtuntur ad carnes. Erga Ordinem maximo pollent affectu, illiusque Superiores, ac mandata obedientia summa venerantur.

Copiosiorem de fundatione, ac progressu huius prestantissimi, ac nobilissimi Monasterij enarrationem contexuit præsentis operis Author dum apud easdem Sacras Virgines Confessarij onus sustineret anno 1658. quam principaliori libro earundem, inscripto *Ab Ingressu* apposuit.

Ex monum. Eiusd. Monast.

Se-

SEcundum consequitur locum in Vrbe Monasterium Sanctæ Mariæ Magdalenæ in monte Quirinali constitutum, atque in stricta regulari obseruantia fundatum, quod à Sorore Maria Magdalena Vrsina de Cœsiis sua sumpsit exordia anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo secundo sequentibus initiis, atque in via Dei profectibus.

Nobilis Domina Maria Magdalena de Vrsinis, relicta q. Lelij de Cœsijs Cerę Ducis, humanarum rerum pertæsa, soli Deo vacatura, de ingressu in regularis vitæ Monasterium cogitauit, & Monialium S. Andreæ de Spoleto in stricta regulari obseruantia viuentium, ab omni hominum consortio semotarum fama in Vrbe volitante, hęc Magdalenam ad illud accedendum allexit. Re cum F. Dauide de Caluis nostri Ord. proprio confessario communicata, & orationibus comprobata, ex Vrbe Domum Lauretanam versus, discedens Iunio mense an. 1576. ætatis suæ 42. cum suorũ comitatu famulorum Spoletum primis Iulii diebus ingressa, post visitatas ibidem Ecclesias ad Monasterium nostrum S. Andreæ, quod & S. Catharinæ de Rosa dictum est, accessit, atque illud, nil tale cogitantibus famulis, necessarij tamen licentijs Gregorij XIII. & Vicarij Ordinis F. Sixti Fabri secum delatis, ingressa est, vbi in sæculari habitu per sex menses, Monialium videndi ritum expertura permansit. Verùm Religiosi status desiderio succensa, albam Sororum tunicam primò induit; toto postmodum earundem Religioso habitu donata à F. Zenobio de Villa, Priore Perusino, ex mandato F. Antonini Brancuti Prouincialis Romani, Dom. Fuluio de Vrsinis Spoletano Episcopo adstante ipso die Epiphaniæ 6. Ianuarij anno Salutis humanæ millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, qua & cunctæ eiusdem Monasterijs Sanctimoniales Tertiariarum habitu indutæ, & sacrum velum assumpserunt, & religiosam professionem emisèrunt, sub perpetua clausura reclusæ vsque in hodiernum diem.

Mariæ Magdalenæ sibi nomen in religione retinuit, & charitatis operibus addicta, ex patrimonialibus diuitijs pro dote sibi traditis, quatuor millia scutorum Monasterio in eleemosijnā dedit, quod & pluribus alijs bonis auxit. Centū annui perpetui redditus scuta pro Capitulis celebrandis Romanæ prouinciæ donauit, nec non conuentui nostro Spoletano S. Saluatoris 800. scuta in Patrum subsidium attribuit.

Imminente professionis tempore, ab illa abstinuit ob lites sibi à viri consanguineis, causa dotis motas, quas cum pluribus annis ob propriam ab Vrbe absentiam dirimere non valeret, de accessu ad illam cogitauit.

Anno igitur 1582. empto in monte Quirinali propè Monasterium Sororum Capuccinarum palatio cum annexa vinea, ac viridario, prætio scutorum 3700. alijsque domibus, ijsquè in Monasterij formam aptatis, annuoque perpetuo redditu scutorum 780. in dotem eidem constituto, Apostolica, atquè Ordinis auctoritate Spoleto discedens 11. Martij anno 1582. cum Sororibus Innocentia, atquè Clementia de Realibus, Gabriella Spoletana, Maria Perpetua de Lilijs, Dorothea de Sermoneta, Maria Felice Herculana, nec non Lucia de Collescipionis Vrbem ingressæ sunt in lecticis reclusæ 15. die eiusdem mensis, à F. Timothæo Bottonio Vicario Generali Ord. ex mandato Gregorij XIII. sociatæ, præcedente Domini Nostri Iesu Christi Crucifixi elata imagine, & recto tramite nouum Monasterium, quod S. Mariæ Magdalenæ nuncupandum voluit, ingressæ sunt cunctæ; transslatis postmodum ad idem ex Monasterio S. Catharinæ de Viterbio Apost. auctoritate etiam duabus alijs Sororibus Magdalena de Casalibus, & Clementia de Orlandis.

In hunc modum Monasterium hoc constabilitum est, ex quo prodiere complures Sacræ Virgines vitæ Sanctitate spectabiles: viuentque Sorores in strictissima regulari obseruantia, ità à secularium consortio alienæ, vt neque in vita, neq; in morte, etiā parentum oculis, se spectandas præbeant.

Ex monumen. huius Monast.

TErtium obtinet locum Monasterium Sanctæ Mariæ de Humilitate, ad radices Montis Quirinalis constitutum, quod in sui fundatione tale habuit initium anno reparati orbis millesimo sexcentesimo tertiodecimo.

Illustris D.Francisca de Baleonibus Pirri,& Catherinæ de Medicis nobilis filia atque Clementis Papæ VII. neptis, Francisco de Vrsinis in ætate annorum 14.in matrimonium, data, viro defuncto, facultates suas in obsequium Christi Iesu erogatura,Monasterium sub nomine S.Mariæ de Humilitate in Vrbe construxit, primo iacto ab ea lapide die 7. Martij S. Thomæ Aquinati sacra anno 1601. quo terminato anno 1613. illiud Seraphino Sicco Magistro Ordinis à Monialibus nostris sub Ordinis cura, & gubernio, inhabitandū, publico instrumento tradidit 29. die Septemb. S. Michaeli Archangelo,coeterisquè Angelis dicata, qua die ex concessione Apostolica Pauli V. Pont. Max. tres ex Monasterio S. Mariæ Magdalenæ in Quirinali erutæ sunt sacræ Virgines pro illo fundando, nouasque Sorores recipiendas, sacris nostris legibns informando.Inter has fuit SororAngela de Marerijs tunc temporis ibidem Priorissa, à Magistro Generali à suo officio absoluta, atque in nouo Monasterio Priorissa instituta; Altera fuit Soror Maria Angela de Alterijs: Tertia verò Soror Catherina ex Comitibus de la Genga;& transactis mensibus tribus ex eodem Monasterio S.Mariæ Magdalenæ translata est ad hoc Soror Maria Iacoba ex Comitibus della Genga Sororis Catherinæ præfatæ germana.

Clauso Monasterio illud annuis redditibus ditauit pro congrua sustentatione triginta Sororum velatarum, & octo conuersarum gratis in eo recipiendarum; ea tamen lege vt recipiendæ sint Romanæ, nobiles, pauperes, Virgines, & ex legitimo matrimonio natæ, quod fuit confirmatum per Breue Apostolicum à Paulo V. Ingressa est autem & ipsa Domina Francisca cum filiabus suis spiritualibus in Monasterium,in quo sub viduitatis habitu post annos tredecim decessit

cessit 1626. Iulij 15. die, ibidem apud Moniales sepultura electa.

Anno 1641. iacta sunt fundamenta nouæ Ecclesiæ, quam breui temporis interuallo, vrgente Magistro Ord. Nicolao Rodulphio, cuius tres Sacræ Virgines neptes ex Baronibus Filaciani in eodem inculpatam vitam degebant, perfectam vidimus, eidemque in interiori eiusdem facie tale prostat perpetuum erga piã fundatricem amoris documentum.

FRANCISCÆ BALEONÆ VRSINÆ.
Quæ viro defuncto hanc ædem,
Adiunctumq; Monasteriũ, area peramplè designata
Circumiectisquè domibus suo ære cœmptis
Fundauit, excitauit, ad exitum perduxit
Idoneo redditu muniuit.
Ipsa reliqum ætatis inter sacras
Eiusdem Collegij Virgines exegit.
Obijtque Anno ætatis suæ LXXXIII.
Salutis M.D.C.XXVI.
Huius Cœnobij Virgines.
Fundatrici Munificentissimæ PP.

Ex monumentis huius Monast.

Est & in Vrbe aliud Sororum Ordinis Monasterium à Pio V. fundatum sub Regula, & Constitutionibus nostris: pro cathecumenis puellis, Nœphitorumque filiabus, quod cum Nœphitorum Collegio, atquè Cathecumenorum domo ab vno eodemque Card. Protectore regitur, & gubernatur. Fuerunt autem in illo confessarij Fratres Ordinis à sui institutione vsquè ad Pauli V. tempora, ex quibus nouissimus fuit P. Mag. F. Ambrosius Brandius de Conuentu Mineruæ, qui hæc nobis enarrauit.

Mona-

Monasterium S. Cœciliæ, Ordinis Humiliatorum sub cura quoque Ordinis fuit, cui à Magistris Generalibus præficiebantur confessarij ex nostris, vt eorundem Regesta antiqua testantur.

Sed & Monasterio S.Claræ, Ord. S.Francisci propè Mineruā præfecti sunt cōfessarij ex nostris, ab illarū Protectoribus Cardinalibus tamen, longo annorum decursu, vsque ad annum 1654. ex quibus vltimus fuit P. Mag. Magalianes de Conuentu Tiburtino, post quem Card. Franciscus Barberinus Protector eisdem Monialibus confessarios Præsbyteros sæculares dedit, vt vidimus.

Est quoquè in Vrbe aliud Sororum nostrarum Monasterium nobilissimum sub cura, & gubernio Prioris S. Sabinæ; Sanctorum Dominici, & Sixti nuncupatum, quod ad Prouinciam Lombardiæ spectat.

TITVLVS II.

De Monasterijs Viterbiensibus.

INclitum Sororum nostrarum Monasterium Sancti Dominici de Viterbio talia consecutū est nobilia principia. Constructo Patrum nostrorum Sanctæ Mariç ad Gradus cœnobio, cum Fratres animarum saluti intenti, quasdam virgines ad se confluentes, vt in proposito seruandæ virginitatis permanerent, quotidianis exhortationibus edocerent ac consolidassent, easdem tertij Ordinis habitu, hoc est tunica alba, zona coriacea præcinta, cum cappa nigra induèrunt quæ in domibus paternis permanentes, ad diuina Ecclesiam nostram Gradensem petebāt, vbi à Patre Sacerdote, à Priore selecto, in Dei via, ac sacramentorum frequentia dirigebantur; & hæ Sorores oblatæ vocabantur, eo quod quæ habebant in dei obsequium offerebant.

Ab hominum igitur consortio semotæ hæ Virgines vigilijs orationibus, cœterisque pietatis operibus addictæ, plu-

res alias allexerunt Virgines ad assumptum institutum prosequendum, quibus omnibus Generalis Leonardus de Mansuetis Dominica prima Septembris anno 1479. sudariolum ad gulam, pectus, atque collum contegendum propria manu attribuit, Sororis nomine singulis elargito.

His honoribus, atque beneficijs acutæ sacræ Virgines, paternas domos deserentes in vnam amplam, & capacem se recepèrunt cunctæ prope S.Bernardinum anno 1482. in sancta obseruantia omnia communia habentes, vbi sine clausura vsquè ad annum 1517. permanentes, pro diuinis Ecclesiam nostram frequentabant.

Anno verò 1517. vt propinquiores essent Graden. Ecclesiæ, in alteram domum prope maiorem fontem transierunt, ad easdem recipiendas aptiorem, & anno 1521. ad petitionem Viterbien. Magistratus á Preceptore hospitalis S. Spiritus de Vrbe consequtæ sunt paruam Ecclesiam S. Spiritus sibi contiguam, quo in loco ædificauerunt amplum Monasterium cum Ecclesia S.P. Dominico dicata, quæ an. 1613. perfecta est.

In eo permanseruut Monasterio sub oblatarum habitu vsque ad annum 1582. quo Martij 2. quæ in 6. feriam incidit, in passionis Domini Nostri Iesu Christi memoriam religioso scapulari albo ex mandato Pauli Constabilis Magistri Ord. vestitæ sunt à F. Petro Martire de Saracenis Priore Graden. eademque die perpetuam clausuram elegerunt, Sorore Angela de Spiritibus Priorissa.

Anno tandem 1646. Maij 29. die, quæ in feriam tertiam D. P. Dominico sacram, incidit, mandante Innocentio Papa X. apud Viterbium in castro S. Martini existente, F. Dominicus de Marinis Vicarius Generalis Ordinis (absente Thoma Turco Magistro, in visitatione Galliæ detento) nigro velo donatæ sunt. Quibus & idem Pont. Max. duo millia scuta pro ampliando Monasterio, nec non corpus S. Filomeni Mart. dono dedit, ingressus in illud semel, atque iterum cum præfato Generali Vicario, & Cardinalibus,

monia-

monialibus ad pedum sacrorum oscula admissis.

Cun his Virginibus in priori loco apud D. Bernardinum existentibus, diu mansit Venerabilis Sponsa Christi Soror Lucia de Narnia, ibique sacris Christi Stigmatibus insignita est feria 4. post 2. Dominicam Quadragesimæ anno 1497. prout ex processu de Alexandri Papa VI. mandato formato, constat, in Monasterio monialium S. Catherinæ Ferrariæ ab illa fundato, existente ipsa, ad quam ciuitatem petente Hercul e Ferrariæ Duce ab eodem Pont. Max. missa fuerat, vbi euolauit in cœlum 15. Nouemb. anno 1545.

Visitur vsque in præsentem diem in exteriori facie domus, quam tunc incolebant oblatæ Virgines, tale de his documentum.

D. O. M.

Siste viator ad contubernium cœlitum.
Vbi Beata Virgo Narnien. Lucia.
Sacro D. Dominici Gyneceo satis extructo.
Passi numinis meruit Stigmata.
Expressa virtutum insignia.
Mox Ferrariæ iussu Alex. VI. P. M.
Religionis Antistita pietatem auxit.
Familia Pacia Viterb. tutelari Optimæ.
Amoris obsequium Pos.
Anno Dom. M. DC. LXI.

Et eius Cellæ in Oratorium Apostolica auctoritate versæ tale prostat documentum.

Ad M. D. G.

B. Luciæ Virgini Narnien.
Huius hoſpitæ domus.
Sacellum hoc, ante, eius cellulam.
In religionis, & grati animi argumentum.
Dominicus Pacius Canonicus S. Angeli.
Patronæ Opt. erexit, ornauit, dicauit.
Anno Dom. M. DC. LXI.

In hoc Monaſterio ferè centum aluntur Sacræ Virgines, in quo quàplures vitæ Sanctitate floruèrunt, & inter eas primum locum conſequitur Soror Maria Boccabella de Sutrio, abſtinentia, vigilijs, ac diſciplinis mirabilis, quæ à Dæmonibus multipliciter vexata, cœleſtibus viſionibus recreata, euolauit in cœlum ipſo Aſſumptionis B. Virginis die: cum Sacro Religionis habitu donata fuiſſet anno 1539.

Ex monumen. huius Monaſterij.

EST & Viterbij aliud Sororum Monaſterium Sanctæ Catherinæ Mart. dictum, cuius initia talia fuerunt. Nicolaus Bonellus medicus Viterbienſis diuitijs affluens, filijſque deſtitutus ſua bona cuncta Deo dicare deliberans, Monaſterium Sororum noſtrarum ſub Dominicana profeſſione, & cura Frattum B. Mariæ ſuper Quercum, qui ſub Congregatione S. Marci viuebant, inſtituere, ac fundare decreuit, quod exequutioni datum eſt anno 1520. Leone x. Pontifice Max. regnante.

Monaſterii fabrica completa inſtitit Nicolaus apud noſtrum Card. Caietanum, Superioreſque Ordinis, ac Prouinciæ, vt Sacras Virginæ ex aliis Monaſteriis eductas ad huius inſti-

institutionem, ac fundationem Viterbium mitterent, quod mandante Magistro Generali Garsia de Loaysa perfectum est, missis illuc ex Monasterio S. Pauli de Vrbeueteri Sorore Brigitta de Manettis cum nouitiatu puellarum à se sacris legibus nostris imbutarum, sicuti tabularia ipsius Monasterii S. Pauli testantur.

Cum verò conuertitarum Vrbis Monasterium, seu potius conseruatorium reformatione non modica indigeret, Leo Papa x. illarum laxatos mores in melius compositurus, ex eodem S.Pauli Monasterio sex Sorores, morum candore spectabiles eductas in Vrbem vocauit, quarum nomina sunt Margarita de Vrbeueteri, Angelica, & Constantia de Risalitis Florentinæ, Maria de Torregianis, Alexandra de Caccinis, cum vna Sorore Conuersa, atque in earundem Conuertitarum Conseruatorium introductas, illarum in via Dei directrices ipsas constituit, quas per tres continuos annos in S. Augustini regula, ac religioso viuendi ritu edoctas, atq; benè informatas, scapulariq; nigro cum tunica alba, ad instar Conuersarum nostrarum donatas, de licentia eiusdem Pontificis dimisère, in proprium S. Pauli cœnobium reuersuræ anno 1520. Cæterum cum per Viterbium essent transituræ, de Superiorum mandato pro constabiliendo Monasterio hoc, illud ingressæ sunt, in obseruantia regulari viuentes, quæ vsquè in hodiernam diem ibi viget, estq; vnum ex nobilibus Romanæ Prouinciæ sub cura, ac regimine Prioris Conuentus S. Mariæ ad Gradus.

Ex monumen. eiusd. Monast.

TITVLVS III.

De Monasterijs Vrbeuetanis.

SANCTI Pauli de Vrbeueteri Monasterium sua sumpsit nobilia exordia anno 1221. à Monacis S. Pauli de Vrbe ædificatum, quod cum fuisset perfectum, atq; à Monialibus inhabitatum, anno 1289. obtinuerunt illæ facultatem assumendi sibi confessarios ex nostro Ordine, quibus, & quatuor Fratres de Conuentu S. Dominici eiusdem Ciuitatis fuerunt concessi, & successiuè alii vsq; ad Benedicti XI. tempora, qui anno 1303. petentibus Sororibus ipsis, Monasterium curæ Ordinis subegit per Apostolicum Breue datum apud Lateranum 5. Decemb. sui pontificat. I. dimissoq; Monachali hibitu nigro, nostrum induere Dominicanum decreuerunt.

Cum verò Congregatio S. Marci de Florentia sub F. Hieronymo Sanonarola in regulari obseruantia floreret, institèrunt Moniales apud Ioachinum Turrianum Magistrum Generalem, vt sibi ex eadem regulari obseruantia Patrem confessarium concederet pro Monasterio ad illum promouendo, votiq; compotes effectæ sunt, primæ inter Sorores, quæ regularem strictam obseruantiam sunt amplexatæ, vt testatur Clemens Papa VII. in suo Breui, dato apud Vrbem Veterem vltima Martij anno 1528.

Propè, & circum circa Monasterium hoc quatuor alia erant Monialium Benedictinę professionis cœnobia, S. Agnetis, S. Catherinæ Mart. S. Cæciliæ, & S. Pancratij, quæ fuerunt diruta, & cum Monasterio S. Pauli incorporata anno 1493. ex concessione Alexandri Papæ VI. qui talem incorporationem Apostolico Breui approbauit, dato Romæ anno 1499. sui pontificat. 8.

Anno 1528. Clemens Papa VII. in Vrbeuetana Ciuitate existens,

existens Monasterium hoc ingressus, Sororibus ad pedum oscula admissis indulsit, vt Ecclesias S Pancratii, & S. Catherinæ Mart. demoliri possent, ea tamen lege, vt in propria S. Pauli bina Sacella eisdem SS. Martyribus dicata erigerent; & insuper à solutione decimarum, subsidiorumque eas absoluit per Breue, datum apud Vrbem veterem an. suprad.

Ex Monasterio hoc, tanquam regularis obseruantiæ fœcundo seminario, prodière aliorum cœnobiorum reformatrices, ac fundatrices. Nam illud S. Catherinæ de Viterbio à Sorore Brigitta de Manettis fuit fundatum; & illud S. Thomæ de Perusio ex Cistercien. Ordine ad nostrum translatum est, atque sacris constitutionibus imbutum á Sororibus Catherina de Pollidoris, Cherubina de Florentia, & Seraphina Battifang; & illud B. Agnetis de Montepolitiano Monialibus destitutum, à Sororibus Dominica de Tarusiis, Constantia de Affumatis, atque Maria Modesta de Ferulis, in pristinum statum restitutum fuisse, monumenta huius Monasterii enarrant.

In hac S. Pauli Ecclesia plures Sacrę Reliquiæ, inter quas S. Pauli Apostoli brachium, & S. Pancratii Mart. crus, asseruantur.

Ex hoc cœnobio in cœlum euolauerunt, inter cœteras vitę sanctitate Venerabiles Sorores, Alexandra Caccina Florentina: Seraphina de Battifango; Angelica Arcita; Dorothea de Marabottinis: Paula de Paccionis: Alexandra de Bagnaia; atque Dorothea Conuersa, cum pluribus aliis, quarum nomina sunt in libro vitæ.

Ex monument. huius Monast.

EST & in Vrbeueteri aliud Sororum nostrarum Monasterium, S. Petri dictum, quod subditum fuisse regimini Ordinis per speciale Breue Clementis Papæ VII. die 18. Octob. anno 1531. certum est, ipso Breui Apostolico apud easdem Moniales existente. Cœterum cuius Monachalis

chalis instituti tunc temporis essent, vel quando ad nostrum Dominicanum transierint, incertum. Indubitatum tamen est cuncta earundem tabularia, ac scripturas igne consumptas fuisse.

Induxit Clementem Pontificem ad subiiciendum Ordini Monasterium hoc, quod Cistercien. professionis fuisse quidam tradunt, probata vita regularis, sub qua viuebant Sorores nostræ Sancti Pauli eiusdem Ciuitatis, in quod non semel ingressus Pontifex, sedulam earundem protectionis curam gerebat. Cogitauit igitur de Monialibus his reformandis, earumque laxatis moribus compescendis; ac propterea illas correctioni Ordinis subegit, aliquibus sacris Virginibus ex Monasterio S. Pauli ad hunc effectum euulsis.

Regulari igitur viuendi modo, sacrarum Virginum professioni debito restitutæ illę, plures nobiliorum, nedum eiusdem Ciuitatis, sed & exterarum puellas in suum consortium receperunt; ita vt hodierna die sit vnum ex pręcipuis Vrbeuetanis Monasteriis, imò & ex sacris Sororum cœnobiis nostræ Romanæ Prouinciæ, de quarum reformatione, ac religioso viuendi modo plenam faciunt fidē Magistrorum Ordinis superioris sæculi Reggesta.

TITVLVS IV.

De Monasterijs Perusinis.

SANCTI Thomæ Monasterium cum ad Sanctimoniales Cisterciensis Ordinis à sui institutione spectaret, atque in regulari obseruantia nimis defluxisset, actum est ab Hyppolito Cornæo Perusino Episcopo de Monialibus illis ad meliorem viuendi normam reducendis. Re itaque cum Iulio III. Pontifice discussâ, decreuit ipse pro earundem reformatione Sorores aliquas ex Monasterio nostro S. Pauli de Vrbeueteri educendas fore, atque in hoc transferendas, de

consensu

consensu tamen, & beneplacito Magistri Ordinis Stephani Vsusmaris: qui Pontificis Max. mandatis satisfacturus sorores Catherinam de Florentia, Catherinam de Pollidoris, & Seraphinam de Battisango ex Monasterio prędicto S. Pauli extrahens, in hoc S. Thomæ transtulit, vbi propriæ inculpatæ vitæ exemplo, assiduisque exhortationibus Moniales ad deponendum laxatum viuendi modum cum Cisterciensi habitu, nouumque Dominicanum cum annexa regulari obseruantia amplexandum allexerunt, quod præstitère illæ facultate à Pontifice Max. consequta anno 1555.

Immutato cum habitu immutauerunt quoque mores Moniales pietatibus operibus totaliter addictæ, ex quo factum est vt nobiles multi Perusini proprias puellas illis in via Dei dirigendas traderent, ex quibus multæ in regulari obseruantia ibidem Deo addictæ Agnum Virginum sponsum sequtæ sunt, inter quas iure merito recensenda est soror Dominica de Brandeschis, quæ à tenera ætate ibidem enutrita, tanta simplicitate, ac in Deum, Beatissimamque Virginem pietate floruit, vt crebris reuelationibus à Domino Nostro Iesu Christo meruerit recreari. Ab eodem ad penitentias pro obstinato peccatore subeundas inuitata, respondit: *Paratum cor meum Deus, Paratum cor meum*, & septem annos in pane, & aqua pro illo ieiunauit, post quos à Dei Genitrice de peccatoris conuersione monita fuit. Decessit eiusdem Monasterij Priorissa anno 1598. maximo populi concursu ad corporis illius venerationem confluentis.

Ex monumen. huius Monasterij.

ALterum est & Perusij Monasterium, B. Columbæ dictum, cuius talia fuerunt exordia.

Cum B. Columba Reatina à Priore eiusdem Ciuitatis Tertiariarum religioso habitu donata Perusium venisset, ab alijs Tertiarijs mulieribus nostris benignè suscepta, in manus

F. Ste-

F. Stephani de Vio, Perusini cœnobij S. Dominici Prioris sacram professionem emisit anno ætatis 23. salutis verò 1490. & cum eisdem Tertiarijs in domo inclusa, soli Deo vacabat, nobilium puellas sacris exhortationibus per pietatis semitam dirigendo. Quibus permoti nobiles Perusini cogitauerũt de Monasterio illis construendo, cuius iacta sunt fundamenta 22. Februarij anno 1493. Monaldo Boncambio, Benedicto de Guidalottis, & Ioanne Francisco de Gregorio à Priore S. Dominici ædificio præpositis, sub nomine S. Catherinæ Senen. erigendo prope portam S. Petri, & non longè à Fratrum nostrorum conuentu, ipsa Columba primo lapide ponente.

Adiutrices manus porrigentibus Perusinis, duorum annorum decursu ædificium ita perfectum est, vt quinquaginta sacræ Virgines in illo alerentur ex nobilibus Ciuitatis. Talia sunt huius venerabilis Monasterij initia, atq; incrementa, quod mutato nomine S. Catherinæ Senen. in B. Columbæ, vnum est ex præstantioribus eiusdem Ciuitatis ob nobiles Virgines, virtutes, pietatem, atque regularem obseruantiam, quibus affluit.

Ibi mansit B. Columba, à suis sacris Virginibus in veneratione maxima semper habita, & nonnisi festis diebus ad Ecclesiam S. Dominici pro diuinis officijs, sacris confessionibus, atque alijs pietatis operibus cum illis exibat. Eam Ciuitatem à grassante lue suis præcibus liberauit, & virtutibus, ac miraculis clara, cœlesti sponso iuncta est in Cœlis, deposito in terris carnis onere Maij 20. anno millesimo quingẽtesimo vno, facto populorum magno concursu, vicinarum etiam Ciuitatum ad sacrum corpus venerandum. De cuius canonizatione agitur apud Apostolicam Sedem, 167. testibus pro illa examinatis. Eius vitam compilauère plures ex nostris; nouissimè autem illam typis mandauit D. Ioseph Balestra de Laureto, Perusij impressam anno 1652. ex qua supradicta eruimus sed de ea infra.

TI-

TITVLVS V.

De Monasterijs Fulginaten. & Spoletano.

SOrorum S. Mariæ de Populo apud Fulgineum Monasterium tale habuit initium.

Cum Bartholomæus Monachus Sublacen. ex Caietana Familia Fulginaten. Episcopus à Capitulo electus, à Bonifacio VIII. Pont. affini suo confirmatus fuisset an. 1296. in eadem Ciuitate duo Ordinis nostri Sororum Monasteria proprio ære instituit, & fundauit circa annum 1300. quorum vnum S. Mariæ de Populo, alterum verò S. Mariæ del Verde dixit, & hæc bina Monasteria perseuerauerunt vsque ad Eugenij IV. tempora, cuius Vmbriæ Legatus Card. Dominicus Capranica ob paupertatem Fulginatensium Monasteriorum, illud de Cruce Ord. S. Augustini, & aliud Puellarum dictum eiusdem instituti, necnon præfatum S. Mariæ del Verde cum Monasterio S. Mariæ de Populo vnienda decreuit: quod confirmatum fuit ab eodem Eugenio Pont. an. 1446. Apostolico Breui. At sequenti anno è mortalibus sublato Eugenio, ad Nicolaum V. Pontificem electum recursum habuerunt Sorores prædictæ Ordinis S. Augustini pro reuocatione Apostolici decreti, eo quod diuersæ professionis essent à Sororibus Dominicanis de Populo, qui illas in suis Monasterijs perseuerare voluit, solis Sororibus del Verde in Cœnobium S. Mariæ de Populo translatis.

Anno 1596. Sorores hæ strictam regularem obseruantiam susceperunt, tunc Fulginaten. S. Dominici Priore Fr. Matthæo Lacchio, earundemque confessario Fr. Seraphino Ractio, seu Razzio, vt communiter dicitur.

De his duobus Sororum nostrarũ vnitis Monasterijs tractant Ludouicus de Iacobillis in vita S. Feliciani Mart. atque

Vghellus Ital.Sac. tom.1. inter Fulginaten. Ep. ſub num.28. nec non & Monumenta huius Monaſterij, quod ex minoribus Prouinciæ eſt ob eius paupertatem.

MOnaſterium autem Sororum noſtrarum S. Andreæ de Spoleto tale habuit initium. In ipſo limine fundationis Conuentus noſtri Spoletani S. Saluatoris nonnullæ mulieres, à Patribus noſtris in via ſalutis æternæ directæ, Tertiariarum habitum ſuſceperunt, in domibus proprijs permanentes, quæ poſtmodum temporis progreſſu numero auctæ, in vnum tandem collectæ ſunt anno 1464. a pio viro de Fraſcheta familia, domo eis attributa cum quadam annexa capella, ſeu Eccleſiola, S. Catharinæ de Roſa dicta poſtmodum: quo in loco permanſerunt vſque ad Gregorij XIII. tempora, qui anno 1574. eiſdem in numero multiplicatis conceſſit Eccleſiam Parochialem S. Andreæ Apoſtoli cum domibus, hortoque contiguis; cura tamen animarum Parochiæ Fratribus noſtris S. Saluatoris attributa; ex quo factum eſt, vt huius Monaſterij Moniales, & S. Catherinæ de Roſa in antiquis inſtrumentis, & S. Andreæ in poſterioribus dicantur.

Cum verò noſter Spoletanus Conuentus Romanæ Prouinciæ pro regulari obſeruantia eidem reſtituenda, ſubactus fuiſſet à Clemente VII. anno 1532. etiam Sorores huius Monaſterij eandem amplexatæ ſunt, ad amuſſim conſtitutionum noſtrarum obſeruatrices effectæ, quæ in religioſa paupertate, & charitate viuentes, ab omni ſæcularium conuerſatione, & colloquio alienæ fuerunt.

Fama igitur virtutum Sororum harum percrebreſcens in Vrbe, allexit D. Magdalenam de Vrſinis, relictam q. Lelij de Ceſis Cæræ Ducis, quæ abdicatis Mũdanis pompis, Ieſum Chriſtum, & hunc Crucifixum, amplexura; ex Vrbe diſcendens, & Spoletum petens, de Summi Pont. Gregorij XIII. Vicarijq; Generalis noſtri licentia, cœnobium hoc eſt ingreſſa, annum 42. agens, decurſiſque ſex menſibus, habitum

bitum Ordinis induit per manus Zenobii de Villa Prioris s. Dominici de Perusio 6. Ianuarii an. 1577. quatuor mille scutis aureis monasterio elargitis. Cumque per quinquennium ibidem sub arcta regulari obseruantia vixisset, debitis sibi à defuncti viri consanguineis aliis scutis aureis viginti millibus, de fundando nouo monasterio in Quirinali Vrbis prope pontificium palatium sub D. Dominici professione, ac statutis cogitauit, quod & executioni dedit, annuente Gregorio XIII. Pont. Max. idque approbante, atque sub cura Ord. acceptante Paulo Constabili Generali magistro: quod S. Mariæ Magdalenæ nuncupandum voluit. Eadem igitur die 6. Ianuarii qua D. Maria Magdalena Ordinis habitu induta est, cœteræ Sanctimoniales, cum Tertiariarũ habitum ad illud vsque tempus gestassent, ipsa suadente, ac hortante, & nigrum velum de licentia Vicarii Generalis Sixti Fabri, à F. Dauide de Casulis Perusino Priore susceperunt, & sacram solemnem professionem sub clausura perpetua emiserunt.

Pecuniis igitur elargitis monasterio huic à prefata Domina, auctum est ædificiis monasterium, quod vsque in hodiernum diem in regulari obseruantia manens, Ordini nostro non modicum affert laudis ornamentum.

Ex Monumen. huius Monast.

TITVLVS VI.

De *Monasterio Camerinen.*

MOnasterium Sororum nostrarum S. Catharinæ Senensis de Camerino debilia habuit initia ex quibusdam Tertiarijs in parua casa diu permanentibus cum Sorore Iu-

lia Ciccarella ex eadem Ciuitate, quam tandem habitationem in aptiorem, & commodiorem cōmutauerunt illę anno 1608. empta domo satis ampla in eo loco, vbi permanet Monasterium, in quam ingressæ sunt decem Virgines, ipsa Sorore Iulia Romæ apud D. Theodoram de Marinis commorante. Tandem in patriam reuersa illa, emendicatis hinc inde eleemosynis constabilitum est Monasterium an. 1617. Nouembris 24. die, Fr. Vincentio Peculo Romano de Conuentu Mineruæ ibidem s. Dominici Priore, pro cuius institutione Dominicus Cardinalis Gimnasius, cui pietas, atque inculpata vita Sororis Iuliæ nota erat, partes illius, & Ordinis in Congregatione Episcoporum & Regularium suscepit, ac gratiosum decretum obtinuit, & quoad vixit eiusdem protectionem habuit, ipsa Iulia Priorissa à Romano Prouinciali instituta, & primo confessario illis attributo Fr. Raphaele de Perusio.

Euolauit in cælum postmodum Soror Iulia die 11. Februarij anno 1621. ætatis suæ 84. miraculis, ac diuinis reuelationibus clara, cuius vitam, gesta, & mortem prætiosam euulgauit in Vrbe P. Mag. Pius Manardus Camers Socius magistri Sacri Palatij typis Philippi Mariæ Mancini an. 1668.

Bene fundato monasterio hoc super firmam petram regularis obseruantiæ, ita Sorores suis virtutibus Camerinenses allexerunt, vt puellæ multæ nobiles abdicatis mundi vanitatibus inter illos Agno virginum sponso inseruire decreuerint: & hoc pacto constabilitum est monasterium hoc Sororum, & natalibus & virtutibus, & regulari obseruantia venerabilium sub cura Prioris S. Dominici eiusdem Ciuitatis.

Ex monumen. eiusd. Monast.

TI-

TITVLVS VII.

De Monasterijs Florentinis.

MOnasteriorum S. Iacobi de Ripolis, & S. Dominici talia sunt initia. Postquam dereliquerunt Patres nostri locum in planitie Ripolitana, in nouum S. Mariæ nouellæ locum se recipientes, eundem incoluntunt Fratres Minores aliquibus annis, qui & ipsi commodiori habitatione intra Ciuitatem suscepta illum deseruerunt, quòd occasionem præbuit nostris fundandi ibidem Ordinis monasterium pro aliquibus Virginibus Omnipotenti Deo sub S. Patris Dominici professione vitam degere anhelantibus. Re igitur cum Florentino Episc. ac Senatu communicata, cuncta pro Patrum voto fuerunt exequtioni mandata. Aptato in meliorem formam ædificio, plurimæ Virgines ex Florentinis nobilioribus familijs in nouum monasterium ingressæ, sacro Religionis habitu donatæ sunt, sub custodia, gubernio, ac directione Patrum nostrorum S. Mariæ Nouellæ, ibique humanarum rerum pertesæ, soli Deo vacabant, pietatis operibus ex corde, ita addictæ, vt Florentino Populo, ac nobilibus Christianæ pietatis fierent in documentum; atque vna ex eis S. Petri Martyris animam, eadem hora, quà ab impijs hereticis pro fide fuerat ipse intrfectus, conscendentem in cœlum, & à Christo Domino, Beatissimaque cœli Regina benignissimè susceptam, prætiosissimaque corona redimitam, diuina reuelatione videre promeruerit. Cæterum quia inhabitatæ ædes cum Ecclesia ad Episcopum Florentinum pleno iure spectabant, institere Sorores apud Ioannem de Mangiadoris Florentinum Episcopum, vt eas sibi dono dare dignaretur, ita, vt à successoribus Episcopis ab illis amoueri non possent, qui earum iustæ petitioni benignè annuens, cuncta quæ petebant illis concessit.

Con-

Confirmatum in hunc modum monasterium, auctum est & Sororum numero, & spiritualibus, ac temporalibus bonis, ita vt cogitauerint Patres de illis in aptiorem locum transferendis, cum ædes ipsæ earumdem non essent capaces. Re igitur cum magistro Ord. Stephano Bisuntino, qui visitationis causa Florentiam aduenerat, communicata, placuit consilium magistro, eò vel maximè, quia cum à Ciuitate ipsę notabiliter distarent, ob ciuilia bella, quibus à Guelphis, ac Gibellinis Etruria tota vexabatur, multis incommodis, ac malis subdebantur.

Instantibus igitur Patribus nostris, alijsque quibusdam monialium nobilibus parentibus apud Florentinæ Reip. magistratum pro aptiori loco intra Vrbis mænia consequendo, duo illis hic cōcessit pro noui monasterii constructione loca, vnum ad Casagium, vbi nunc resident s. Dominici moniales, alter verò ad Pantanū, vbi s. Iacobi de Ripolis aliæ quiescunt. His duobus locis consequtis, visum est magistro Ord. ac Patribus copiosam sacrarum Virginum illarum multitudinem in bina monasteria seiungere, vt & alias Virgines in suum consortium cooptare possent; quod & præstiturūt de earundem consensu, PP. Ioanni Priori s. Sixti de Vrbe, & Lotto de Setimelo exequtione sequentibus litteris demandata à magistro Generali.

A Fr. Gio: Prior di S. Sisto, e Fr. Lotto da Setimelo dell'Ordine de' Predicatori nel Conuento di Fiorenza in Christo carissimi. F. Stefano Seruo inutile de Frati del medesimo Ordine salute, e accrescimento delle gratie celestiali.

T*Vtte le buone volontà de' Fedeli di Christo, questo principalmente desiderano, cioè, che il Popolo, il quale serue à Dio, s'augumenti, e s'accresca. E considerando*

che

che il numero delle Suore del nostro Monasterio posto nella Villa del piano di Ripoli presso à Fiorenza è troppo copioso rispetto à quell'abitazione, si che diuidendosi in due parti, e ordinandosi due Monasteri, sarebbe vna grandissima occasione di tirare molt'al seruizio di Dio, & anche acquistarne possessione, e beni temporali per potere osseruantemente viuere; Perciò essendosi molte volte trattato di fare vna simile diuisione, mi son risoluto di darne il mio consenso, come à cosa ragioneuole, e da farsi per persone prudenti, e sauie; in tal guisa però che si mantenga l'egualità, e l'vniformità, sì che tanto le Suore, quanto le possessioni, se commodamente ciò si potrà fare, equalmente si diuidino. Ma se per qualche cagione non si potessero in parti eguali diuidere le Suore, e che fosse necessario ch'vna parte di loro fosse di maggior numero, si faccia in tal maniera, che le possessioni sieno proportionalmente con debita giustitia assegnate all'vna, e all'altra parte. E per esecuzione di tutte queste cose hò eletto voi, nella discrezzione, e beneuolenza de'quali assai confido. E per tenore delle nostre presenti lettere vi commetto, e v'impongo, che facciate la predetta diuisione, e quanto al diuidere le Possessioni, e beni temporali, voglio che lo facciate con participazione, e consiglio degli Amici del Monastero. E in corroborazione di questa nostra commissione, e per testimonianza di queste lettere ci habbiamo posto il nostro Sigillo. Dat. in Firenze 18. di Settembre 1292.

Fr. Stefano de Predicatori.

In executionem igitur iniuncti sibi muneris Fratres Ioannes & Lottus de consensu D. Andreæ de Mozzis Florentini

tini Episcopi, ad monasterium accedentes, factaque æquali bonorum diuisione, moniales velatas, quæ numero sexaginta erant, & cunctæ nobiles, cum non velatis, in duas partes, ad earum arbitrium, seiunctas, in fine eiusdem mensis Septembris anno 1292. ex monasterio euulsas, cum sorore Iacoba de Adimaris, Priorissa instituta, ad monasterium S. Dominici ad Cafaggium nouiter fabricatum numero 32. transtulerunt; alteram autem cum sorore Prima Lombarda, Priorissa facta, & viginti sex alijs ad monasterium S. Iacobi ad Pantanum, deRipolis dictum, perduxerunt.

Quæ ad monasterium s. Dominici accessère, fuernnt sequentes sorores. Iacoba Priorissa, & Francisca de Adimaris, Ioanna de Cerchijs, Rauenna Castagnola, Margherita Mandolia, Iacoba de Sigolis, Lapa de Passignano, Masa de Grandonibus, Biccia, Clara, Catherina, Lapa de Rimbertinis, Philippa & Gemma de Rigaletti, Elisabetta de Bonauoltis, Simona de Minerbettis. Fia, Dominica, Agnes, Agostina, Andrea, & Vanna de Bardis, Lucia, & Margherita de Ferrantinis, Paola Falconeria, Candida, & Margarita de Manticis, Tancia, magdalena, Ghisola, Lucia, & Lapa de Ciurianis.

Quæ verò in monasterium s.Iacobi de Ripolis se recepère fuerunt Sorores.

Prima Lombarda Priorissa, Lucia, & Benigna de Spina, Lucia Caponsacchia, Palma, & Lucia de Baldensibus, Fœnix de Vbertis, Prima Fagiolaria, Cęcilia de Malduris, Ioanna, & Barthola de Rubeis, Ioanna de Arcetris, Alexandra Canigiana, Sophia de Prato, Gemma, Laura, & Angela de Donatis, Bartholomea de Visdominis, Ioanna, Paula de Pilastris, Simona de Petronio, Ionna de Pictis, Iosepha Machiauella, Prima de Ghinis, Ioanna Villanucia, Lapa Caponia, Ioanna Lapi de Gherardinis.

Hoc modo inchoata & constabilita sunt hæc duo nobilia Ordinis monasteria. Anno autem 1295. Augusti 4. stante beneplacito Apostolico Bonifatii Papæ VIII. emerunt moniales

s. Iacobi

s. Iacobi de Ripolis ab Andrea Florentino Episc. ad instantiam F. Ioannis Prouincialis Romani conuentum Fratrum s. Egidii de pœnitentia Iesu Christi cum annexis hortis, vinea, ædificiisque proprio monasterio contiguis, vt illud ad optatum finem possent perducere.

Sunt hæc duo monasteria preclarissima, & illud s. Dominici præcipue, in quo sunt sacræ Virgines ex insignioribus, Florentinis familiis, & hoc sub cura Prioris s. Marci, illud verò sub regimine Prioris s. Mariæ Nouellę datum est.

Ex monumen. Manast. S. Iacobi de Ripolis.

SVnt & Florentiæ duo alia nobilia cœnobia sororum Ordinis, sub cura quoq; & gubernio Prioris s. Marci, quorum vnum s. Catherinæ senen. alterum veró s. Luciæ dicitur, & horum monumenta, & relationes, cum nec etiam multiplicatis petitionibus ab illis consequi valuerimus, ea sub silentio præterire cogimur.

SAncti Petri Martyris Monasterium sub cura Prioris S. Mariæ Nouellæ tale habuit fundamentum.

Cum circa annum 1456. prior Curatus antiquæ Ecclesiæ S. Mariæ Vghi de Florentia (quæ matrix Ecclesia eiusdem Ciuitatis fuerat) Dom. Marianus Ioannis de Florentia singulari erga S. Petrum Martyrem pietate esset affectus, in animum suum induxit sacrarum Virginum Monasterium sub inuocatione, ac protectione eiusdem S. Mart. ædificare, votoque suo Priori, ac Patribus S. Mariæ Nouellæ patefacto, conclusum est illud exequtioni dandum fore. De apto igitur loco cogitantes, decreuerunt Fratres palatium propè portam Romanam, cum annexo horto, & agro assumere, in eoque monasterium constabilire. Conuentione de prætio cum monialibus S. Georgij, ad quas pleno iure cuncta illa spectabant, facta, solutisque 740. aureis florenis, possessionem eorundem inierunt publico confecto instrumento per

acta Blasij Pauli Chiattei de Cantignano pub. Notario die 17. Martij anno 1416.

His peractis, atque Magistro Generali Leonardo Statij de Datis nunciatis, mandauit ille Romano Prouinciali, vt pro noui monasterij fundatione tres velatas Sorores, cum vna Conuersa, ex magis obseruantibus monasterij S. Dominici de Pisis in illud transferret, quod factum est, Sororibus, Andrea Pauli de Florentia, Theodora Florentina, & Nicolosa de Baroncellis cum Bartholomea Conuersa ad hoc delectis, quæ anno 1420. Florentiam, nouumque monasterium ingressæ sunt; in eoque pietatis operibus addictæ, & multas nobiles virgines in proprium consortium recipientes, breui temporis interuallo spectabile Florentinis illud reddidère, ac eleemosynis hinc inde confluentibus, ædificium ad optatum finem perductum est, in quo ab omni mundano consortio alienæ Sorores permanserunt vsque ad Martialis Auribelli Mag. Ord. tempora, qui deperditam obseruantiam Constitutionum nostrarum monialibus S. Iacobi de Ripolis restituturus, Sorores Luciam de Arrighis, Mattheam de Rondinellis, & Margaritam de Allegris cum tribus Conuersis ex hoc monasterio in illud transtulit an. 1458.

Permanserunt moniales in hoc monasterio vsque ad annum 1557. quo coactæ sunt in alium locum transire, Cosmo I. Florentiæ Duce ob arcem ibidem construendam petente, qui eisdem Ecclesiam S. Felicis cum annexo conuentu ad S. Romualdi monachos spectante concedi procurauit, Iulio III. Pontifice talem concessionem approbante suo Breui dato apud S. Petrum anno 1553. pont. 4. sexto Id. Nouemb. cuius tale est initium: *De statu Ecclesiarum, & Monasteriorum &c.* quo eisdem monialibus indulsit, vt ex monasterio S. Petri Martyris, quod incolebant, in nouum S. Felicis transirent, & suppresso Abatiæ titulo, Ecclesiam, & monasterium S. Petri Mart. nuncupandum voluit.

Anno 1557. perfecta, ac completa eiusdem Abatiæ clausura, die 12. Augusti oriente sole sacræ Virgines cunctæ ex

Priori

Priori loco egressæ, binç & binç processionaliter incedentes, Crucifixo præcedente, Priore S. Mariæ Nouellæ F. Matthoæ de Strozzis principalioribusque eiusdem conuentus Patribus, nec non monialium operarijs Dominico Bonso, Federico Riccio, & Antonio Canigiano adstantibus, in nouam monasterij Ecclesiam ingressæ sunt, & cantico *Te Deem laudamus* alta voce ibi ab eisdem decantato, monasterium intrauère, Fratribus in Ecclesia remanentibus, ac missam de Sancto Spiritu cantantibus.

Moniales autem, quæ in nouum monasterium transierunt fuerunt Sorores, Gabriella Priorissa, Magdalena Supriorissa, Cœcilia Maria, Constantia, Angela, & Andrea oculorum lumine priuata: Constantina, Maria Magdalena, Dominica, Oretta, Ioanna, Archangela, Baptista, Maria Benedicta, Anna, Vicentia, Elisabetta, Tomassa, Piera, Ludouica, Domitilla, Flammetta, Marietta, Francisca, Dianora, Innocentia, Martia, Laudomina, Guerezia, Puritas, Catherina, Margarita, Laurenzia, Clementia, Felix, Maria Benigna, Argentina, Eugenia, Maria Electa, Elena, Sigismunda, Maximilla, Ginepra, Hipolita, Cammilla, & Anna Lena. Conuersæ autem fuerunt Raneria, Benedicta, Appollonia, Antonia, Dorothea, Maria Gratia, Hieronyma, Raphaella, Reparata, Diamantes, & Maria Angela.

Monasterium hoc diu sub immediato Magistrorum Ordinis gubernio fuit vsque ad annum 1562. quo illud Vincentius Iustinianus Generalis Mag. F. Mauri Arighetti Prioris Sanctæ Mariæ Nouellæ, & successorum illius perpetuæ curæ subegit.

Vixerunt in hoc Venerabili monasterio plures Christi sponsæ vitæ sanctitate spectabiles, inter quas, tanquam præstantiores recensentur, Maria Prudentia de Vernaccis, & Maria Catherina de Tedaldis, cum Sorore Conuersa Maria Benedicta Scolaria, de quarum in Deum pietate, in Sorores charitate, atque in bonis operibus perseuerantia, monumenta huius monasterij, ex quibus prædicta cuncta eruta sunt, plenam faciunt fidem.

TITVLVS VIII.

De Monasterijs Pratensibus.

QVatuor sunt apud Pratum Sororum nostrarum monasteria nobilia, ex quibus tria sub Ordinis cura sunt, alterum verò ab illa alienum est.

Monasterium antiquius, S. Nicolai dicitur, & ab Ordinis gubernio euulsum, fundatum est à nostro Cardinali de Prato, quod ex proprio nomine Sancti Nicolai nuncupandum voluit, ipso in Apostolica Curia apud Auenionem permanente anno 1321. quo postea decessit, primo iacto lapide à D. Baronto Pistorien. Episcopo, ad stantibus eiusdem Card. Ministris, Patribusque nostris, & opus in motre prosequendum voluit, ac terminandum idem Cardinalis, pingui legato eidem relicto.

Anno autem 1323. cum iam monasterij ædificium esset aptum ad Sororum receptionem, cogitauèrunt exequtores vltimæ voluntatis Cardinalis, quæ fuit, vt in illo reciperentur sacræ Virgines sub perpetuo habitu, gubernio, atque cura Ordinis, de aliquibus monialibus illuc pro fundatione eiusdem transferendis, quod de Superiorum nostrorum beneplacito, ac mandato præstitum est, Sorore Ioanna de Pilastris cum duabus alijs sacris Virginibus ex monasterio Ripolitano de Florentia ad hunc effectum translatis.

Permanserunt sacræ huius monasterij Virgines sub regulari obseruantia, operibus pietatis addictæ annis pluribus, eaque temporum iniuria deperdita, cum illam reassumere, licet à superioribus pluries monitæ, recusarent, dimissæ sunt ab Ordinis regiminæ, & cura à Magistro Generali Vincentio Iustiniano, quod fuit in hunc modum denunciatum Ordini in Capitulo Gen. Romano anno 1569. Regnante Pio V. Pontifex Max. de cuius consensu id præstitum est.

Denun-

Denunciamus Reuerendiss. Mag. Generalem à regimine, & cura nostri Ord. exemisse, ac reiecisse Monasterium Monialium S. Nicolai de Prato, & illud renunciasse in manus Sanctissimi D. N. eo quòd diu conuentuales, & suæ professionis inobseruantes sint, nec veram reformationem amplecti velint, quanquam multoties tentata fuerit.

Licet autem ab Ordinis cura sint dimissæ Virgines hæ, tamen ad eundem propensiores semper fuere. Quapropter dum Prouincialis Romanus Pratensia nostra monasteria visitat, ab his sacris Virginibus interpellatur vt in propria Ecclesia missæ sacrificium peragat, & sibi Ordinis benedictionem concedat, quod prompto animo præstat ille.

SAnctæ Catharinæ Senensis de Prato monasterium secundum in fundatione consequitur locum inter Pratensia Sororum nostrarum cœnobia, ex cuius tabularijs, ac scripturis habetur, Sorores has ab anno 1496. sibi nomen Tertiariarũ S.Catharinæ assumpsisse cum prius: *le Mantellate di S. Domenico* dicerentur. In Tertiariarum habitu permanserunt semper, atque itá numero multiplicatæ sunt, vt eorum egestate petente, illis & à Superioribus nostris, & à S. Congregatione Cardd. interdictum sit puellas ad habitum recipere, quo in statu permanserunt annis circiter quadraginta. Cœterum cum illarum numerus satis superque imminutus fuisset, haberentque redditus ad propriam sustentationem necessarios, ac sufficientes, restituta est illis facultas preteritis annis nouitias ad Ordinem recipere, quòd statim præstiterunt, aliquibus puellis nobilibus sibi associatis. In tantam autem deuenerant mendicitatem, vt Prouinciales, cuncti in earundem visitatione pinguens eleemosijnas illis relinquere cogerentur, vt vidimus.

TErtium Sororum monasterium S. Clementis dicitur, cuius initia talia sunt.

Cum circa annum 1490. monasterium S. Michaelis de

Prato

Prato Benedictini instituti in laxatos mores deuenisset, ita, vt in scandalum essent Pratensi populo Moniales illius, Castellanus de Castellanis earundem misertus, quippe qui & Sororem, & neptem ibi degentes habebat, cum Superioribus illarum egit, vt ex Monasterio S. Mercurialis de Pistorio duæ Moniales eductæ, in S. Michaelem de Prato pro illius reformatione transirent, quo exequtioni mandato, idem Castellanus procurauit, vt Fratres nostri Congregationis S. Marci earundem in Spiritualibus, atque Sacramentorum ministerio curam gererent, quod & præstitum est anno 1495. F. Archangelo Seraphino venerando sene illis in Confessarium attributo à F. Hieronymo Sauonarola Congregationis Sancti Marci de Florentia Vicario; quo in patibulo deinde suspenso, tantus liuor apud sęculares, ac presbyteros quosdam Pratenses inualuit, vt excitato populari tumultu, vi Fratribus illata, ex S. Michaelis Monasterio fugati sint: quod in deteriorem partem accipientes cordatæ Sorores, siluère, temporis opportunioris beneficium expectaturæ.

Cœterùm cum aduenissent dies, quibus multæ ex Sororibus erant sacro nigro velo donandæ, illudque non nisi à Fratribus nostris suscipere decreuissent, hæc illis ab Episcopali Vicario optio data est, vt, vel sacrum velum à se susciperent, vel ex Monasterio exeuntes in paternas domos reuerterentur. Placuit data optio Sororibus, & die 14. Nouembris anno 1514. Mater Angela de Castellanis cum Philippa Cambina, Antonia de Villanis, ac tredecim alijs, non ad proprias domos, sed ad Moniales nostras S. Vincentij confugientes, à Sororibus illis benigne susceptæ sunt, relictis apud S. Michaelem quinque tantùm Monialibus.

Cogitauerunt interim illæ de noua habitatione sumenda, & obtentam à Laurentio Centellino capacem domum incoluerunt apud S. Petrum Forillum, in Monasterij similitudinem clausam mensibus decem & nouem proprijs manibus sibi victum, cœteraque necessaria procurantes; quibus Soror Philippa Cambina præerat, de nouo construendo Monasterio semper cogitantibus. Mi-

Mirati ſunt Pratenſes illarum modeſtiam, pietatem, ac conſtantiam, & copioſis eleemoſijnis elargitis, vt in aſumpto propoſito permanerent, vocationem, in qua vocatæ erant, adimplentes eas hortabantur. At cum proprias dotes à S. Michaelis Monaſterio repeterent, & conſequi non valerent, ad Leonem Papam X. ſupplici libello confugientes, decretum Apoſtolicum de reſtituendis ſibi, & dotibus cunctis, & parte ſupellectilis monaſterij S. Michaelis, obtinuère; quibus conſecutis, orationibus inſtantes, de fundando monaſterio ſub cura, & profeſſione Ordinis Sancti Dominici ſollicitæ erant. Adfuit illico auxilium de Sancto: nam Baldus Maginus Presbyter, & Abbas S. Fabiani illarum pietatem, atque ab hominum conſortio ſemotionem miratus, pro noui monaſterij fundatione domum amplam in communi via propè S. Vincentij Sorores noſtras obtulit, & donauit, in quam 30. Iunij anni 1516. priorem deſerentes, ingreſſæ ſunt, & die vltima Decemb. eiuſdem anni de ſcientia Apoſtolica, ac Magiſtri Generalis Caietani, Dominicanum habitũ induèrunt, & anno 1519. Iulij 9. ſacram profeſſionem, in manibus F. Baptiſtæ de S. Carolo à Florentiola Vicario Generali Ord. adſtantibus Fratribus Iacobo de Sicilia, & Iuliano Mazzeio emisèrunt.

Hæc fuerunt monaſterij S. Clementis de Prato optima initia, quod & Sororum numero, & diuitijs auctum, in religioſa obſeruantia, atque paupertate, ferè centum Sanctimoniales enutrit, ex eoque tanquam fœcundo virtutum ſeminario prodierunt ſacræ Virgines vitæ ſanctitate venerabiles, inter quas recenſetur principalior, Maria Benigna Ioannis Dominici de Seruis Florentina, quæ ſacro habitu anno 1548. Iunij 2. induta, anno ætatis 56. virtutibus, pœnitentijs, ieiunijs, atque miraculis clara, in cœlum euolauit die 20. Septemb. an. 1589. cuius vitam, & geſta conſcripſerunt noſter F. Petrus Martyr Naldinus, & D. Ferdinandus de Seruis.

Sed & Soror Catharina de Tornaquincis Florentina ſuis vitu-

virtutibus hoc Virginum seminarium plurimùm illustrauit, quæ ieiunijs, orationibus, ac vigilijs addicta, atque in nostrarum constitutionum obseruantia assidua, crebis meruit cœlestibus visionibus recreari. Euolauit in cœlum die 1. Februarij an. 1598. cuius corpus anno Iubilæi 1625. incorruptum repertum est, vestibus nulla ex parte marcidis, adstantibus P.P. Thoma Caccino Mag. S. Dominici Priore, Thoma de Cambis Monialium Confessario, necnon & pluribus alijs Deum laudantibus, qui in Seruis suis semper est mirabilis.

Soror quoque Maria Angela de Amadoris vitæ sanctitate floruerit ita, vt in eius felici ad cœlum transitu Angelorũ cantus sint auditi, cœlesti candidissimo rore eius facie respersa. *Ex monumen. eiusd. Monast.*

Est quoq; apud Pratrum Monasteriũ aliud Sororum nostrarum, in fundatione forsan vltimum; virtutibus, autem, numero, ac Sororum qualitate primum, atque inter cœtera Prouinciæ nemini secundum, S. Vincentij dictum cuius Sacræ Virgines ex principalioribus & nobilioribus Florentinis familijs sunt, in stricta regulari obseruantia nutritæ, Deo suum exibentes in fraterna charitate famulatum: vnde non mirum quod ex illo tot venerabiles Christi sponsæ vitæ sanctitate mirabiles prodierint: & eius initia tali recensentur.

Cum anno 1503. esset Vicarius Congregationis S. Marci de Florentia Frat. Franciscus de Saluiatis, Pratumque visitationis causa petijsset, rogatus est, vt quibusdam puellis virginitatem suam Deo vouère cupientibus, Tertiariarum nostrarum habitum impertiri vellet. Negotio cum F. Siluestro de Mara ibidem Priore, grauioribusque Patribus maturè discusso, decretum est id exequtioni fore mandandum, quod & præstitum est, illis religioso Tertiarum habitu vestitis die 29. Augusti eiusdem anni.

Renuerunt eas in suum consortium recipere Moniales nostræ S. Catharinæ eiusdem Ciuitatis, etiam iteratis Patrum nostro-

noſtrorum præcibus; quapropter animum applicuere hi ad nouum Monaſterium pro illis, cœteriſque id enixè petentibus conſtituendum. Supplicaueruntque propterea Iulium II. Pontificem pro nouo fundando ſacrarum Virginum cœnobio ſub protectione, atque inuocatione S. Vincentij Confeſſoris, qui meditatum pium opus commendans, eiſdem benignè cuncta indulſit.

Primæ igitur huius incliti Monaſterij fundatrices in illud ingreſſæ, fuerunt Sorores, Maria de Antonio Sarto Florentina, Seraphina, & Michaella Dominici de Nerlis, & Cherubina illius ſoror, Angela Pacis de Prato, Arcangela Petri Praten. Raphaella Ioannis de Fauentia, Gabriella Matthæi de Prato, & Dominica de Peretola: quæ in Tertiariarum habitu ſine ſcapulari erant, quod tandem anno 1521. ex Magiſtri Generalis Garziæ de Loayſa mandato conſequtæ ſunt à Vicario Congregationis S. Marci, cuius regimini ſubdebantur.

Soror Hieronyma de Piſtorio ex Monaſterio S. Catharinæ dictæ Ciuitatis educta nouē Sororibus recenſit is præfecta eſt prima Prioriſſa, vt illas, & conſtitutiones Ordinis pro eiſdem emanatas edoceret, & in viam Dei per obſeruantiam dirigeret; tranſacto autem ſui prioratus biennio in ſuum Monaſterium, vnde exierat, reuerſa eſt, Sorore Maria de Antonio in eius locum Prioriſſa inſtituta, cuius tempore empta fuit domus non modica prope portam Ciuitatis, Gualdimariam dictam, à Conueneuole de Conueneuolis pro commodiori Sororum habitaculo, vbi conſtructum eſt Monaſterium, vnum ex præſtantioribus Ordinis.

Anno 1512. cum Monaſterium hoc quadraginta ſeptem aleret Virgines, inter quas erant ſuper triginta iuuenes pulcræ ex principalioribus familijs Florentinis, irruit in Pratum Hiſpanorum, aliorumque eis adhærentium exercitus cum multis Agarenis, atque apoſtatis, qui depopulata ciuitate, violatiſque virginibus, etiam ſacris, maximum incuſsère cunctis timorem. His Monaſterij huius Sororibus nunciatis,

in Chorum ante Sanctissimum cunctæ se recèperunt; vbi orationibus, clamoribus, lachrimisque suam Domino, & Sanctissimæ Dei Genitrici pudicitiam comendantes, paratæ erant potius mori, quàm fœdari. Fractis Monasterij foribus à furentibus militibus, tres eorum duces soli illud ingressi sunt, euaginatos gladios gestantes, cumque chorum versus pergerent, eiulantibus miserrimè Sororibus, puellisque cunctis, quæ in magno numero, ex Ciuitate illuc confugerant, Beatissimæ Virginis simulacrum ante eorum conspectum positum toruis oculis illos aspiciens increpauit, & vt à Sacrarum Virginum molestia quacumque abstinerent, ni vellent diuinam vltionem illico experiri, admonuit. Tali oraculo perterrefacti Vincentius, Spinosus, & Ioannes (hæc enim erant illorum nomina) accita Monasterij Priorissa Sorore Raphaella de Fauentia, se molestiam nullam, neque sacris Virginibus, neque puellis, neque Monasterij bonis illaturos protestati sunt sub iuramento, de hoc vno supplicantes, vt sibi, & militibus suis, cibum, & potum non denegaret, quibus cum Priorissa cuncta necessaria dedisset, egressi illi ex Monasterio cohortem militum ante fores eiusdem constituerunt, ne molestia vlla sacris Virginibus inferretur; quo in facto diuinam erga se misericordiam, & Beatissimæ Virginis protectionem expertæ illæ, gratias maximas Deo agentes, eiusdem S. Dei Genitricis sacram imaginem, collati tanti beneficij memores, summa veneratione colunt.

Est Monasterium hoc & numero, & qualitate Sororum, nec non charitate singulari erga infirmas, ac debiles, cæterasque suas Moniales præstantissimum, nullique Romanæ Prouinciæ secundum, ex quo Sacræ Virgines vitæ Sanctitate spectabiles prodierunt, inter quas eminet Venerabilis Soror Catharina de Riccis, de qua infra cap. 4.

Et hoc loco dignum est factum celeberrimum, quod anno 1630. in hoc inclito Monasterio contigit, in quo præcipua Omnipotentis Dei erga has sacras Virgines protectio,

præ-

præter ſupra relata, refulget. Factum damus cum veridica relatione ſub his eiſdem verbis nobis miſſa.

A honore di Dio, e della Glorioſiſsima Vergine Maria e della Buona Memoria del Sommo Pontefice Pio Quinto noſtro Benefattore, noterò qui il miracolo che riceuemmo per mezzo d'vn ſuo Agnus Deo l'Anno 1630. conforme ſtà regiſtrato nelle noſtre Croniche.

L'*Anno* 1630. *Anno di molta penuria, per le calamità e peſtilentia ch'in quello ſi patì, ſi ritrouaua il Monaſtero in tanta neceſſità che ſi riduſſe con vn ſolo moggio di Farina, è in grandiſſima tribulatione, non potendo trouar grano, ne à credenza da ſoliti Benefattari, ne anco con danari, anzi tutti ci haueuano abbandonate: al fine rimeſſe nel Signore ſi fece alli* 16. *di Febraio vn forno di pane, ſi che reſtorno nel frullone* 16. *ſtaia di farina, doppo trattandoſi pure per il Monaſtero della neceſſità, nella quale ci ritrouauamo, e ordinando la noſtra Priore, che ciaſcheduna oraſſe per le preſente neceſſità, ſtando vna tale* S. *M. Clemente Fontani Fiorentina, Monaca di grand'oſſeruanza, e molto deuota, in coro facendo oratione, ſi ſentì al core vna veemente inſpiratione di portare fra detta farina vn Agnus* Deo *di Pio V. quale haueua portato dal ſecolo, e da ſua Madre ſtatoli detto ch'erano miracoloſi, è tenuto da lei con molta deuotione. Se n'andò alla ſtanza doue era la farina, e conferì il penſiero & inſpiratione con la Panaia, e meſſero l'Agnus Deo ſopra le*

dette 16. staia di farina con raccomandarsi alla Santissima Trinità in memoria della buon Anima di detto Pio Quinto, lo lasciorno sopra la farina, e alli 19. di Febbraio si misero à fare il pane con pensiero di farne due forni, essendo che nel nostro forno si cuoce per otto staia per fornata, e per gratia di Dio moltiplicò in tal maniera, che ne fecero tre fornate, e n'auanzò otto staia. Si conferirno tal miracolo fra loro tre panaie, e detta S. M. Clemente Monaca professa; e ne ringratiorno Dio Benedetto, ma non ne dettero notitia alle Monache, come si può piamente credere per vmiltà. Arriuate alla fine di detto pane, e bisognando farne di nuouo, il dì 12. Marzo, giorno di San Gregorio, si messero su la sera à fare quel forno di pane che poteuano, cioè otto staia, e cauata dal frullone tutta la farina, e spazzatolo con ogni diligenza intrisero il pane quale venne così tenero, che non si potena dimenare, e le Nouitie che doueuauo spianarlo, pregauano le panaie che gli dessero della farina: si che non sapendo come farsi, vna panaia alzò il frullone con dire, ecco qua l'hò spazzato, e in quello istante vedde tre monticelli di farina, l'vno distante da l'altro d'vno staio l'vno restò stupefatta, e chiamando l'altre non sapeuano che farsi. Cominciorno à spianare con detta farina, e le nouizie spianando cominciorno à dire il santissimo Rosario come è consueto, e si sentiuano gonfiare la pasta frà le mani, e dopo piene dieci tauole, che tanto tiene il forno corrispōdente all'otto staia, restò tanta pasta nella madia, che non sapeuano che farne. Allora cominciorno tutte à gridare Miracolo; Miracolo.

Cominciorno à sonare le Campane, acciò l'altre Monache venissero cō loro à ringratiare Iddio di tanto benefizio, e tut-

te in

te in vn subito vnitamente, conualescente, e sane, se ne andorno in Chiesa, e quiui prostrate resero gratie al nostro Signor Iddio: Di poi processionalmente cantando la Salue Regina se n'andorno dal pane. La Madre Soppriora non credendo in se stessa questo miracolo caminò verso la madia per chiarirsi vedde in vn subito alzarsi la pasta nella madia con tanta veemenza, che gli pareua piena, e che quasi la soffocasse, e allora con molta vmiltà manifestò come lei nõ haueua creduto niente, ma che confessaua hauerla vista crescere co i propri occhi. Era priore di San Domenico di Prato il Molto Reu. Padre Frà Raimondo Baldesi Fiorentino, e nostro Confessore il Padre Frà Raimondo Mainardi, quale esaminorno con gran diligenza del fatto le sopra nominate Monache, e Soppriora, e il giorno seguente ne dettero ragguaglio à Monsignore Reuerendissimo del Caccia Vescouo di Pistoia, quale alli 16. Aprile, pur l'istess' Anno 1630. venne à esaminare le dette consapeuoli del miracolo, e ne dette nota à Roma. Dipoi hebbe commissione di venire la seconda volta, che fù alli 6. d'Agosto. La terza esamine fù fatta alli 27. Agosto. Fù ancora esaminato il mugnaio, la Priora, e Sindaca, e tutte quelle haueuano maneggiata detta farina. Si riueddono i conti delle polize della macinatura, e di tutto il grano, che si consuma in tutto l'Anno, e si trouò in tutto di multiplicatione cinque moggia, il tutto sia à honore, e gloria d'Iddio, e del suo Seruo Papa Pio Quinto nostro Auuocato, e Proueditore in ogni tempo. In oltre si deue sapere, che il detto Agnus Deo, quale fù poi da S.M. Clemente Fontani sopradetta legato in argento, e messo nel Choro, vi si vede continouamente nel talco che vi àst sopra, ch'è quell'istesso che haueua quando se-

giu

guì il miracolo, come sprużzata la farina, e ben che si sia fatta diligenza di ripulirlo, se si fusse attaccata, mai se possuta leuare. L'anno lauato, e raschiato, nè serue à niente. Piaccia à S. Diuina Maestà che resti scolpito nel cuor nostro tanta gratia riceuuta, e stimiamo di continuo riceuerne.

Laus Deo.

Ex monumen. eiusdem monasterij, in quo ferè centum viginti sacræ Virgines regulari obseruantiæ, atque charitatis operibus addictæ vitam degunt Angelicam.

Ex monumen. huius Monasterij.

TITVLVS IX.

De Monasterijs Pistoriensibus.

SOrorum nostrarum Monasterij S. Luciæ de Pistorio talẽ referimus institutionem.

Iacobus de Bellis, & Bonis Pistorien. Medicus. Sine filijs apud Miniatem decedens, testamentum condidit 21. Septẽbris an. 1328. quo voluit, Tessam de Grotello coniugem suam omnium suorum bonorum hæredem teneri Monasterium sub nomine s. Luciæ Virg. & mart. erga quam singulari fuerat deuotione affectus construere, quod prompto animo illa exequtioni mandauit, instituto monasterio prope S. Mariam Nouam, quod ad perfectionem reductum, inhabitandum dedit an. 1335. Sorori Colæ Pagninæ de Luca, professæ moniali s. Dominici, quæ prima Priorissa ibi instituta, puellas nobiles quamplures recepit educandas in suo s. Luciæ monasterio, cui bona cuncta à Iacobo relicta, in dotem attribuit Tessa.

Grassante lue anno 1422. Sacræ Virgines, illæque nobiles

in

in priori destructo monasterio existentes, omnes in gaudium Domini sui intrauère, vna sola superstite Nicolosa de Bellis, & Bonis ex primis puellis, quæ in institutione monasterij ingressæ fueraut, & hæc Priorissa ibidem annos 40. præfuit, vixitque supra centum annos, & mortua est. Laxatus propterea fuerat in illo regularis obseruantiæ rigor, quē restituturus s. Antoninus Archiepisc. Florentinus, an. 1459. ex Florentia illuc misit Sorores Apolloniam, & Giocundam, & ipso Sancto è viuis tunc sublato, B. Laurentius de Ripa fracta omnem adhibuit operam cum Patribus nostris Cōuentus s. Dominici, vt sacris exhortationibus, Sacramentorumque frequentia eas ad reassumendum illum inducerent, quod fœliciter præsitum est.

Anno 1498. Alexander Papa VI. in meliorem viuendi normam monasterium Romanum s. Sixti restituturus ad instantiam Card. de Neapoli nostri Ord. Protectoris, atque Ioacchini Turriani Magistri Generalis, mense Octobri quatuor ex hoc monasterio extraxit sacras Virgines, tanquam ad id munus aptiores, & in Vrbem inuexit Sorores Apolloniam, Dimitillam, Eugeniamque vna cum germana sua Hieronyma, ibidem Priorissa constituta, quas sociatus est F. Laurentius de Pistorio Mineruitani cœnobij Prior, institutus immediatè, cum sui officij absolutione, monasterij s. Sixti Confessarius.

Anno 1539. in Arcæ constructione dirutum fuit monasterium cum annexa Ecclesia, à Pistorien. Magistratu, hospitale s. Georgij cum Ecclesia eisdem attributo, ad quod 44. accesserunt Sanctimoniales, natalium claritate, virtutibusque spectabiles, cum alijs Sororibus conuersis octo, processionaliter incedentes, & à Patribus nostris associatæ.

Emanuerunt ex hoc inclito monastero sacræ Virgines, natalibus piètate, atque inculpatæ vitæ præstantia laudabiles, ieiunijs, orationibus, sacrisque vigilijs addictæ, inter quas eminent Sorores, Clara, quæ noctæ Natalis Domini 1474. in meditatione mysterij Incarnationis Filij Dei,

spi-

ſpiritum in eius manus commendauit ætatis an. 50. à mundanis rebus totaliter aliena. Magdalena Claræ ſoror, quæ die S. Lucæ dicata annos agens 85. in cœlum euolauit. Angela de Bracciolinis, quæ an. 1432. ad Ordinem recepta, in eodem 14. vixit, deceſsitque die s. Leonardo ſacra meritis onuſta. Vrſula de Baldinottis, quæ monaſterium ann. 1436. ingreſſa, & inuitis parentibus ſacro habitu veſtita per 31. annos cœleſtem vitam ducens, æternam gloriā promeruerit. & Cæcilia de Florauantibus, quæ an. 1444. mundū reſpuens atque in hoc monaſterio incluſa, conſummato in orationibus, ac diſciplinis vitæ curſu, cœlum promeruit.

Eſt monaſterium hoc ex præſtantioribus Romanæ Prouinciæ, ob Sorores & numero, & ſanguinis claritate venerabiles, inter quas iure merito præeminet Soror Maria Theodora de Roſpiglioſis, Sanctiſs. Dom. Noſtri Clementis Papæ IX. hoc anno 1669. fælicitèr, & cum gaudio cunctarum ſibi creditarum Chriſti ouium regnantis neptis, quæ ſuis virtutibus Ordinem plurimùm illuſtrat.

Ex monument. huius Monaſt.

SAnctæ Catharinæ verò monaſterium ita fuit inſtitutum. Antonia relicta q. Franciſci de Grinis, propriæ ſaluti conſultura, Tertiariarum noſtrarum habitum à Priore S. Dominici de Piſtorio petijt & obtinuit. Cumque die 21 Nouemb. anno 1477. apud S. Mariam de Letto oraret, precibus eandæm B. Virginem, Sanctamque Catharinam Senenſem aduocatam ſuam toto ſpiritus ardore interpellando, vt ſe per viam ſalutis dirigere dignarentur, vocem de cælo allatam dicentem ſibi audiuit: *Da principio Antonia nella caſa tua al conuento di S. Catharina da Siena.* Turbata eſt illico mulier myſterij inſcia, & humanam vocem ſuſpicata, orationes repetijt: at iterum atque tertiò eiſdem verbis repetitis, diuinam eſſe voluntatem cognouit, vt propriam domum in ſacrum Virginum cœnobium ſub protectione s. Catharinæ Senen. conuerteret.

Con-

Continuò non aquieuit carni, & sanguini Antonia sed collectis in vnum puellis quibusdam, atque tertiario habitu & ipsis donatis, in propria domo, tanquam monasterio cum eisdem ab hominum consortio toto illo anno vixit. At à S. Dominici Ecclesia distante illa, de aptiori, propinquioriq; loco sumendo cogitauit. Ea propter domum satis capacem Ecclesiæ S. Luciæ contiguam ingressa, quieuit ibidem cum suis vsque ad annum 1487. quo à Pistorien. Magistratu consequta est Hospitale, quod fuerat monasterium quarundam monialium extinctarum deuolutum operæ, seu Confraternitati S. Iacobi, in quod cum suis spiritualibus filijs ingressa est 28. Octob. anno suprad. & ex tunc Ecclesia, quæ Sanctæ Mariæ Matris Iacobi dicebatur, immutato nomine, dicta est S. Catharinæ de Senis, eo quia Sorores ipsæ, S. Catharinæ de Senis dicebantur.

Floruit monasterium hoc sacris Virginibus vitæ sanctitate conspicuis, in rigorosa regulari obseruantia enutritis, ex quibus duæ pro fundatione Monasterij S. Vincentij de Prato delectæ sunt, quarum vna fuit Soror Hieronyma prima Priorissa ibidem instituta anno 1521.

Ex monumen. eiusd. Monast.

TITVLVS X.

De Monasterijs Lucensibus.

TRIA sunt monasteria apud Lucam Sororum nostrarum, & natalibus, & obseruantia regulari, & numero venerabiliũ, inter quæ principem locum tenet illud S. Dominici, cuius initia, atque incrementa referuntur.

Extra Lucensia mœnia fuit monasterium monialium,

Sancti Augustini, nuncupatarum S. Mariæ de Cruce; talis erat enim Ecclesiæ illarum titulus, quæ tempore obsidionis Ciuitatis, intra eandem se recipientes, Busdragorum domum inhabitauerunt. Soluta obsidione cum solo æquatum fuisset monasterium, eorundem Busdragorum auxilio, atque pecuniari subsidio nouum cœnobium intra Ciuitatem habuere ab ijsdem Busdraghis fabricatum anno 1331. sub eodẽ tit. S. Mariæ de Cruce, quod anno 1334. completum, ac perfectum est ita, vt ipso anno ædem Sorores numero 16. annuente F. Gulielmo Dulcino Episcopo Lucen. ex Ord. nostro, qui eas ad Constitutiones nostras amplexandas, atq; Dominicanum habitum suscipiendum allexit, illud fuerint ingressæ.

Anno verò 1338. idem Episcopus, annuentibus Busdraghis, ad quos spectabat hospitale S. Nicolai ab eisdem fundatum, illud monasterio copulauit ea lege, vt in posterum moniales, S. Nicolai dicerentur, prout vsque in præsentem diem fit, permanentque sub Episcopi cura.

Cum autem quædam moniales, imo numero maiores, ex præfatis anxiè esse sub cura Ordinis cuperent, atque efflagitarent, voti compotes effectæ sunt ab Episcopo Felino circa annum 1499. qui eas à Patribus S. Romani gubernandas, atque in via Dei dirigendas voluit, idque exequutioni mandatum est. At contentione inter Card. Iulianum de Ruere, ac Episcopum præfatum circa Lucen. Ecclesiæ administrationem suborta, inualescenteque Cardinali, Felinus in Vrbem se recepit, causam coram Pontifice Max. acturus. Interim Iulianus Sorores ex Fratrum curà subtraxit, sibique subegit. Indoluère supra modum de hoc illæ, & orationibus vacantes Deum interpellabant, vt sibi Ordinis Fratres restituerentur. Anno vero 1501. diremptis litibus inter Cardinalem, & Episcopum suprad. octo ex Sororibus memoriale porrigendũ Alexandro VI. voluère, quo enixè petebant vt se ad alium locum pro noui monasterij, sub cura tamen Ordinis, constructione transmigrare sineret; & F. Vincentij

Ban-

Bandelli Magiſtri Generalis, Epiſcopique Felini fauoribus adiutæ voti compotes effectæ ſunt, dato de hoc Apoſtolico Breui, quod ad manus Vicarij Epiſcopalis delatum, Aprilis die 5. anno 1502. acceſſit ille cum quibuſdam Canonicis Cathedralis Eccleſiæ in eodem nominatis ad S. Nicolaij monaſterium, & vocatas Sorores numero 8. in ſupplici libello ſubſcriptas, eductas illas ex eo, ſociati ſunt cum noſtro Priore S. Romani, grauioribuſque Patribus ad locum ab eiſdem delectum, clauibus,curaque illius Priori traditis, vt in Breui continebatur.

Ibi igitur manſerunt Sorores illæ octo; quæ alias puellas nobiles in ſuum conſortium ſuſcipientes, cœnobiumque cum Eccleſia S. Patri Dominico dicata ædificantes, ita numero, atque opibus auctæ ſunt, vt modò circa centum Sorores noſtræ in eodem vitam degant Angelicam ex principalioribus familijs Lucentibus.

Ex monumen. huius Monaſterij.

ALiud quoque eſt apud Lucam Sororum Cœnobium S.Georgij nuncupatum,de quo ſequentia recenſemus. Sancti Georgij monaſterium fundatum eſt à D. Rolando Benedictino monaco ab eiuſdem profeſſionis monachis incolendum anno ſalutis humanę 817. ſicuti antiqua tabularia illius teſtantur;permanſeruntque ibi vſque ad annum 1400. quo à Repub. dimiſſi ſunt.

Facta translatione 8. ſororum ex monaſterio s. Nicolai ad nouum fundandum s. Dominici, vt ſupra diximus,indignatus Epiſcopalis Vicarius contra Fratres noſtros s. Romani, tanquam auctores huiuſmodi tranſlationis, eos à regimine, atque confeſſionum audientia ſororum, quæ in dicto monaſterio remanſerant,amouit, timens ne & reliquæ idem præſtarent,ob quam cauſam, etiam ad eas acceſſum illis interdixit.Indoluerunt ſorores ſupra modum de hoc,& ad orationis ſubſidium confugientes, Dominum præcabantur vt

tantis infortuniis oportunum remedium præstaret. Tandem Deo inspirante, & cor sororis Beatricis de Rapondis antiquioris matris dirigente, ipsa cum aliis pluribus supplici libello Leoni Papæ X. porrecto, petiere vt se in alterum monasterium construendum transire fineret, & negotio cum Episcopo communicato, annuit Pontifex, datoque Apostolico Breui, atque aptata ad earum receptionem domo nostri F. Sancti Pagnini Prioris Sancti Romani in suburbio Ciuitatis, anno 1518. Iulio mense ad solis occasum viginti sorores ex s. Nicolao egressæ, atque à Patribus nostris, alijsque consaguineis, ac parentibus sociatæ, processionaliter in illam ingressæ sunt, cogitantes de consequendo s. Georgij monasterio, quod in Commendam obtinebat Siluester Giglius Vigormien. Episcopus, & instante Reipub. Lucen. Magistratu apud illum, voti compotes factæ sunt sorores; nam & monasterium, & hortum cum annexis domibus, ex Apostolico beneplacito eisdem concessit, in quod ingressæ sunt anno 1520. cum tribus aliis, ex monasterio s. Dominici Apostolica Leonis X. auctoritate eductis, ab eisdem & Patribus nostris in via Dei, atque rigurosa sacrarum Constitutionum nostrarum obseruantia dirigendæ.

Fuit postmodum auctum preteritis annis monasterium, atque in nobiliorem formam redactum, in quo circa centum aluntur sacræ Virgines ex primariis familiis Lucensibus in optima regulari obseruantia.

Ex monumen. eiusd. Monast.

ET & Lucæ aliud nobile Seminarium Tertiariarum Sororum nostrarum, S. Catharinæ nuncupatarum, quæ in vnum collectæ, in domo monialibus S. Dominici vicina, vixerunt, ad S. Romanum pro sacris confessionibus, Sacramentorumque susceptione accedentes; Ibi diu ab hominum consortio alienæ permanentes soli Deo vacabant. Tandem eleemosinis adiutæ, & dormitorium, & Ecclesiam S. Catharinæ

rinæ dicatam ædificauerunt, clausuram voluntariam cum omni rigore seruantes, ita vt nulla, nisi vrgentissima causa instante exeant. Habent proprium conscientiæ directorem, & confessarium ex nostris, qui ad eas pro sacro missæ sacrificio habendo singulis diebus accedit, suntque in tanta apud Lucenses Matronas existimatione, vt proprias filias eisdem tradant in pietate educandas. Numerum vigesimum non excedunt, & ex Sacræ Congregationis decreto, à Superioribus Ordinis præteritis annis scapulari nostro albo donatæ fuerunt.

Ex monumen. earundem.

TITVLVS XI.

De Monasterijs Pisanis.

DVO præclara nostri instituti monasteria sub Ordinis obedientia & cura sunt Pisis, nempe sequentia.

Monasterium S. Dominici ab Vrbano VI. Pont. Max. anno 1385. sua sumpsit exordia, Petro de Gambacurtis Pisanæ Reip. Rectore, ac Cõseruatore illud construente, in quo mense Augusto die 29. eiusdem anni ex monasterio S. Crucis Fossæbandæ Ordinis nostri extra Pisana Mænia de mandato Raymundi de Capua Magistri Generalis quinque Sorores translatæ sunt pro fundatione illius, nempe Clara eiusdem fundatoris filia, Philippa Albizi de Vico, Andrea de Porcellinis, Catharina Buccamei de Mancinis, & Agnes de Buoncontis.

Inter has vitæ sanctitate floruit Soror Clara, quæ à Domino Iesu Christo crebris reuelationibus meruit consolari, & cum nocte quadam post matutinas præces in Ecclesia vehementius oraret, audiuit vocem dicentem sibi, surge, & vade

& vade ad portam monasterii, inueniesque sponsum tuum intrare in illud contendentem. Expergefacta illa quasi à graui somno vidit solares radios in choro emicantes, & festina ad portam properans, adstantem Comitem Galeatium cum Canonicis, ciuibusque multis ex primaria Pisana nobilitate inuenit, deferentem Crucifixi sacram imaginem, quæ indiruta Ecclesia propè Senas existens, transeuntē Comitem, vt se in S. Dominici de Pisis monasterium inferret, monuerat. Flexis genibus sacra pignora suscepit illa, & in choro à sororibus adoranda collocauit. Cōtigit hoc anno 1398. & vsq; in hodiernam diem eadem Crucifixi Domini imago veneratione summa colitur ibi.

Huius Beate Virginis vitam mirabilem compilauit noster Michael Plodius de Vir. Illust. Ord. lib. 3. Euolauit autem in Cœlum anno 1410. miraculis clara, cuius ossa in capsa reclusa, atque super Altare interioris Ecclesiæ collocata, imminente alicuius ex Sororibus morte, ita inter se concutiuntur, vt rumor, & strepitus ad monialium aures perueniat; quod si duæ sint morituræ, iteratis vicibus eorumdem conquassationes audiantur; & nouissimè præteritis annis cum semel, iterum, atque tertiò auditæ sint, tres Sorores in Domino quieuèrunt, quòd quidem mirabile est.

In eodem cœnobio sacro Religionis habitu donata est Soror Maria Spezzalaste nobilis Pisana, quæ ad secundas nuptias transierat, & defuncto secundo viro, ex propria domo hospitale in peregrinorum commodum confecerat. Sacris pietatis operibus addicta, cilicijs, disciplinis, atque ieiunijs corpus affligens, diuinis reuelationibus recreata, atque à S. Catharina Senen. admonita, & in regulari obseruantia instructa, habitum Ordinis petijt & obtinuit, eodem tempore, quo Clara supradicta vixit: cuius gesta & Plodius vbi supra compilauit. Decessit verò circa annum 1400. Est modo monasterium hoc ex prestantioribus Romanæ Prouinciæ ob Sanctimonialium numerum, pietatem, atque natalium prestantiam, ex quarum monumentis hæc eruta sunt.

Sancti

SAncti Pauli ad Hortum monasterium sequentia habuit initia. Ecclesia S. Pauli de Horto, quæ modò ad moniales nostras spectat, fuit antiquitus Canonicorum Regularium, vnita Priorali Ecclesiæ S. Petri ad Vincula, & tali modò in earundem manus decreuit.

Anno 1250. Innocentio IV. regnante fundatum est monasterium SS. Iacobi, & Philippi de Casandra, extra, & propè mœnia Pisarum, quod ab eodem Pont. Max. sub Apostolicæ Sedis protectione receptum est per bullam, quæ apud Sanctimoniales nostras custoditur. Cœterum cum angustum nimis esset, annuente Alexandro IV. pontificatus sui an. 3. qui fuit salutis humanæ 1257. datum est monasterium Sancti Augustini in via Romea positum propè Pisas, in Burgo Sancti Marci eisdem incolendum, & insuper idem Pontifex. Abbatiam S. Felicis de Vada cum annexis bonis pro Sororibus alendis illis concessit: & tunc temporis moniales Sancti Augustini dicebantur.

Anno autem 1345. cum Luchinus Mediolani Dux Reipub. Pisanæ statum potenti exercitu inuasisset, Pisasque obsidione vallare decreuisset, propiæ pudicitiæ consulturæ moniales, Vrbem ingressæ, in domum Hæredum Betti de Testa se recepère, & fuerunt sequentes: Andrea Nini de Amadoris, Maria Rinochina, Ricca de Sardis, Matthæa de Simondis, Ioanna Vaccatella, Angela Betti de Burghis, Agostina Rauo, Catharina Bernardi de Saluis, Ioanna Capronesia, Cola Andreæ Gaetanelli, Simona Betti de Buriano, & Philippa de Nichio, prout constat ex instrumento à Lapo Ioannis de Appiano rogato; & transactis bellicis tumultibus in priorem locum reuersæ sunt.

Anno deinde 1469. Paulus Papa II. Monasterium hoc sub cura Ordinis dedit per speciale diploma, quod apud moniales asseruatur.

Cum verò Ecclesia S. Pauli de Horto fuisset facta Cōmendataria, illiusque Cōmendam obtineret Balthasar Capponius Florentinus, eam ad pedes Sixti IV. an. 1472. resignauit,

uit, cum reseruatione fructuum ad sui vitam, & Pont.Max. monialibus nostris, S. Augustini dictis, illã cõcessit: & mortuo Balthasare an. 1502. omnium bonorum ad Ecclesiam, seu Commendam S. Pauli de Horto spectantium, possessionem inièrunt ipsę, quibus & Parochialis Ecclesiola s. Luciæ de Capellarijs data est, translata Parochia ad S. Paulum, quam Ecclesiam diuiserunt sorores, anteriori parte sibi in clausura reseruata, exteriori verò comuni ciuium cœterorum Pisanorum vsui relicta.

Ex monumen. huius Monasterij.

TITVLVS XII.

De Monasterio Burgi S. Laurentij.

CVM Moniales monasterij Burgi S. Laurentij in Mugello à Patribus Congregationis s. Marci in via Dei fuissent directæ; ac propterea dimisso monachali habitu sororum nostrarũ vestimenta induissent, atq; ad nostram professionem ex beneplacito Clementis VII. transijssent, supplicauèrunt eundẽ Pontificem Maximum vt se curę Ordinis, ac gubernio Fratrum Congregationis s. Marci subdere dignaretur; quibus libenter annuit ille, & sororum petitionem Apostolico Breui comprobauit.

Anno igitur 1528. dum Patres Congregationis Tusciæ essent in conuentu S. Marci de Florentiæ pro eligendo proprio Vicario Generali congregati, adfuit Plebanus Burgi s. Laurentii in Mugello, eisq; Pontificis nomine obtulit Apostolicum Clementis Breue, quo monasterium, ac sorores prędfatas curæ Prioris pro tẽpore s. Dominici de Fesulis subdebat. Pontificis mandata exequturi Patres in eodem capitulo constituerunt Fratrem, probatæ vitæ, & regulari obseruantiæ addictum pro illis in eadem instruendis, sacramẽtalibusque ipsarum confessionibus suscipiendis; quæ vsque in præsentem diem sub eodem gubernio perseuerant.

Ex monumen. huius Monasterij.

CA-

CAPVT IV.

DE SANCTIS, AC BEATIS Romanæ Prouinciæ.

EMINET inter cœteras Ordinis Romana Prouincia Diuorum fœcunda mater, ob multiplices filios suos inter sanctorum, atque Beatorum cœtum ab Apostolica Sede relatos, ex quibus recēsentur, Thomas de Aquino Doctor Angelicus: & Antoninus Florentinus Archiepiscopus: Catharina Senen. Virgo Seraphica: Ambrosius Sansedonius: Agnes de Monte Politano, cum Margherita de Tipherno; quibus accedunt Iacobus de Meuania, Lucia de Narnia, Columba de Reate, & Catharina de Riccijs, de quibus Beatificandis in Sacra Rituum Congregatione tractatur. His sudduntur sanguine pro gloriosa Christi confessione laureati, de quibus omnibus compendiosum, breuemque sermonem sumus habituri, eorum gestis, miraculis, factisq; illustribus Ordinis Annalibus reseruatis.

TITVLVS I.

De Sanctis.

TRES Inclitos filios suos solemni Canonizationis ritu inter Sanctorum Album relatos, Ecclesiæ militanti, atque Triumphanti dedit Romana Prouincia, idque nulli ex cœteris Ordinis Pronincijs concessum animaduertimus, quos iusta eorundem priorem fœlicem in cœlum transitum breui sermone referemus, cum de illis copiosam habeant enarationem Scriptores Ordinis.

Sanctus Thomas de Aquino.

REfulget sicut Sol in Ecclesiæ firmamēto S. Thomas de Aquino nostrę Romanę Prouincię germen nobilissimū, qui Landulpho Aquini Comite, multorumque Castrorum Domino, atque Theodora Neapolitana, nobilissima, ac Sanctissima fœmina, duorum Regum, Ludouici Siciliæ, & Petri Aragoniæ matertera, natus anno 1224. Prædicatorum Ordinem ingressus est Neapoli adolescens, & hunc vitæ sanctitate, miraculis, & doctrina, diuina potius, quàm humana, plurimùm illustrauit. Iussu Gregorij X. cum ad Concilium Lugdunense pergeret, nō sine propinati veneni suspicione, in monasterio Fossæ nouæ Terracinen. Diœcesis euolauit in cœlum anno suæ ætatis quinquagesimo, salutis verò 1274. quo nondum fuerat diuisa Romana Prouincia in prouinciam Regni vtriusque Siciliæ, quæ diuisio contigit sub S. Celestino Papa V. ad petitionem Caroli Siciliæ Regis anno 1294. A Ioanne Papa XXII. in Sanctorum Album relatus est ritu solemni an. 1323. cuius officium, quo nunc in Ordine vtimur, composuit F. Adamus Antibaren. Archiep. ex nostro Ordine.

Quia

Quia de hoc S.Doctore plura retulimus in eiusdem Epinicijs sacris, à nobis hoc anno euulgatis, & in Vrbe impressis: compendioso sermone in presenti vsi sumus, ad illa Lectocem remittentes; hoc vno elogio *Patris* l'Abbè è Societate Iesu repetito, quod inter cœtera nobilius iudicamus.

Thomas Angelus erat ante quā esset Doctor Angelicus
Angelorum discipulus, & penè æmulus fuit.
Multa ab Angelis didicit; quædam Angelos docere potuit.
Aut Theologiam ad terram deduxit è cœlo.
Aut sciuit in via, quod videtur in Patria.
Audiuit Apostolus arcana verba, sed illa tacuit:
Quæ Paulo dicere non licuit, hæc Thomas dixit.
Mysteriorum compendium est Summa Thomæ.
Collegit in ea quidquid docèri potest, aut sciri.
Inclusit Hieronymos, Augustinos, Ambrosios, Gregorios.
Inclusit se ipsum, maior se ipso, & minor.
Epitomen fecit alienæ sapientiæ, & Summam suæ.
Didicit omnes qui Thomam intelligit:
Nec totum Thomam intelligit qui omnes didicit.
Augustinus aliquando obscursus, apud Thomam est clarus.
Vbi alij dubitant, Thomas non ambigit.
Vbi omnes desinunt, indè incipit.
Indè progressus, eò ascendit, quo nemo præiuerat.
Sequitur præuiam fidem, & eam ducit.
Sociam facit Theologiam fidei, & Magistram.
Ostendit quidquid illa credit:
Neque aliud superest nisi lumen gloriæ post Sūmam Thomę
De Deo sic loquitur, quasi vidisset.
De Angelis sic disputat, quasi spiritus esset.
Ingenerat horrorem peccati, dum ostendit:
Amabiles facit virtutes, dum describit.
Incarnatum Verbum sic explicat, quasi vox Verbi.
Siste aliquando Thoma: Peruenit ad sūmum Suma tua.
Ire vlterius non potes, nisi aliquid quæras post omnia.

Bene ſcripſiſti de me Thoma.

Probat ſcripturam hominis qui character eſt Patris.
Silete linguæ vbi Deus laudator eſt.
Fallere non poteſt qui laudatur, dumqui laudat non fallitur.
Appellent homines Thomam Angelum Theologiæ.
Dicant Pontifices Summam tot miraculis conſtare, quot articulis.
Plus dicit vna vox BENE.
Chriſtus eſt Verbum Patris, Thomas aduerbium Filij.

Quam ergo mercedem accipies.

Quàm benè ſcripſerit collige ex teſtimonio.
Quàm benè vixerit, diſce ex præmio.
Vt ſcias meritum virtutis, datur optio præmij.
Quid eligat niſi Deum, qui nouit prætium Dei?
Nec potuit eligere maius, nec debuit minus.
Malè ſcripſerat, ſi aliter elegiſset.

P. Petrus l'Abbe Societatis Ieſu.

S. Antoninus.

SAnctus Antoninus & ipſe Sanctam Eccleſiam, Ordinem ac Romana Prouinciam ſuis virtutibus, ſanctitate, atque doctrina plurimum illuſtrauit; qui Florentiæ Nicolao, ac Thomaſia honeſtis, ciuibuſque Florentinis parentibus natus anno 1389. ſextumdecimumque ætatis agens, Feſulis per manus F. Ioannis Dominici in conſtructione illius cœnobij intenti, Dominicana toga veſtitus, Cortonium, vt ibi ſub F. Laurentio de Ripafracta magiſtro prima Ordinis tirocinia exequeretur, directus eſt: quibus completis Feſulanum conuentum repetijt, vbi ſtudijs, orationibus, vigilijſque vacans, ad conuentuum Mineruæ, Senenſis, Feſulani, Floren-

rentini, ac Cortonensis regimen assumptus, Congregationumque Tusciæ, ac Neapolis Generalis Vicarius institutus, subditos morum, vitęque exemplo ad regularē obseruantiam inflammabat. Ab Eugenio Papa IV. propterea plurimùm adamatus, Florentino Concilio adesse iussus est: Et in æternam requiem translato Bartolomæo Zabarella Archiepiscopo Florentino, in eius locum quintus Florentinus Archiepiscus ab eodem Pontifice Max. inuitus licet, reluctans, & non nisi Apostolicus minis perterrefactus, effectus est 4. Id. Febr. ann. 1446. Cumque sibi commissas oues sanctissimè gubernasset annis tredecim, in cœlum euolauit an. 1459. sexto nonas Maij ab Hadriano VI. in Sanctorum Album relatus an. 1523.

Clemens Papa Septimus singulari erga S. Antoninum deuotione affectus, eius festum diem celebrandum die secunda Maij decreuit, recitantibusq; officium de eo, vel Missam maiorem audientibus, sequentes Indulgentias in hunc modum concessit, vt habetur in denunciatione 2. Capituli Generalis Romæ an. 1525. sub Magistro Ord. Francisco Siluestro celebrati.

Denunciamus Sanctissim. Dom. nostrum Clementem Papam VII. literas in forma Breuis pro officio S. Antonini & S. Catherinæ de Senis infrascripti tenoris edidisse Dilecto filio Fratri Vincentio de S. Geminiano Procuratori Ord. Prædicat.

CLEMENS PAPA VII.

Dilecte Fili Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CVm in minoribus constituti pro viribus studuerimus, vt B. Antoninus olim Archiep. Florentinus, in qua Ecclesia postmodum volente Deo illi successimus, condigno canonizationis honore non fraudaretur: quod & sub felicis

me-

memoriæ Leone X. magna ex parte factum; tandem sub Adriano VI. prædecessoribus nostris est consumatum rationi consentaneum est vt ea, quæ ad decorandum ipsum superesse videbantur, paterna cura, & peculiari affectu, quem ad eum gerimus, prosequamur. Cum itaque vitam, & gesta eius, quæ sparsa erant, cuperemus, aliquo adhibito ordine, in vnum corpus redigi, quo posset ad fidelium notitiam tanti viri sanctitas peruenire, tibi de cuius diligentia fiduciam pleniorem gerebamus, mandari curauimus, vt eius vitam, & gesta, nec non officium nouem lectionum cum Missa, pro gratia tibi cœlitus data scriberes, componeres, & ordinares; quæ tu omnia cum diligenter perfeceris, nostræ & Apostolicæ sedis munimine duximus roboranda. Quapropter vitam, & gesta prædicti S. Antonini per te conscripta plurimum in Domino commendantes, Officium cum Missa à te etiam compositum, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus. Volumusque illa ab omnibus, tam sæcularibus, quàm regularibus vtriusque sexus in eius festiuitate recitari secundum morem suarum Ecclesiarum. Et vt libentius, & deuotius ab illis fiat, & à Christiano populo ad Ecclesias in eius festiuitate concurratur, ob singularem affectum, quem ad eum gerimus, omnibus vtriusque sexus Christifidelibus, qui prædictum Officium in dicta festiuitate, pro more, vt præfertur, suarum Ecclesiarum per se, vel cum alijs, siue in choro recitauerint, viginti: Qui verò Missæ maiori, quæ in eius honorem prædictæ festiuitatis die celebrabitur presentes fuerint, singulis vicibus viginti quinque annos, & totidem quadragenas perpetuis futuris temporibus de iniunctis eis pœnitentijs, de speciali gratia, auctoritate Apostolica misericorditer in Domino relaxamus. Et quoniam cupimus vt dies natalis illius solemniter celebretur; posset autem ob festum S. Catharinæ de Senis, quod prima Dominica mensis Maij fœlicis recordat. Pius II. etiam prædecessor noster celebrandum instituit, impediri, quia in die secunda prædicti mensis potest con-

contingere; qua die natalis est eiusdem B. Antonini, cum prædictum festum S. Catharinæ diem certum non habeat, eadem auctoritate statuimus, & declaramus, quod prima Dominica Maij, quoad festum S. Catharinæ de Senis illa esse censeatur, quæ immediate venerit post festum Inuentionis S. Crucis. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & statutis, & consuetudinibus Ordinis prædicti, cœterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die 7. Maij 1525. Pontificatus nostri anno 2.

S. Catharina de Senis.

SAncta Catharina Senensis, Virgo Seraphica, nostræ Romanæ Prouinciæ germen nobilissimũ sua Sanctitate & ipsa plurimum Ordinem illustrauit, quæ Iacobi, & Lapæ filia, anno 1347. nata, B. Dominici habitum, quem Sorores nostræ de pœnitentia gestant, impetrauit. In abstinentijs, ieiunijs, vigilijs, ac disciplinis assidua, luctabatur frequentissimè cum dæmonibus, quibus formidabile erat Catharinæ nomen, eosque cogebat ab obsessis abire corporibus.

Cum Pisis immoraretur die Dominico, refecta cibo cœlesti, & in extasim rapta, vidit Dominum Crucifixum magno cum lumine aduenientem, & ex eius vulnerum cicatricibus quinque radios ad quinque loca sui corporis descendentes, ideoque mysterium aduertens, Dominum præcata, ne cicatrices apparerent, continuo radij colorem sanguineũ mutauerunt in splendidum, & in forma puræ lucis peruenerunt ad manus, pedes, & cor eius: ac tantus erat dolor, quem sensibiliter patiebatur, vt nisi Deus minuisset, breui se crederet morituram. *Hæc Sanctus Antoninus.*

Hanc itaque gratiam amantissimus Dominus noua gratia cumulauit, vt sentiret dolorem, illapsa vi vulnerum, & cruenta signa non apparerent. Quod ita contigisse cum Dei famula Confessario suo B Raymundo retulisset; vt ocu-

oculis etiam repreſentaretur, radios in imaginibus Beatæ Catharinæ ad dicta quinque loca pertingentes, pia fidelium cura pictis coloribus expreſsit. *Hæc ex Apoſtolico calamo Vrbani VIII. prodière.* Qui & ex S. Congregationis Sacrorũ Rituum decreto, die 26. Febr. anno 1630. emanato eiuſdem Saraphicæ Virginis officium, prout ſupra, recitandum voluit ab Eccleſiaſticis cunctis.

Fuit non modica circa ſtigmata S. Catharinæ altercatio inter noſtros, & Fratres Minores, contendentes illi imagines eiuſdem S. Virginis pigendas non eſſe cum ſacris ſtigmatibus, & eiſdem fauente Sixto Papa IV. Minorita, coacti ſunt Patres noſtri in Generali Capitulo Peruſino anno 1478. tale Ordini, ac veritati præiudiciale decretum formare.

Ne inter Fratres Ordinis Minorum, & noſtros, qui diſcordantes debemus ad vnitatis fœdera reuocare, alicui vnquam turbationis materia ex indiſcreto ſermone poſſit oriri, ſed tanquam boni imitatores Sanctorum Patrum vtriuſque profeſſionis inuiolabili charitatis vinculo nos inuicem complectamur, præſentium tenore diſtrictè præcipiendo mandamus vniuerſis Fratribus noſtri Ordinis, cuiuſcumque gradus, vel officij, aut conditionis exiſtant, quatenus in publicis ſermonibus ad populum, neque alia quacumque cauſa, in Ordinem, aut Fratres ipſius Ordinis impingant, vel etiam ſuper excellentia meritorum, vel inſigniorum, ſeu titulorum, & laudum Sanctorum, vel Sanctarum vtriuſque Ordinis, & ſignanter de Stigmatibus *B. Virg. Catharinæ Senenſis prædicare, vel contendere audeant: attentius, atque diſtrictius iniungentes Præſidentibus noſtri Ord. quatenus ſic contrafacientes cohibeant, vt de cætero ad talia linguam non audeant relaxare. Et quoniam totis viribus, & omni cum deuotione votis, & intentioni Sanctiſs. D.N.* (erat Sixtus IV.) *& Apo-*

& Apostolicæ Sedis, cui omnis potentatus inclinat, humiliter annuere, & consentire debemus, sub pœna carceris, & priuationis a suis officijs, quas ipso facto contrafacientes incurrant, præcipimus, & mandamus vniuersis, & singulis Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus, & alijs quibusuis nostri Ordinis Præsidentibus quatenus nullam Imaginem præfatæ Virginis Catharinæ de Senis cum signis Stigmatum in Ecclesia, & alijs locis nostro Ordini subiectis pingi, aut formari faciant, vel permittant.

Defuncto postmodum Sixto, perstiterunt nostri veritatis amatores in sua antiqua sententia, ac possessione pingendi imagines S. Catharinæ cum sacris Stigmatibus, id aperto ore in publicis, ac priuatis colloquiis affirmantes: contra quos iterum insurexerunt Fratres Minores, & causa mota coram Summo Pontifice Clemente VIII. tale in eos formauit decretum.

CLEMENS PAPA VII.

Vniuersis venerab. Fratrib. Patriarchis Archiep. Episcop. & alijs locorum Ordinarijs per vniuersum Orbem constitutis sal. & Apost. bened. &c.

CVM sicut accepimus nonnulli Fratres Ordinis S. Francisci Immaginem S. Catharinæ de Senis nō esse depingendam cum Stigmatibus, sed solius S. Francisci immaginem depingi debere: ac super hoc sæpe cum Fratribus Ordinis Prædicatorum altercentur, & contendant. Nos huiusmodi altercationes, & contentiones præcidere cupientes, negotium istud Venerab. Fratribus nostris S. R. E. Cardd. super Sac. Ritibus, & cœremonijs deputatis examinandum, cognoscendum; & decidendum, ac terminandum commisimus

cum decreto tamen quod nihil innouetur. Ne autem dum in dicta Congregatione prædictum negotium deciditur, in aliqua orbis terrarum parte circa hoc aliquid innouari contingat, vobis, & cuilibet vestrum per præsentes committimus, & mandamus, vt auctorit. nostra curetis, & præcipiatis sub censuris, & pęnis Ecclesiasticis, arbitrio vestro infligendis, ne in Ciuitatibus, & Diœces. vestris quisquam FF. prædictorum S. Francisci, aut alij quicunque (donec in dicta Congregatione Cardd. huiusmodi negotium Stigmatum S. Catharinæ definitum, & declaratum fuerit) circa illud aliquid innouare, aut vlterius altercari, vel contendere præsumant, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac præsertim fœl. recordat. Sixti Papæ Quarti prædecessoris nostri, cœterisque in cont. facientibus non obstant. quibuscunque. Dat. Romę apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVII. Nouembris MDIC. Pont. nost. Anno VIII.

M. Vestrius Barbianus.

Tandem ex decreto Apostolico, ac Sac. Congregationis Rituum constabilita est veritas Sacrorum Stigmatum eiusdem S. Virginis Catharinę Senen. vt supra retulimus, quę euolauit in cœlum Romæ 29. Aprilis anno 1380. corpore ad Mineruam, vbi quiescit, delato.

TITVLVS II.

De Beatis.

EST & Beatorum fœcundum Seminarium Romana Prouincia; nam præter multos, de quibus in Sacra Rituum Congregatione agitur, hic referendos, sunt B. Ambrosius Sansedonius, & B. Agnes de Monte Politiano, de quibus festus dies, atque officium sub ritu Tot. Dup. in Ordine solemniter celebratur, quòd etiam nulli ex alijs Prouincijs nostris concessum animaduertimus.

B. Am-

B. Ambrosius Sansedonius.

SEnis in Tuscia natus est Ambrosius ex nobili Sansedoniorum familia. Patrem habuit Bonataccam preclarissimi Equitis Deodati filium; Matrem verò Iustinam de Siribellinis anno 1220. Ex deformi ac contracto corpore in Prædicatorum Ecclesia S. Mariæ Magdalenę, quam obtinebant tunc Fratres, ita post annum conualuit, vt in concinnam formam illicò redactus fuerit, Iesu Saluatoris nomine ter alta voce repetito. Copiosis in pauperes erogatis pecunijs, 16. Aprilis anno 1237. Ordinem ingressus, atque religiosa paupertate imbutus, in sacris litteris sub B. Alberto Magno pietate, & sanctitate ita floruit, vt maxima in æstimatione apud Magnates, & Principes, quinimo & apud Pontifices Maximos, semper fuerit habitus. Pluribus propterea, ac trepidis legationibus perfunctus, sacras litteras Coloniæ, ac Bononiæ, nec non Romæ docuit, & studia in Apostolico Palatio ex Vrbani Papę IV. Decreto restituit. Cum Senis in fœneratores maximo spiritus zelo, atque ardore quadragesimali tempore inueheretur, semel, atque iterum rupta pectoris vena, in cœlum euolauit 19. Martij anno 1285. cuius mortem prætiosam in Romano Martyrologio imprimi voluit Clemens Papa VIII. & Gregorius XV. festum illius in vniuerso Prædicatorum Ordine celebrari mandàuit.

Beati huius obitus hora clamauerunt pueri rationis expertes, *E morto il Santo*. In tanta autem fuit sanctitatis opinione apud Senenses, vt secundo ab illius fœlici in Cœlum transitu anno, eius festum diem Senensis Magistratus celebrauerit solemni pompa, vt testatur D. Iulius Sansedonius Ep. Grossetanus in vita à se compilata lib. 3. cap. 12. qui & miracula, & processus pro illius canonizatione formatos adducit.

B. Iacobus de Meuania.

B. Iacobus de Meuania ex familia de Blanconibus Ordinem ingressus Spoleti anno 1236. corpus suū vigilijs, cilicijs, atq; orationibus spiritui seruire cogebat. Apud Meuaniam conuentum Ordinis à conciuibus suis cōstruendum curauit, multis in eodem ædificio patratis miraculis, panis multiplicatione, atque conuersione aquæ in vinum. Aeternæ salutis cupidus, dum ante crucifixi Domini imaginem oraret, de ipsa certior factus, eiusque sanguine conspersus, audiuit dicentem sibi Dominum: *Sanguis iste sit in signum tuæ salutis*. Quam consequtus est, morte accedente, anno 130.. duorum mortuorum suscitator magnificus effectus, qui Beati titulo in Ordine, atque apud Meuanates ab immemorabili veneratur.

Agitur causa Beatificationis huius serui Dei in Sacra Rituum Congregatione, à qua sequentia in illius fauorem emanarunt decreta, ex Regestis eiusdem deprompta.

Iacobi de Beuania Ord. Predicatorum Spoletana, vel Beuaniæ, vel Meuaniæ.

Spoletana.

Serui Dei Fratris Iacobi à Meuania Illustriss. de Tores die 22. Martij 1625. fol. 94.

Beuaniæ.

Cansules Terræ Beuaniæ supplicarunt recipi processum aliàs apertum in Sacra Congregatione, & vitam à q. Card. Belarmino, deinde annuente Sanctiss. restitutum, & asseruatum in Archiuio S. Dominici, & procedi in causa Beatificationis B. Iacobi de Beuania, qua supplicatione ad Sac. Congregationem remissa, Sac. Congregatio respondit agendum cum Sanctiss. die 12. Septemb. 1626. fol. 143.

Beua-

Beuaniæ.

Retuli me alloqutum cum Sanctiſs. *de Proceſſu B.* Iacobi *de Beuania, quem audiri, & examinari inſtatur, &* Sanctiſſimum *annuiſſe: ſed quia dictus proceſſus non fuit adhuc exhibitus, nihil fuit determinatum. die* 7. *Nouemb.* 1626. *fol.* 149.

Spoletana.

Exhibitus proceſſus B. Iacobi de Beuania aliàs auctoritate ordinaria factus, mandante Sanctiſſimo quòd videretur, fuit remiſſus ad Illuſtriſs.Card.Lenium die 20.*Febr.*1627. *fol.* 192.

Spoletana.

Communitas *Terræ Beuaniæ, & Religioſi* S. *Dominici ſupplicauerunt ſubrogari alium in locum* Illuſtriſs. Card. *Lenij iam defuncti, qui videat, & referat proceſſus auctoritate ordinaria factos ſuper ſanctitate, & miraculis ſerui Dei Fratris* Iacobi *de Beuania Ordinis Prædicatorum. Et* Sac. Congregetio *ſubrogauit* Illuſtriſs. *Perettum. die* 16. Septemb.1628.*fol.* 186.

Spoletana.

Religio Ordinis S. Dominici, *nec non* Communitas *Meuaniæ* Spoletan. *Diœceſis ſupplicarunt deputari aliquem, qui referat proceſſum auctaritate ordinaria fabricatum ſuper ſanctitate, & miraculis ſerui Dei* Iacobi *de Meuania ad effectum obtinendi Remiſſionales auctoritate Apoſtolica. Et* Sac. Congregatio *commiſit Eminentiſs.* S. *Georgij. die* 10. Septembris 1630.*fol.* 104.

Eminentiſſ. & Reuerendiſs. D.Card. S. Georgij propo-ſuit

ſuit cauſam Spoletanam ſerui Dei F. Iacobi de Meuania Ord. Præd. pro obtinendis remiſſionalibus auctoritate Apoſtolica ad inquirendum in genere ſuper fama ſanctitatis, & miraculorum, & fuit decretum quòd adhibita prius diligentia pro reperiendo proceſſu, qui erat penès D. Card. Belarminium, & eo reperto vel non, concedantur litteræ Remiſſoriales ad inquirendum in genere tantùm iuxta petita. die 17. Maij 1631. fol. 169.

Spoletana.

Cum aduenerit proceſſus fabricatus auctoritate Apoſtolica ſuper fama ſanctitatis in genere ſerui Dei F. Iacobi de Meuania Spoletanæ Diœceſis Ord. Præd. Agens pro illius canonizatione ſupplicauit mandari aperiri, recognoſci, & committi ad effectum obtinendi Remiſſoriales in ſpecie. Et Sac. Congregatio mandauit aperiri, recognoſci, & committi Em. S. Georgi, citato ſemper ad omnes actus Promotore fidei. Die 21. Iunij 1632. fol. 39.

De prædicto ſeruo Dei Iacobo de Meuania adeſt proceſſus originalis de partibus in Archiuio, ſi minus videatur in libro Notarij Sacræ Congregationis proceſſuum accommodatorum, in quo erit adnotata quietantia, vel erit apud eundem Notarium.

In hoc ſtatu eſt cauſa Beatificationis B. Iacobi de Meuania in Congregatione S. Rituum ex cuius Regeſtis hæc ſunt excripta.

Sequuntur Sacræ Virgines.

B. Agnes

B. Agnes de Monte Politano.

B. Agnes de Monte Politano nono ætatis suæ anno Dominicanam Religionem amplexata,& quintum decimum non dum egressa, monialibus suis ex pontificio decreto præfecta, vitæ sanctitate, cunctis in pietatis operibus prælucebat: nec maior annis quatuordecim orationibus intenta, & à terræ cubito eleuabatur,& eius pallium roris candidi guttis in modum crucis respergebatur, & locus, vbi genua figebat, floribus enatis pulcherrimis decorabatur. His alijsque compluribus diuinis beneficijs, ac muneribus affecta, sacra Eucharistia non semel ab Angelica manu suscepta, euolauit in Cœlum an. 1317. Aprilis 20. die.

B. Margarita de Castello.

B. Margarita de Castello,seu de Tipherno dicta,in Merola tamen oculorum lumine orbata nata est, quæ adhuc septennis cilicio præcincta,singulis sextis ferijs solo pane, & aqua corpusculum macerabat. A parentibus Tiphernum ad sepulcrum cuiusdam Minoritæ miraculis corruscantis, vt visum reciperet, perducta, sed minimè sanata, ibidem derelicta est. Christo Domino in patrem, Beataque Dei Genitrice in matrem delectis;Tertij Ordinis nostri habitum amplexata,innumeris à Deo affecta est beneficijs,inter quæ illud mirandum, quod singulis diebus dum Sacrosancto missæ sacrificio adstabat, puerum Iesum in humana carne super altare intuebatur. In Cœlum euolauit anno 1320. miraculis clara, ætatis suæ trigesimo tertio, cuius corpus denudatum, dum esset coram chirurgis exenterandum, atque cum aromatibus sepeliendum,extensis manibus,pudenda sibi cooperuit. Eius festum cum officio de communi vnius Virginis ex Apostolica Pauli V. concessione, ac S. Congregationis decreto,anno 1609. emanato,apud Tiphernates celebratur. Decretum autem tale est.

Do-

Dominicus Episcopus Ostiensis sacri Collegij Decanus, S.R.E. Cardinalis Pinellus, Congregationis sacrorum Rituum præpositus.
Vniuersis, & singulis præsentes inspecturis, lecturis, & audituris salutem in Domino sempiternam.

CVM ad instantiam R. P. Generalis, & totius Ordinis Prædicatorum S. Dominici, Reuerendissimi D. Episcopi, ac Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ, & Magistratus, Ciuium, & incolarum Ciuitatis Tiphernaten. iteratis precibus apud sanctissimum D.N. Paulum Papam V. institum fuerit, vt dignaretur concedere, & indulgere, vt in honorem Beatæ Margaritæ Virginis, Tertiariæ professæ Ordinis Prædicatorum sancti Dominici, quæ anno Domini 1287. *Ex honestis parentibus orta in Oppido Metulæ Massæ Trebariæ Tiphernaten. Dioc. per annos tres, & triginta quibus vixit, in Virginitate semper permansit, & puritatem coluit, ac multis miraculis claruit, tam in vita, quàm, post mortem: Et post eius felicem in Domino obdormitionem, quæ fuit die* 13. *Aprilis anno Domini* 1320. *eius corpus in Ecclesia sancti* Dominici, *in eadem Ciuitate Tiphernaten. sepultum fuit, & adhuc post* 300. *fere annos integrum, & incorruptum asseruatur cum maximo populi eiusdem Ciuitatis, & vicinorum locorum concursu, & deuotione, Officium, &* M*issa de communi vnius Virginis à Fratribus dictæ Religionis, tam in dicta Ciuitate, vbi eius corpus sepultum est, quàm in vniuersa Prædicatorum* Religione *liberè, & licitè*

licitè recitari, & celebrari possit, & valeat. Et cùm ab *eodem* Sanctissimo D. N. *Papa, negotium hoc ad sacram Rituum Congregationem, vt in ea examinaretur, remissum Illustriss. & Reuerendiss.* Domino Cardinali Bellarmino, *qui semel, atque iterum visis diligenter antiquis, & modernis scripturis, de vitæ integritate, puritate fidei, & miraculis dictæ Beatæ Margaritæ tam in vita, quàm post eius mortem, & continuatæ opinionis Sanctitatis, & miraculorum vsque in præsentem diem, eiusdem Beatæ. Tandem in eadem sacra* Rituum *Congregatione habita die* 24. *Augusti* 1609. *retulit, ex deductis satis constare de ipsius Beatæ Margaritæ sanctitate, & miraculis, & censere gratiam petitam posse concedi Fratribus eiusdem Religionis, saltem in dicta* Ciuitate Castelli, *seu Tiphernaten. vbi eius venerabile corpus sepultum est.* Et *Illustsiss. & Reuerendiss.* DD. *Cardinales in eadem* Congregatione *præsentes eiusdem sententiæ fuerunt, nempe posse concedi, si Sanctissimo* D. N. *placuerit, vt in* Ciuitate *tantum Tiphernaten. & in* Ecclesia S. Dominici, *vbi dictæ Beatæ Margaritæ corpus adhuc integrum, & intactum sepultum est, & magna totius populi deuotione, & concursu colitur, & in veneratione habetur, possit eius festum in die fælicis eius obdormitionis in* Domino, *cum officio, & missa de communi vnius Virginis, in honorem ipsius Beatæ Margaritæ celebrari:* & Sanctissimus D. N. *audita* Congregationis *sententia per maturam relationem, hac infrascripta die, Sanctitati suæ in* Consistorio *secreto factam, annuit, & concessit, vt in* Ciuitate *tantum Tiphernaten. & in* Ecclesia, *vbi dictæ Beatæ Margaritæ corpus sepultum est, possit de ea, tanquam de Beata,*

festum cum Officio, & Missa, de communi vnius Virginis celebrari. In quorum omnium fidem, & testimonium, præsentes, per infrascriptum nostræ præfatæ Congregationis Secretarium fieri iussimus, manu nostra subscripsimus, & nostri soliti sigilli impressione muniri fecimus. Datum Romæ, in Palatio nostræ solitæ residentiæ, die 19. mensis Octobris 1609. Dominicus Episcopus Ostien. Card. Pinellus, I. P. Mucantius Secret. Congreg.

Sed & hoc loco dignas esse tres alias sacras Virgines nostras, de quarum Beatificatione in sacra Rituum Congregatione agitur, non immeritò iudicamus.

Lucia de Narnia.

HAEC Narniæ ex Broccolellorum familia orta, ab ignota sanctimoniali singulis diebus tenerrimè, obstupescente genitrice, amplexata, tandem fuisse illam Seraphicam Catharinam, quæ sibi in filiam eandem elegerat, diuina reuelatione cognouit. Non dum quartum annum egressa, in oratione assidua, & prophetico spiritu repleta, grauidæ matri & prolis sexum, & nomen non semel prædixit.

Quinquennis in sacrorum templorum visitatione assidua, ad S. Augustini Ecclesiam confugiebat, & ante B. Virginis, in vlnis suis puerum Iesum gestantis, imaginem ligneam in nudata genua procumbens multo tempore orabat, enixe ab illa petens, vt sibi infantulum Iesum concedere dignaretur; votique compos tandem aliquando effecta est; nam illum viuum obtinuit, atque in paternam domum læta deferens in proprio lectulo collocauit, cum quo duabus diebus, & noctibus quieuit, transactoque tertio, in matris vlnas remeauit ille.

Septennis à Christo interrogata num sua sponsa esse vel-

let, annuit illa; & coram sanctissima Virgine, diuisque Dominico, & Catharina Senen. nec non Angelorum choris, aureo anulo subarrata, illum vsque ad mortem tanquam preciosissimum tesaurum custodiuit, & ex illa hora D. Dominicum in patrem, atque S. Catharinam in matrem Christus illi constituit, quibus nominibus, quoad vixit, semper est vsa in eorundem inuocatione. Ab eodem s. Patriarcha Dominicano habitu induta, illum vsque ad mortem, vel sub sericis indumentis, vel publicè induit.

Octauum annum agens, ad S. Mariæ Maioris de Narnia Ecclesiam nostram confugiens, sibi Religiosum Patrem in animæ custodem delegit, a quo in via Dei directa, terrena despiciens, in cœlestium contemplatione versabatur, sponsum suum assiduis supplicationibus, vt se ab omni peccati labe impollutam ad mortem vsque custodire dignaretur, interpellando.

Decennis cilicio, atque ieiuncijs addicta, à carnium, atq; vini vsu abstinens, interrogata à Confessario de tantæ abstinentiæ causa, respondit, vt in seruitutem repugnantem carnem subiugaret, illiusque incitamenta oportunis remedijs præueniret.

Duodecimum annum ingressa, præfatam nostram Ecclesiam petijt, vbi sacro Christi sponsi sui corpore refecta, ante Crucifixi, ac Beatiss. Virginis imaginem virginitatis votum emisit, se nullum alium, præter Christum crucifixum, sponsum in terris habituram, protestata.

Quintumdecimum nondum egressa in morbum incidit, & desperata à medicis valetudine, dum cœlesti cibo recreata de fœlici transitu læta cogitaret, adfuit Senensis Catharina, quæ ex lectulo illam surgere iussit, atque futuram Sanctimonialem sub regula B. Dominici prædixit. At quomodo fiet istud, si prima litterarum rudimenta penitùs ignoro? respondit Lucia. Sponsus tuus, subdidit illa, & hoc tibi donum impartitur, vt perfectè libros legas, & quos legeris intelligas. Vocauit illico Matrem, & se S. Catharinæ ope

sanatam dixit, librum sibi dari petijt, & legit, atque se Sanctimonialem futuram apertè protestata est.

A matre, & patruo, Summi Pontificis in Vrbe Vicario, cuidam Mediolanensi Comiti in matrimonium data, sponsum respuit, se virginitatis votum emisisse contestata; & ad orationes confugiens, suspirijs, & lachimis æternum sponsum suum interpellabat, vt se nullo alio terreno sponso coinquinari pateretur. Apparuit illicò Christus cum Sanctissima Genitrice sua, diuisque Dominico, ac Catharina, qui illam parentum mandatis acquiescere iusserunt, de virginitate custodienda vsque ad mortem certàm reddentes. Lachrymis igitur desponsata Lucia, dum cubiculi secreta silentia esset ingressa, sponsum sic alloquitur. Me æterno Deo, viuo, & vero virginitatem vouisse, ò dulcissime iuuenis, scias. Sponsum habeo Iesum Christum, qui anulo suo me subarrauit, quem orta luce tibi ostendam. Caue ergo ne polluto amore me contingas, & florem tuæ iuuentutis ammittas. Obstuit Comes, sponsæque verbis acquiescens, ab illius contactu abstinuit deinceps. At cum quadam vice eam cognoscere deliberasset, cubiculum ingressus, obuiam virginem in Angelico vultu, radios emittente habuit, & perterrefactus, atque ab illa de assumpto proposito increpatus, protestatus est se in futurum nunquam illi molestiam illaturum, quod & fideliter præstitit, sponsæ sanctitate perspecta. At Lucia in futurum suæ virginitati consultura, ieiunijs, vigilijs, orationibus, ac disciplinis enixè cœlestem præcata est sponsum, vt à terreno omnem subtraheret erga se carnalem amorem, quæ tandem exaudita est, ipso Comite Ordinem Minorum ingresso, in quo pluribus annis Angelicam vitam duxit, præcessitque sibi dilectam virginem sponsam in somno pacis, cum sanctitatis opinione quiescendo.

Soluta à lege Viri Lucia, atque Tertij Ordinis monialium habitu vestita, se pietatis operibus totam aplicuit, statuta Ordinis adunguem obseruando. Tribus vicibus se singulis noctibus disciplinis cruentabat, in ieiunijs Ecclesiæ, atque

Ordinis

Ordinis ſolo pane, & quandoque herbis crudis contenta.

In meditatione paſsionis Domini aſsidua, eum quotidianis præcibus, vt ſe propriorum dolorum participem efficere dignaretur, ſupplicabat, votique compos tandem aliquando effecta eſt; nam cum anno ſalutis humanæ 1495. Viterbij, quò à Magiſtro Ordinis pro monialibus S. Dominici regulari obſeruantiæ reſtituendis, miſſa fuiſſet, orationibuſque maximo ſpiritus ardore, feria 4. poſt 2. Dominicam Quadrageſimæ vacaret in Choro cum monialibus, matutinas préces perſoluentibus, pſalmumque *Miſericordias Domini in æternum cantabo* recitantibus, quarta noctis hora, Dominus Ieſus cruci affixus eidem apparens, ſacra ſtigmata in pedibus, manibus, ac corde viſibiliter tanto inflixit dolore, vt in terram corruens, mortua crederetur à Sororibus, apparentibus viſibiliter cicatricibus, quinimo, & ſanguinem effundentibus; quòd vbi Alexandro VI. Pontifici innotuit, miſsis illuc ex Curia Prælatis aliquibus, ac peritis chirurgis, veritatem ſacrorum Stigmatum comprobauère omnes. His Herculi Ferrariæ Duci nunciatis, à Pontifice Max. inſtanter petijt ille, & obtinuit, vt Lucia, Apoſtolicis minis perterrefacta, Ferrariam adiret, vbi & Dux ſacra Stigmata non ſemel vidit, & ad illius petitionem S. Catharinæ monaſterium ædificauit, in quo miraculis clara ad cœleſtem ſponſum euolauit 15. Nouembris anno 1544. Tranſactis annis tribus translatum eſt corpus in nobiliorem locum, repertum incorruptum cum cicatrice in parte cordis, ſanguinis guttas emittente.

Agitur de illius Beatificatione in ſacra Rituum Congregatione, ex qua ſequentia decreta promanarunt.

Luciæ de Narnia Monialis Tertij Ordinis S. Dominici, Ferrarien. Obijt Ferrariæ 15. *Nouemb.* 1544.

Ferrarien.

Iuxta facultatem conceſſam à Sanctiſs. Domino Noſtro

in

in Congregatione habita die 13. Iulij præsentis anni 1649. Congregat. Ordinariæ præpositæ Sac. Rituum aperiendi processus auctoritate ordinaria confectos seruorum Dei cum aliqua sanctitatis, aut martyrij fama defunctorum. Eadem sacra Congregatio instante Procuratore causæ Seruæ Dei Sororis Luciæ de Narnia Monialis Monasterij S. Catharinæ Senarum Ord. Prædicat. Ciuitatis Ferrariæ mandauit aperiri coram Eminentiss. Dom. Cad- Capponio Præfecto duos processus exhibitos, auctoritate ordinaria compilatos. Alterum super vita, virtutibus & miraculis; & alterum super immemorabili cultu dictæ Seruæ Dei; citato tamen R. P. D. fidei Promotore, seruatisque omnibus de Iure seruandis. Die 21. Augusti 1649. fol. 44.

Ferrarien.

Beatificationis Seruæ Dei Luciæ de Narnia.

Fuit remissa ad Promotorem fidei relatio facta ab Eminentiss. D. Card. Aldobrandino in causa Seruæ Dei Luciæ de Narnia ad effectum obtinendi commissionem in Congregatione habenda coram Sanctiss. Die 10. Maij 1653. fol. 118.

Ferrarien. Eminentiss. Aldobrandino.

Noua commissio in causa Seruæ Dei Luciæ de Narnia fuit proposita in Congregatione præparatoria habenda coram Sanctiss. Die 10. Febr. 1654. fol. 185.

Ferrarien.

Seruæ Dei Luciæ de Narnia.

In hac causa fuit præsentatus processus auctoritate ordinaria confectus super fama sanctitatis, virtutum & miraculorum huius Seruæ Dei, cum altero particulari super cultu immemorabili eidem prestito, quare relata fuit Commissio Ge-

neralis

neralis ab Eminentiss. Aldobrandino pro introductione causæ Beatificationis eiusdem Seruæ Dei, & visum fuit posse signari Commissionem per 2. partem, videlicet vel si magis placeat, committatur eidem Sac. Rituum Congregationi vt cognoscat, an ritè & rectè pronunciatum fuerit per Ordinarium Ferrarien. super casu excepto ex immemorabili. Die 19. Ianuarij 1654. fol. 190.

Ferrarien.

Similiter addidit Promotor Fidei velle instare coram Sanctissimo pro signatione alterius Commissionis in causa Seruæ Dei Luciæ de Narnia cum additione, vel si magis placet &c: vt cognoscat, An ritè pronunciatum fuerit per Ordinarium Ferrarien. super casu excepto ex immemorabili, cum constet obijsse dictam Dei Seruam intra centum annos à die latæ sententiæ. Die 25. Septemb. 1655. fol. 114.

In hoc statu est modò causa huius Seruæ Dei in Congregatione Sacrorum Rituum pro illius Beatificatione, ex cuius Regestis hæc fuère desumpta.

Catharina de Riccijs.

Catharina de Riccijs altera Virgo est, vitæ sanctitate, cœlestiumque donorum abundantia, mirabilis. Hæc Florentiæ ex nobilibus parentibus in lucem data die 25. Aprilis 1522. in tenella adhuc ætate ab Angelo custode in spiritualibus, atque recitatione Rosarij Beatiss. Virginis edocta, illud singulis diebus deuotissimè persoluebat. Quartum decimum ætatis annum ingressa, in monasterio S. Vincentij de Prato Dominicano habitu à P. F. Timotheo de Riccijs patruo suo 16. Maij anno 1535. immutato Alexandræ nomine in Catharinam, induta, in ipso Religionis ingressu exta-

extasim passa, cœlestis dulcedinis abundantia repleta est; & ad mortem infirmata non semel, diuinitus pristinam incolumitatem, præter medicorum spem, obtinuit. In meditatione passionis Domini Nostri Iesu Christi assidua, eundem in Cruce morientem, in spiritu videre 1. Aprilis 1541. digna fuit, ex qua die illius sacratissimam passionem in corde ita fixam habuit, vt à sensibus aliena videretur, & in extasim rapta, eandem in se ipsa repræsentaret. A Beatissima Dei Genitrice edocta, versiculos passionis Christi, quibus nunc in Ordine vtimur, incipientes *Amici mei, & proximi mei &c.* in vnum collectos, recitandos monialibus dedit, quos P. Timoteus eius patruus scripsit, Magistroque Generali Francisco Romæo approbandos misit, qui in toto Ordine illos singulis sextis ferijs cantandos voluit. A Domino monita die 6. Maij anno 1542. à carnibus, & ouis ad mortem vsque abstinuit, herbis, fructibus, leguminibusque contenta. Rara fuit in illa humilitas, & donis celestibus copiosè irrigata, se pecatricem maximam profitebatur, cilicijs, ac flagellis corpus suum singulis noctibus cruentando.

A Cœlesti sponso nouo corde donata 6. Iunij 1541. in solemnitate Paschali, & Christum à mortuis resurgentem videre, & ab eo die 9. Aprilis 1542. cœlesti anulo subarrari promeruit, quem non semel conspexère Sorores eiusdem Monasterij, & Philippus de Saluiatis osculari dignus fuit.

Cæterùm vt nouis cœlestibus donis cumularetur Catharina, dum in passionis Dominicæ meditatione die 14. præfati mensis & anni, tota esset, sacris Christi stigmatibus affici promeruit; ac tantus erat dolor, quem patiebatur, vt se breui morituram diceret custodi suæ Sorori Mariæ Magdalenæ de Strozzis. Anno 1543. die 6. Martij, ipsa in extasim rapta, conspexerunt Moniales singulæ sacra stigmata in manibus, quæ cunctarum oculis patuère ab hora 18. vsque ad solis occasum sequentis diei, D. Thomæ Aquinati sacræ. Pedum stigmata à duodecim antiquioribus Monialibus tantùm visa sunt: & eodem anno in festo S. Vincentij

Con-

Confeſſoris, manuum ſtigmata viſa ſunt à Patribus noſtris Angelo Diaceto Prouinciali Romano, Modeſto Maſio Priore S. Dominici de Prato, Timotheo de Riccis patruo ſuo, aliiſque Fratribus, ac Sororibus cunctis.

Sed & ſpinea corona à Chriſto Domino donatã fuiſſe Catharinam certum eſt, ex teſtimonio multorum fide dignorum, qui id non ſemel Patri Philippo de Guidijs noſtri inſtituti profeſſori, ac Sereniſſ. Principiſſæ Vrbini Confeſſario retulerunt. Subditque idem Pater, qui Catharinæ vitam, ac geſta ſcripſit, non ſemel ipſam quoque de latere Chriſti maxima ſpiritus dulcedine diuinum nectar ſuxiſſe, atque à Beatiſſ. Dei Genitrice Maria puerum Ieſum amplexandum, oſculandumque ſuſcepiſſe.

Fama igitur Sanctitatis illius per omnium ora volitante, Paulus Papa III. Roberto Card. Puccio Piſtorien. Epiſcopo iniunxit, vt de vita, moribus, atque ſanctitate illius omnimodam ſumeret informationem monaſterium viſitando, qui cum Vaſionen. atque Pandolphino Epiſcopis ad illud accedens, atque de Catharinæ pietate, charitate, vigilijs, abſtinentijs, cæteriſque virtutibus plenè edoctus, & informatus, cuncta Pontifici Maximo retulit, qui ſupra modum gauiſus eſt, temporibus ſuis talem ſibi Deum elegiſſe ſponſam D. Maria quoque de Saluiatis mater Florentiæ Ducis Coſmi I. Nouembris 9. die anno 1543. ad eam acceſſit, eiuſque vitæ ſanctitate allecta, vt in proprio officiolo B. Virginis orationes quaſdam ſuo caractère conſcriberet, petijt & obtinuit ab illa, quod in morte, quæ ei ſequenti menſe contigit, ſuis cuſtodiendum, velut reliquiam ſacram, tradidit. D. Leonora de Toledo, eiuſdem Coſmæ Ducis vxor Pratum veniens, atque Monaſterium ingreſſa, Sanctam Virginem á ſenſibus alienam, atque in extaſim raptam inuenit, adſtantibus Epiſcopo Foroliuien. Petro de Toledo, Angelo Morſio, Baccio Lanfredino, necnon Romano Prouinciali noſtro, qui & rumore, & ſtrepitu, & vi corpori illata, ab extaſi eam reuocare non valuerunt; & glorificantes Deum,

qui in Seruis suis semper est mirabilis, abierunt.

A Deipara virginali sacro lacte non semel potata, infantem Iesum in sacra hostia visibiliter adorauit: & ab Angelo Custode ad orandum excitata, eiusdem sacro consortio visibiliter consolata est. Innumeris propterea dæmonum insidijs impetita, ad sponsum suum Iesum Christum assiduis orationibus confugiebat, dicens cum Psalmista: *In Domino sperans non infirmabor*.

Erga S. Philippum Nerium maximo charitatis vinculo affecta, eundem in spiritu visitauit, se se vicaria relatione per sacra colloquia recreantes, vt Baccius in eiusdem Sancti vita refert, & ad eundem Sanctum talem direxit epistolam consolatoriam.

IESVS MARIA.

IO mi mortifico, quando penso, che lei così di continuo occupata in tante gran cose per gloria di Dio, si metta à scriuere à me, che sono vna vil feminuccia, e vna miserabil peccatrice; Dio *la riconosca questa gran carità che mi fà. Domandai al Signore di poterlo seruire sana nel corpo in questa quadragesima, mi concesse la gratia, che subito mi si partì ogni male, ma non mi par di meritare, poiche non hò poi fatto nulla; hò applicato nondimeno à lei la parte d'ogni cosa che io mi faccia, & hò pregato S. D. Maestà, che la rendesse, e mantenesse sana, perche la S. Chiesa hà troppo necessità di lei, sia contenta lei di pregare per me Giesù, che non sieno gettate per mia colpa tante gratie, che mi fà, à ogn'hora. viua pur'allegra del suo fine, poiche à vn Seruo così fedele, come è stata lei tutto il tempo della sua vita, non potrà Dio ch'è giu-*

giustissimo, negarli il premio del Paradiso. E *prostrata in terra li domando la sua S. Benedittione.*

Sua indegna figlia

Sor Catarina peccatrice à piè di Giesù. Adio.

Tandem multis cumulata meritis, & gratijs Catherina, Spiritu prophetico, ac miraculis, in vita, & morte clara, post susceptum in sacra Eucharistia dilectum sponsum, in cælum euolauit ipso Beatiss. Virginis Purificationis die Februarij 2. anno 1589. de cuius Beatificatione in Sacra Rituum Congregatione agitur, ex qua sequentia decreta emanarunt vsque in presentem diem, ex Regestis illius fideliter excripta.

Catharinæ de Ricccijs Monialis professæ in Monasterio S. Vincentij de Prato Ord. S. Dominici. Florentina, seu Pistorien.

Florentina, seu Pistorien.

In causa canonizationis Seruæ Dei Sororis Catharinæ de Riccijs Monialis professæ in Monasterio S. Vincentij de Prato Pistorien. diæcesis Ord. S. Dominici Congregatio Sac. Rituum Illustriss. Dom. Card. Matteo referente, censuit causam in tali statu esse, vt si Sanctiss. D. N. placuerit, possit de more committi aliquibus Auditoribus Rotæ ad effectum vt possit procedi ad vlteriora in dicta Canonizatione. die 30. martij 1621. & facta per nos de prædictis relatione Sanctiss. Dom. Nostro in Consistorio secreto sub die 19. Aprilis 1621. Sanctitas sua annuit, & mandauit expediri supplicationem, seu commissionem in forma, ad effectum vt supra fol. 473.

Florentina.

Dato dubio super validate processuum Ancillæ Dei Catharinæ de Riccijs, & ad hoc citato, & intimato Promotore Fidei, ad relationem Illustriss. S. Georgij, S. Congregatio censuit constare de validitate processus. Die 19. *Ianuarij* 1630. *fol.* 22.

Florentina

Ser. *Dei Catharinæ de Riccijs.*

Supplicatum fuit in hac causa pro habendo Ponente, & Sac. Congregatio iuxta ordinem Turni commisit Eminentiss. & Reuerendiss. D. Card. Pallotto, qui ser. ser. procedat. Die 21. *Febr.* 1643. *fol.* 195.

Florentina

Supplicem libellum à Legato Etrusco Sanctiss. porrectum pro Beatificatione Seruæ Dei Sororis Catharinæ Ricciæ ad Sac. Rituum Congregationem demandatum. Eadem Sac. Congregatio respondit, vt informetur de statu causæ. Die 7. *Octob.* 1645. *fol.* 43.

De prædicta Sorore Catharina de Riccijs adest Regestum factum in Rota; etsi non reperiretur in Archiuio, est videndum in lib. Notarij Sac. Congregationis processuum accomodatorum partibus ad effectum videndi, vbi erit quietantia; vel erit apud eundem Notarium.

In hoc statu est hoc anno 1670. causa Beatificationis huius Seruæ Dei Sororis Catharinæ de Riccijs in Sacra Rituum Congregatione.

Columba Reatina.

APud Reate Columba, Reatina dicta, ortum habuit die 2. Febr. Purificationi B. Virginis sacra anno 1467. cui Columbæ nomen à parentibus datum est; & cum sacro baptismali lauacro ablueretur adfuit è cœlo nitidissima columba, quæ per Ecclesiam volitans, tandem super infantulam descendit, quieuit, & abijt, quòd factum adstantibus admirationem maximam attulit. Decennis virginitatem suam cœlesti Agno Virginum sponso vouit. Multis propterea à parentibus molestijs vexata, qui terreni sponso illam iungendam decreuerant, in assumpto virginitatis seruandæ voto perseuerans, tandem Dominicanum Tertiariarum nostrarum habitum à F. Thoma de Fulgineo Priore Reatino petijt iteratis vicibus, & obtinuit Dominica Palmarum labentis anni 1488. ætatis suæ 19. Sororum Tertiariarum nostrarum Priorissa adstante.

Sacro Religionis habitu induta Columba, & cælesti rore perfusa miros fecit in virtutibus progressus: maxima enim erat in illa humilitas, modestia, abstinentia, charitas. A Spiritu Sancto ad maiora vocata, patriam deserens, Perusiũ petijt, vbi à ciuibus illis, quibus Columbæ sanctitas innotuerat, benignè suscepta, ibi pedem fixit, Sororum Monasterium fundatura.

Anno igitur Dom. 1490. ætatis suæ 23. die Pentecostes solemnem professionem in manus F. Stephani de Vio proprij Confessarii, ac Supprioris conuentus nostri eiusdem Ciuitatis in publica Ecclesia post decantatas vesperas, adstante nobili ciuium corona, maxima spiritus exultatione emisit, cuius exemplo, atque sanctitate permotæ nobilium puellæ certatim se illi in via Dei dirigendas tradebant. Quibus cognitis à Perusinis ciuibus, cogitauère illi de nouo monasterio fundando, quòd & præstitum est sub nomine S. Catharinæ Senen. an. 1493. Februarii 22. die, Priore nostro S Domi-

mi-

minici cum Patribus adstante, ipsaque Serua Dei Columba primo lapide imponente. Terminato Monasterii ædificio, in illud ingressa, nobili quinquaginta Sororum corona sociata, ieiuniis, vigiliis, abstinentiis, ciliciis, ac corporis sui lanienæ ex corde addicta, ac propterea à malignis spiritibus multipliciter vexata, crebris diuinis reuelationibus à cœlesti sponso meruit recreari.

His Pontifici Max. Alexandro VI. nunciatis, cum Perusium venisset ille cum Romana curia an. 1495. in S. Dominici templum nostrum cum Cardinalibus ingressus, post visitatum diuinissimum Sacramentum, ac veneratam Beatissimam Virginem, Columbam ad se acersiri voluit, quæ ad Pontificium tronum adducta, atque prouoluta sacris pedibus, statim in extasim rapta, nec verbum quidem protulit: & quasi à graui somno post tempus expergefacta, vt surgeret iussa, interrogata est à Pontifice de pluribus; quibus satisfactura cum responderet Pontifici Max. Columba, in extasim iterum rapta est: & mirabundus Alexander abijt, laudans Dominum, qui in seruis suis semper mirabilia operatur.

Tandem cum Columba Ancilla Christi bonum certamen certasset, cursum consummasset, fidem seruasset, repositam sibi coram perceptura euolauit in cœlum, in vita, & post mortem miraculis clara die 20. maij anno 1501. de cuius Beatificatione in Sacra Rituum Congregatione agitur, & causa ad hunc terminum perducta est, talibus emanatis decretis.

Columbæ Monialis Ordinis Prædicat. Reatina, seu Perusina Perusina.

Processus exhibitus super Sanctitate, & miraculis auctoritate ordinaria fabricatus Sororis Columbæ Ord. S. Dominici Perusinæ fuit commissus Illustriss. Cæsarino die 4. Maij 1630. fol. 65.

Reatina, seu Perusina.

Eminentiss. Cesarino *referente processum auctoritate ordinaria fabricatum super* Sanctitate *Ancillæ Dei* Columbæ *Ord. Predicat. pro resolutione an concedi debeant Remissoriales auctoritate Apostolica;* Sacra Congregatio *censuit concedendas in forma. Die* 10. *Septemb.* 1630. *fol.* 104.

Die Sabbathi 22. *Maij* 1632.

Fuit Consistorium publicum in Monte Quirinali de mane pro habendo pileo rubeo ab Eminentiss. & Reuerendiss. Card. de Arac, in quo ex Aduocatis Sac. *Consistorialis Aulæ D. Montecatinus Ferrarien. orationem habuit circa virtutes in genere* Seruæ *Dei Columbæ* Reatinæ, *instans signari commissionem, & mandari procedi ad vlteriora pro obtinenda canonizatione dictæ Ancillæ* Dei: *& ego Iulius Rospigliosus* Sac. *Rituum Congregat. à secretis prima vice interfui cum exemplari orationis habitæ, consignato mihi à Reuerendiss. D. Tegrimio* Episcopo *Assisinaten. ante discessum ad* Ecclesiam *suam Assisinaten. Qua peracta* Sanctiss. D.N. *respondit. Audiat Rituum Congregatio, & referat fol.* 28.

Hęc ex Regest. eiusdem Sac. Congregat. eruta sunt.

TITVLVS III.

De Sanguine Laureatis.

NOn defuèrunt ex Romanæ Prouinciæ inclitis Patribus qui Christianam disciplinam sanguine suo sanxère; primusque ex illis emicat F. Andreas Cattranus de Perusio, qui in patria ad Ordinem receptus, ibique & Lector & Prior, diuini verbi præcò famosus effectus est; cœterùm ne dum alijs prædicabat ipse reprobus efficeretur, quadragesimali tem-

tempore solo pane, & atqua vsus, cilicio corpus suum in seruitutem redigebat. Salutis animarum sitientissimus, sub Bonifacio VIII. in Tartariam profectus ad Infideles, ac Barbaras nationes, apud Caphà diu in gentium conuersione permanens, eorum complures ad veritatis agnitionem perduxit. Quare ad mortem damnatus, dum lictor caput illius esset obtruncaturus, rogauit illum Andreas vt se Deum tantisper præcari sineret, & dum alta voce, maximaque spiritus exultatione canticum *Te Deum laudamus* cantaret, capite abscisso, in cœlum euolauit anno 1300. cælestibus luminaribus super insepultum cadauer emicantibus. *Ex Plodio, & Razio*.

FR. Angelus Orsucius Lucensis & ipse sanguine suo Christianā disciplinā sanxit in Iappone lento igne consumptus, dum *Te Deum laudamus* cum socijs alta voce cantaret die 10. Septemb. an. 1622. de quo supra fol. 115. cum de Lucen. Conuentu tractauimus.

Agitur de causa Beatificationis huius Serui Dei in Congregatione Sacrorum Rituum, quæ ad hunc terminum deuenit.

Iapponen.

Quamuis decretis editis iussu fæl. rec. Vrb. VIII. lib. pag. 27. expresse prohibitum fuerit Congregationi Sac. Rituum ne deinceps procedat in causis Seruorum Dei ad effectū Canonizationis, seu Beatificationis, aut Declarationis martyrij, nisi lapsis quinquaginta annis ab eorum obitu; quin etiam illis lapsis vetuit agi de similibus processibus, tam factis, quàm faciendis nisi habita prius, & expressa obtenta licentia à Sanctiss. Pontifice: Sanctissimus tamen D. N. Clemens Papa IX. ex speciali gratia, & expressè derogando præfatis decretis indulsit, & concessit, vt in causa declarationis asserti Martyrij Seruorum Dei Angeli Orsucci Ord.

Præ-

Prædicatorum, Petri de Auila Ord. Min. S. Francisci, Petri de Zuniga Ord. Heremit. S. Augustini, & Caroli Spinolæ Societatis Iesu, & Socioru m, & aliorum respectiuè, tam eorundem Ordinum, quàm etiam sæcularium, qui pro fide Catholica in Iapponia interempti dicuntur, & super quorum asserto Martyrio in specie confecti fuerunt tres processus auctoritate Apost. videlicet Chinensis, Manilienfis, & Iapponensis, quorum validitas discussa in Congregatione Sacrorum Rituũ, habita die 21. mensis Aprilis an. 1668. approbata fuit, facto tamen verbo cum Sanctissimo pro sanatione cuiuscumque defectus Iurisdictionis, tam propter obitum Episcoporum in Remissionalibus deputatorum, quàm examen testium vt plurimum examinatorum super articulis & notulis datis per Procuratores in partibus, non autem super contentis, & insertis in dictis litteris Remissorialibus, & ad dictamen Notariorum, cui decreto Sanctitas sua benignè annuit, & sanauit die 1. Maij eiusdem anni 1668. Procedatur vlterius in discussione articuli releuantiæ contentorum in prædictis tribus processibus dumtaxat, & si nondum elapsi sint anni 50. à die obitus ferè omnium Seruorum Dei in iisdem adductorum, seu maioris partis eorundem, ita vt expressa derogatio decreti huiusmodi, ac facultas procedendi ad discussionem articuli releuantis vt supra, intelligatur concessa omnibus, & singulis prædicta derogatione indigentibus, & super quorum assertis martyrio, & miraculis ab iisdem patratis, probationes receptæ fuerunt in prædictis tribus processibus, ac etiam in nouissimo peracto in Vrbe super assertis miraculis intercessione dicti Serui Dei Caroli Spinolæ ab Omnipot. Deo patratis, non obstan. prædi-

ctis decretis fæl. rec. Vrbani VIII. *cæterisque quibuscumque in contrar. facien. omnib. Hac die* 6. Iunij 1669. *fol.* 53.

Hæc ex Regestis Sac. Congregat. eruta sunt.

FR. Antoninus de Riuolo Pedemõtanus; ex Conuentu tamen S. Marci de Florentia, à S. Antonino ibidẽ Priore ad Ordinem receptus, cum studiorum causa in Siciliam tenderet, à piratis captus, atque Tunetum perductus, à catholica fide defecit, Deo, cuius iudicia inscrutabilia sunt, ita permittente. At nunciata illi prætiosa S. Antonini Patris sui morte, ac miraculis, tactus dolore cordis intrinsecus adijt Tirannum Principem, & lachrymis proprium facinus execrando, se paratum esse ad mortem subeundam, vt sanguine suo maculam criminis abstergeret protestatus est. Quare cum nec blanditijs, nec minis perterrefactus à libera Iesu Christi confessione dimoueri posset, coram eodem tiranno lapidibus obrutus, euolauit in cœlum anno 1459. de quo supra fol. 170.

SED & noster Conuentus S. Mariæ super Mineruam vnum ex filiis suis sacro Martyrũ choro sociauit F. Franciscum Donatum Romanum, qui in eodem venerando Religionis nostræ habitu die 2. Decemb. an. 1612. vestitus, ita pietati, ac sacrorum librorum studio se dedit, vt vigesimum annum nondum egressus tria opuscula in Hebraica lingua euulgauerit, vnum de Accentibus, aliud de Abbreuiaturis Hæbraicæ linguæ, & tertium de Doctrina Christiana, quæ in vnum collecta *Poma Aurea* inscripsit.

Vix sacerdos effectus, & 26. annum ingressus, salutis animarum sitientissimus petiit, & obtinuit à Sacra Congregatione de Propaganda fide Apostolicus Missionarius ad infidelium partes mitti. Ad Orientales Indos propterea profectus, apud Goam primò mansit, deinde ad Coccinum iuit, postmodum ad Serram de Malaccari, ex qua eiectus, Malaccam versus nauigio vectus singulari præsidio fuit suis orationibus, atque exhortationibus Lusitanis in bello contra

Re-

Regem de Acem. Inde digressus perrexit ad Solor, & apud Sicam mansit, iterumque assumpto itinere in Chinam transiuit, & apud Macassor fixit pedem, in quibus locis & Christianitates (vt vocant) fundauit, & infideles multos sacro lauacro regeneratos, Ecclesiæ filios dedit. Cum verò ad Ceilam perueniſſet, indè Goam reuersurus, nauigium conscendit, & tandem post tribulationes multas, & malas Goam ingressus est, ex qua Ciuitate Cardinali S. Onufrii, Vrbani VIII. Germano fratri, vni ex purpuratis Patribus Congregationis de Propaganda fide talem scripsit epistolam.

Eminentiss. e Reuerendiss. Signore.

Dalle lettere passate hauerà V. E. hauto notitia de progressi, che con il fauor Diuino hò fatto in queste parti dell'Indie Orientali, oue fui mandato gl'anni passati da Sua Santità, e dalla S. Congregatione de Propaganda fide. Li pericoli, trauagli, e tribulationi, che hò passati in queste parti per far l'vfficio mio, sono innumerabili; tuttauia essendo l'intento, è l'opera tutta indrizzata al seruitio di Dio, gl'hò sopportati con patienza sapendo che: Id quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, *come dice l'Apostolo. Supplico* V. *E. ricordarsi di me nelle sue sante orationi, e si compiaccia notificare à Sua Santità, che io l'hò seruita fin hora, e seruo, è difendo la sua auttorità con tutte le forze* Aduersus Mundi Principes, & Potestates tenebrarum harum. *Conche fò fine bagiandoli diuotamente le sacre vesti, e pregandoli dal cielo colma felicità. Di Goa li 3. Febraro 1634.*

Di V. Em. Reuerendiss.

Humiliss. & Deuotiss. Seruo
Fra Francesco Donati de Predicatori.

Cum verò ſequenti anno in Perſidem profecturus, & inde Romam reuerſurus nauigium conſcendiſſet, à Mauris prope Barcellor captus, adduci non potuit, vt abnegatâ catholica fide Mahometicę ſectę adhęreret. Quare nauigii dux hanc illi dedit optionem, vt aut catholicam fidem deteſtaretur, aut gladio perireret, qui alta voce Ieſum Chriſtum verum Deum dicens, truncato capite in cælum euolaui primis diebus menſis Aprilis an. 1635. cuius vitam, geſta, ac mortem prætioſam euulgauit in Vrbe anno 1669. Fr. Ioſeph de Sancta Maria Biſsinianen. Epiſcopus, ex qua hæc compendioſa enarratione ſcripſimus.



CA-

CAPVT V.

DE VIRIS ILLVSTRIBVS Romanæ Prouinciæ.

PRODIERVNT ex hac nobilissima Prouincia Viri præstantissimi, qui Sacra purpura, Infulis Lemniscis, Thiaris, Legationibus, atque alijs Ecclesiasticis præfecturis Ordinem nostrum, nec non Catholicam Ecclesiam plurimum illustrarunt, quos in hoc Capite referemus.

TITVLVS I.

De S. R. E. Cardinalibus.

OCTO S.R.E. purpurati Patres ex nostra Romana Prouincia prodierunt, suntque sequentes.

F. Hanibaldus de Anibalis Romanus ex primaria nobilitate in S. Sabinæ cœnobio sacro Religionis habitu donatus, post peractum Parisijs studiorum cursum, Romæ sententias docuit. Sacri Palatij Magister ab Innocentio IV. institutus, cum in eo munere obeundo se bonorum omnium præberet exem-

exemplum, ab Vrbano IV. in quatuor Aduentus temporibus anni 1263. Viterbii S. R. E. Cardinalis creatur sub tit. SS. XII. Apostolorum, atq; cum Ricardo de Anibalis, Ioanne Caietano de Vrsinis, & Iacobo Sabello in Siciliam Legatus de Latere, vt Carolum Regem sacro diademate redimiret, mittitur. Angelico Doctori summoperè charus, sub Gregorio x. in Vrbe Veteri decessit anno 1272. ibidem sepultura electa.

F. Latinus Malabranca de Vrsinis Nicolai Papæ III. ex Sorore Nepos, in S. Sabinæ cœnobio & ipse ad Ordinem receptus, Parisium studiorum causa missus, in illis ita excelluit, vt doctoratus lauream in sacra Theologia, Ciuilique iure meritò sit consequutus. Ab Auunculo suo Nicolao in S.R.E. Cardinalium sacrum Collegium cooptatus, pluribus Legationibus pro Dei Ecclesia functus, Florentiæ primum lapidem in fundatione nobilis templi S. Mariæ Nouellæ iecit. Vt S. Celestinus V. D. Petri cathedram conscenderet author fuit, sub quo decessit, vt inquit S. Antonius 3. p. historiali tit. 23. miraculorum gloria coruscans Perusij 4. Id. Augusti anno 1294. corpore ad Mineruam delato.

F. Matthæus de Vrsinis Romanus nostro Religionis habitu donatus, sacrisque litteris imbutus, Romæ, Parisiis, Bononiæ, ac Florentiæ docuit. Romanę Prouinciæ Prior Prouincialis electus, Generali Capitolo apud Burdegalam an. 1322. interfuit. A S. P. Q. R. ad Ioannem xxii. Orator missus, Agrigentinus Episcopus primò, Sipontinus Archiep. postmodum ab eodem Pont. Max. ac tandem S. R. E. Cardinalis sub Tit. SS. Ioannis, & Pauli creatus, Auenione carnis sarcinam deposuit 15. Kal. Septemb. an. 1340. corpore in Vrbem translato, atque in eodem sepulcro cum Card. Latino in Minerua tumulato. Fuit & Panormitanę Ecclesiæ Administrator.

F. Philippus Gezza Romanus, dum Pœnitentiarii Apostolici onus sustineret apud Vaticanam Basilicam, ab Vrbano Papa IV. vna cum F. Nicolao Moschino de Caracciolis,

in

in Neapolitano Regno Inquisitore,aliisque pluribus, S R.E. Cardinalis sub tit. S. Susannæ renunciatus 14. Kal. Octob. an. 1378. eiusdem Pontificis partes infatigabili studio contra Clementem VII. Pseudopontificem sustinuit, populosq; in eius obedientia confirmauit; & dum Tiburtinam regeret Ecclesiam, morte sublatus, apud S. Sabinam sepultus est anno 1388.

F. Ioannes Dominici Florentinus, & ipse vitæ sanctitate, ac litteris Romanam Prouinciam illustrauit; qui humili licet loco natus,ita virtutibus claruit,vt Romanæ Prouinciæ Prouincialis Prior electus fuerit;& dũ conuentui S Mariȩ Nouellæ Prior præsideret, à Florentina Repub. ad Gregorium XII. Orator missus,ab eodem Pont. Max. S.R.E. Card.creatus est. Pluribus peractis trepidis Legationibus pro pace Ecclesiæ reddenda, tandem voti compos effectus est in Constantien. concilio, in quo electus est Pontifex Martinus V. Imperatore instante in Hungariam Legatus missus, ibidem diem extremum clausit,apud monacos S. Pauli primi Eremitæ sepultus anno 1420.

F. Michael Bonellus Pij V. Pontificis Sanctissimi ex Sorore pronepos in nostro Mineruitano cœnobio ad Ordinem receptus, primisque religionis rudimentis inbutus,dum Perusij Sacris Theologiæ studijs operam daret, de Auunculi promotione ad Apostolicam Sedem monitus est, à quo ad Sacram Purpuram sub tit. S. Mariæ super Mineruam 20. Februarij anno 1566. vocatus, defuncto Vitellotio Vitellio, S. R. E. Camerarius nominatus est, quo munere libens, & volens se exoluit in subsidium sacri belli contra Turcas. Hierosolymitanæ Religionis Magnus in Vrbe Prior postmodum renunciatus, Sixti V. Papalis Vicarius cum omnimoda auctoritate effectus est. Episcopus Card. Albanen. promotus, anno ætatis suæ 57. ad patres appositus, in Mineruа tumulum recepit 4. Kal. April. 1598.

Sed & alter F. Michael ex Mazarina familia, in eodem nostro Mineruę cœnobio Dominicana toga indutus,præfati

Michaelis

Michaelis Bonelli Card. affinis, in cuius memoriam Michaelis nomen & ipse in Ordine accepit, Sacram Purpuram in Romanam Prouinciam inuexit, ab Innocentio Papa x. sub tit. S. Cœciliæ Cardinalis creatus die 8. Octob. anno 1647. qui ex Magisterio sacri Palatij ad Aquen. Archiepiscopatum assumptus, post consequtam purpuram, in Cathalonia Prorex, quæ tunc temporis sub Galliæ Regis ditione erat, effectus, dum in Vrbem reuersus, Oratoris Ludouici xiv. apud Apostolicam Sedem munus esset obiturus, ex aeris immutatione, immatura morte, maximo Ordinis nostri damno, sublatus est Kal. Septemb. anno ætatis suæ 43. salutis verò humanæ 1648. decimo post assumptam purpuram transacto mense, in Choro Mineruæ tumulatus.

Plura de his Cardinalibus in nostro Sacro Theatro Dominicano retulimus, ad quod lectorem remittimus.

TITVLVS II.

De Patriarchis.

Patriarchalibus Ecclesijs filios suos præficiendos Romana Prouincia Apostolicæ Sedi obtulit, viros inclitos, tantoque munere dignos, quos recensemus.

F. Thomas Agni de Leontino primus inter illos effulget, qui dum Prioris præfecturam in Neapolitano S. Dominici cœnobio obtineret, Angelicum præceptorem, Diuinæ voluntatis interpretem sacro Dominicano habitu induit, eiusq; exigentibus meritis, ex Archiepiscopali Cusentina Ecclesia ad Patriarchalem Hierosolymitanam translatus est 11. Kal. Maij an. 1272. à Gregorio Papa x. Decessit 4. sui regiminis anno 1276.

F. Paulus de Pilastris cœnobij S. Mariæ Nouellæ de Florentia

rentia nobilis alumnus, theologus, ac prædicator famosus, à Clemente Papa V. ad Card. de Prato instantiam Gradensis Patriarcha creatus 5. April. anno 1313. ab eodem Pont. Max. pallio donatus est: pergensque ad sibi commissam sponsam, paucos post dies ibidem in pace quieuit.

F. Oddo de Sala nobilis Pisanus, Pisani conuentus alumnus post consequtos Teralben. Polen. Arboren. atque Pisanam Ecclesias à Ioanne XXII. Alexandrinus Patriarcha anno 1322. renunciatus est, effectus postmodum Cassinen. Episcopus & Abas. Vbi decessit 6. Nouemb. sequentis anni.

Sed & hoc loco dignus censendus est F. Hiacinthus Subianus Aretini cœnobij filius, qui ab Innocentio X. Smirnen. Archiep. creatus, Patriarchali Constantinopolitanæ Ecclesiæ datus est Vicarius, Constantinopolimque petens, in nostra Ecclesia de Pera Ordinationes publicas non semel habuit; quod cum Græcorum schismaticorum Patriarchæ nunciatum fuisset, re ad Turcharum Magnum tyrannum delata, vitæ periculum fuga euasit. Decessit in Mineruæ 15. Octob. an. 1656.

TITVLVS III.

De *Archiepiscopis.*

PLures quoque Archiepiscopalibus Ecclesiis præficiendos Pastores obtulit Romana Prouincia, ex quibus sequentes recensemus.

F. Ambrosius Catherinus Politus Senensis cœnobij Sancti Marci de Florentia alumnus ex Minoren. Ecclesia, sub cuius titulo Tridentino Concilio interfuerat, à Iulio III. ad Compsanum Archiepiscopatum transfertur 3. Iunij 1552. At cum sequenti anno in Vrbem reuerteretur, sacra purpura (vt inquiunt scriptores) cohonestandus, apoplexiæ morbo percussus, Neapoli interijt 8. Nouemb. 1553.

F. Andreas de Antonio Ghezio Burghesio Senen. prædicator peregregius à Benedicto Papa XI. ex Ord. nostro assumpto Antibaren. Archiepiscopus creatur an. 1303. Apostolicusque Nuncius ad Italiæ Dinastas mittitur: quo autem tempore decesserit, incertum nobis est.

F. Andreas Furnarius Iacobi Iudicis Pisarum nobilis filius, ad nostrum Pisanum conuentum confugiens Dominicana toga indutus est; verùm patre id indignè ferente, Venetias missus, in pietate ac litteris ita profecit, vt in Generali Capitulo Bononiensi fuerit Magistrali laurea cohonestatus an. 1408. & Thebanus Archiepiscopus eodem anno renunciatus florenti adhuc ætate à Gregorio XII. At cum sequenti anno ad commissum sibi gregem properaret, raptus est ex mortalium oculis.

F. Antonius Cipollonus Florentinus de Conuentu S. Mariæ Nouellæ, post consequtas, Fesulanam, Volateranam, atque Eginnen. Ecclesias, Turritanus Archiep. in Sardinia affectus est, in qua bonus Pastor decesit anno 1403.

F. Bartholomeus de Papazurris Romanus primò Teanen. deinde Theatinus Episcop. promouente Vrbano V. fit 12. Aug. an. 1362. Archiep. Patracen. in qua dignitate decessit tertio suæ promotionis anno.

F. Consilius Gattus Viterbiensis de conuentu Gradensi, cum fuisset Pœnitentiarius, & Capellanus Martini Papæ IV. à Bonifatio VIII. Arboren. Archiep. an. 1299. & sequenti, qui annus Iubilei fuit, ad Compsanam Archiepiscopalem Ecclesiam translatus est 7. Kal. Febr.

F. Dominicus de Florentia in Romana Prouincia Prouincialis ex Albien. Ecclesia Episcopali ad Archiepiscopalem Tolosanam promotus est à Clemente in sua obedientia dicto VII. Obijt 17. Maij 1421. sub Martino V. cuius fuit elector.

F. Dominicus de Senis Calaritanus Archiepiscopus in Sardinia creatur, ex conuentu Senen. S. Dominici assumptus circa annum 1250.

F. Do-

F. Dominicus de Marinis Romanus de Conuentu Mineruæ vir doctus, pius, & cordatus, in eodem Conuentu Prior, postmodum Prouincialis Terræ Sanctæ sub Mag. Ord. Nicolao Rodulphio, demum Vicarius Generalis sub Thoma Turco, ab Innocentio x Auenionen. Archiep. renunciatus est 18. Octob. an. 1648. Vixit in sua Ecclesia pastor optimus vsque ad annum 1669. quo sibi creditarum ouium communi luctu perrexit ad Christum ipso die solemnitatis Corporis Christi 20. Iunij. Vir verè Apostolicus, atque in pauperes maximè misericors; ex cuius obitu consequtus est noster conuentus Mineruæ Bibliothecam, & numero, & qualitate librorum spectabilem.

F. Franciscus de Perusio à Io: xxii. Sultanien. Archiep. creatus est apud Septentrionalles populos, cui septem alios Fratres nostros Episcopos dedit socios in Euangelij ministerio. Subscripsit exemplari bullæ canonizationis S. Thomæ Aquinatis anno 1323. quod vsque in præsentem diem in Tiburtino conuentu custoditur.

F. Gentilis de Roma sanguinis, ac doctrinæ præstantia clarus, à Bonifacio VIII. Ecclesiarum Acheruntin. & Materan. ad inuicem vnitarum Archiepiscopus deligitur 3. Non. Ianuarij anno Iubilei 1300. ex Catanen. translatus. Decessit tertio sui regiminis anno 1303.

F. Guidó Brunellus de conuentu S. Dominici de Cortonio deligitur Nicosien. Archiep. à Clemenle VIII. circa annum 1530.

F. Gentilis de Roma natalium claritate spectabilis à Bonifatio VIII. Catanen. Episc. creatus anno 1296. & ab eodem Pont. Max. Ecclesias Acheruntinen. & Materan. regendas suscepit 3. Non. Ianuarij anno 1300. obijt 1303.

F. Henricus Filangerius Neapoli loco nobili natus, ex Romana Prouincia ab Innocentio IV. Baren. Archiepiscopatu decoratus kalendis Maij anno 1252. Vitam cum morte commutauit Neapoli Octob. 11. an. 1258.

F. Hiacintus Subianus Aretinus Edessen. Archiepiscopus

ab Vrbano VIII. an. 1640. creatus, ad Smyrnen. Archiep. ſedem translatus eſt ab Innocentio X. deceſſit Romæ in conuentu Mineruæ 15. Octob. anno 1656.

F. Iacobus Sacræ Theologiæ Lector in Vrbeuetano conuentu creatur ab Vrbano IV. Tranen. Archiep. anno 1264. deceſſit 1268.

F. Iacobus de Viterbio ex Procuratore Ordinis aſſumitur ad Tarentinam Archiepiſcopalem ſedem anno 1270. Obijt tertio ſui regiminis anno.

F. Iacobus Campana de Conuentu S. Dominici Senarum factus eſt Tranen. Archiep. ab Vrbano V. Non. Nouemb. anno 1370. cui Eccleſiæ, vitæ ſanctitate conſpicuus, vſque ad annum 1378. præfuit, quo ad Lunen. translatus eſt.

F. Iacobus Tura Campanæ nepos, ex patrui ceſſione, efficitur Tranen. Archiep. poſtquam ille ad Lunen. tranſiit; at breui tempore eidem præfuit, multis perturbationibus afflictus à Matthæo Pſeudoarchiep. ab Antipapa Clemente intruſo.

F. Iacobus de Gualterottis nobilis Piſanus, Ordinem in patria ingreſſus inuitis parentibus, perſequtiones non modicas ab illis paſſus vt eum deſereret, conſtantiſſimè renuit. Ab Vrbano V. Magiſtrales honores, à Gregorio XI. Turritanam Eccleſiam conſequtus circa annũ 1375. in ea deceſsit 1379.

F. Iacobus Petri de Piſis humilibus natalibus ortus, ita virtutibus enituit, vt ab Vrbano VI. poſt Gualterottum Turritanus Archiep. conſtitutus ſit. At longo, lætalique morbo oppreſſus, tandem quieuit in pace Piſis, apud noſtros tumulatus.

F. Io: de Polo Piſis orbi, atque Ordini datus, Patriæ Archiepiſcopus Idib. Febr. an. 1299. creatus, tredecim annos & vltra Piſanæ Eccleſiæ Sacrum ius dixit, translatus deinde à Clemente V. ad Nicoſien. Archiepiſcopalem ſedem in Cypro 6. Id. Maij an. 1312.

F. Io: Columna Romanus ſanguinis præſtantia clarus, ab Alexandro IV. Meſſanen. Eccleſiæ Paſtor præfectus an. 1255.

ab

ab Vrbano IV. & suus in Vrbe Vicarius, & Nicosien. Archiepiscopus delectus est an. 1263.

F. Io: Dominici Florentinus de Conuentu S. Mariæ Nouellæ Ragusinus Archiep. à Gregorio XII. creatur 4. kal. Augusti an. 1406. & S. R. E. Cardinalis, de quo inter Cardd.

F. Laurentius nostri Card. Anibaldensis Cappellanus à Clemente IV. Acheruntinus, & Materanus Archiep. efficitur 8. Non. April. an. 1268. decessit 15. Nouemb. 1276.

F. Laurentius Blondus de Tuderto à Nicolao Papa IV. Compsanus Archiepiscopus constitutus est Idib. Iunij anno 1289. Præfuit suæ Ecclesiæ vir doctus atque pius annis quatuor, ad patres appositus.

F. Matthæus Vrsinus Romanus natalium splendore conspicuus ex Romanæ Prouinciæ Prouinciali Agrigentinus Pastor effectus, à S. P. Q. Rom. Auenionem ad Ioannem XXII. Orator missus est; vt in Vrbe Apostolicam Sedem restitueret. Ab eodem postmodum Pont. Max. Sipontinus Archiepiscopus 22. April. an. 1327. renunciatus, tandem, Archiepiscopali Panormitanæ Ecclesię præfectus fuit ab eodem Ioanne vltimo sui pontificatus anno, qui fuit reparati obis 1334. quam transacto secundo anno dimisit, S. R. E. Cardinalis creatus.

F. Matthæus de Empoli ex cœnobio S. Mariæ Nouellæ Rhodiensis Archiepiscopus creatus, decessit an. 1400.

F. Michael Mazarinus conuentus Mineruæ nobile germen, cum esset Magister Sacri Palatij, ab Innocentio X. Aquensis Archiep. creatus est an. 1645. & mense Iulio munere consecrationis ac pallio suscepto, in suam Ecclesiam properauit, quam ingressus est 30. Octob. Decessit S. R. E. Cardinalis 1. Septemb. an. 1648. in Vrbe.

F. Nicolaus de Setia vir doctissimus à Clemente V. Iadrensis Archiep. an. 1312. creatus, pluribus annis sibi commissam Ecclesiam integerrimè gubernauit, & debitum humanæ fragilitatis & ipse persoluit.

F. Oddo de Sala Poisanus, natalium splendore clarus, in

patria

patria ad Ordinem receptus, ex Episcopali Polensi Sede ad Metropolitanam Arboren. in Sardinia à Clemente v. transfertur an. 1308. 3. kal. April. deinde ab eodem Pont. Max. fit Archiep. Pisanus 6. Id. Maij an. 1312. Quieuit in pace an. 1323. in Monte Cassino, vbi abbas fuerat institutus.

F. Petrus Hetruscus Ragusinus Archiepiscopus creatus est circa annum 1312. de quo nil aliud referunt Ordinis scriptores.

F. Philippus Strozius ex cœnobio S. Marci de Florentia sub Hieronymo Sauonarola ibidem Priore ad ordinem receptus 1494. quinque germanos fratres habuit in Religione Socios, omnes pietate, & litteris conspicuos, in Sancta Regulari obseruantia enutritos. Philippus verò Vicarius Generalis Ordinis ad Surrentinam Metropolim euectus est Archiep. à Clemente vii. Pont. 18. Aug. an. 1525. Variam deinde fortunam expertus, dimissa Ecclesia an. 1530. in Vrbe decessit 1545. Iulij 30. in nostra S. M. super Mineruam Ecclesia, in qua sepulturam elegerat, conditus.

F. Simon Saltarellus nobilibus ortus natalibus, sed virtutibus, ac doctrina nobilior, à Ioanne xxii. Pisanus Archiep. constitutus est 8. Id. Iunij an. 1323. ex Parmen. Ecclesia translatus, cum in cœnobio S. Mariæ Nouellæ ad Ordinem receptus, ibidem Prior & in Romana Prouincia Prouincialis euasisset Persequtiones non modicas à Bauaro expertus, ex sua Ecclesia exulare coactus est: tandemque Corbario Pseudo Pontifice in vincula coniecto, Pisas reuersus anno 1334. ibidem decessit octuagenarius die 24. Septemb. 1342. communibus sibi creditarum ouium lacrymis parentatus.

F. Stephanus de Magnateris in Etruria ortus, & educatus Archiepiscopalem Thebanam sedem conscendit circa annum 1300. vt testantur Ordinis scriptores.

F. Stephanus Dulcius Vrbeuetanus in conuentu Mineruæ ad Ordinem receptus, eidem prefuit Prior, quo munere expleto, à Paulo V. in officio examinandi promouendos ad Episcopales Ecclesias confirmatus, tandem an. 1609. Aprilis

6. Auc-

6. Auenionen. Archiepiſcopus creatus eſt, cui Eccleſiæ præfuit laudabiliter vſque ad annum 1624. quo vniuerſæ carnis ingreſſus eſt viam.

F. Thomas Agni de Leontino (de quo ſup. in Patriar.) cum eſſet vitæ ſanctitate ſpectabilis Bethlemitanam Eccleſiam regendam promeruit, ex qua ad Archiepiſcopalem Cuſentinam promotus eſt, à Clemente IV. an. 1268. quam cum annis quatuor ſanctiſſimè rexiſſet, Hieroſolymitanus Patriarcha creatus eſt à Gregorio x. an. 1272. 11. Kal. Maij.

TITVLVS IV.

De Epiſcopis.

F. Albertus de Terracina, ex Romana tamen Prouincia, qui apud Fundum Ordinis conuentum ædificauit, ademptum poſtea nobis ab Innocentio x. in ſuppreſsione paruorum conuentuum, an. 1653. à Nicolao IV. Fundanus Epiſc. creatus eſt an. 1289. & paulò poſt deceſsit.

F. Aldobrandinus de Caualcantibus nobilis Florentinus, in cœnobio S. Mariæ Nouellæ religionis habitu indutus, à Gregorio x. Vrbeuetanus Epiſcopus an. 1272. & ſequenti, in Vrbe, ac tota Apoſtolica ditione Papalis Vicarius, in Concilio Lugdunen. eodem Pont. Max occupato, creatur: qui donationem Eccleſiæ S. Mariæ ſuper Mineruam à monialibus Campi Martij nobis factam, confirmauit. Deceſsit in patria apud S. Mariam Nouellam ſepultura electa anno 1279.

F. Alexander Filodorus Tiphernas, in patria ad Ordinem receptus, græcæ, latinæque linguæ peritiſsimus, Tiphernas Epiſcopus à Paulo III. Martij 10. an. 1539. renunciatus fuit, qui, ſibi commiſſa Eccleſia annis quindecim probè adminiſtrata, clauſtralis vitæ deſiderio recaleſcens, dimiſſa illa, in

ſuum

ſuum dictæ Ciuitatis conuentum ſe receepit, vbi in domino quieuit.

F. Alexander de Franciſcis, genere hæbreus, in hæbraica lingua peritiſsimus, atque Mineruæ conuentu ad Ordinem receptus, vt tanquam alter Saulus in Hębreos ſacra prædicatione, inueheretur: cum eſſet Clementi VIII. acceptiſsimus, Foroliuien. Epiſcopus ab eodem creatus eſt 4. Maij an. 1594. quam Eccleſiam cum annis tribus optimè rexiſſet, illa dimiſſa, in Vrbem ſe recepit, vbi in Domino quieuit apud Mineruam tumulatus.

F. Ambroſius de Florentia ex conuentu Nouellæ, magni nominis prædicator, ac theologus, dum Vrbeuetano cœnobio Prior præſideret, à Clemente IV. anno 1265. Non. Octob. Ariminen. Epiſcopus creatur, quam Eccleſiam vſq; ad annum 1272. rexit, & in ſenectute bona obdormiuit in pace.

F. Andreas Iuſtinianus Ianuenſis, patriati ortus familia, de conuentu Mineruæ, poſt Rectoris Collegij Græcorum Vrbis; Examinatoris promouendorum ad Epiſcopales Eccleſias, atque Generalis Commiſſarij S. Inquiſitionis in Vrbe, peracta munia, efficitur Inſulanus Epiſcopus à Paulo V. Nouemb. 24. an. 1614. Deceſſit in ſua Eccleſia tertio ſui regiminis anno, qui fuit ſalutis humanæ 1617. Nouemb. 27.

F. Andreas de Piſis cum eſſet Sacri Palatij Magiſter, à Martino Papa V. cui acceptiſſimus erat, Surrinus Epiſcop. prid. kal. Martij 1429. renunciatus eſt, cumque annos tres commiſſo tibi gregi optimus Paſtor præfuiſſet, depoſita corporis ſarcina perrexit ad Chriſtum, in cathedrali conditus 1431.

F. Angelus Acciaiolus ex nobili familia Florentina ortus, Dominicanæ profeſſionis ſuſcepto habitu apud Nouellam, vix ſacerdos ordinatus, exigentibus ſuis virtutibus, à Ioanne XXII. an. 1328. Iunij 6. Id. Aquilanus Paſtor creatur, & poſt annos 4. ad Florentinam Eccleſiam regendam aſſumitur an. 1342. Iulij 6. kal. à Clemente Papa VI. quam etiam

ad

ad pedes Innocentij VI. dimisit an. 1355. ad Cassinen. translatus ab eodem Innocentio. Neapoli occubuit Magnus Cancellarius Regnorum vtriusq; Siciliæ à Ludouico Rege factus apud S. Dominicum solemni pompa parentatus anno 1357. mense Octobri.

F. Angelus Maidalchinus Viterbien. Querquensis cœnobij alumnus, ab Innocentio X. Aquinaten. Episcopus 15. Maij an. 1645. delectus est, quam Ecclesiam sequenti annò dimisit mense Octobri, ad illam S. Seuerini in Piceno ab eodem Pont. Max. translatus.

F. Angelus Cataneus Diacetus nobili loco Florentina in Vrbe natus, atque in Fesulano S. Dominici cœnobio Dominicana toga donatus, Fesulanam Ecclesiam regendam suscepit, Pastor Optimus, à Pio V. Pont. Sanctissimo, cui Angeli pietas, probitas, atque virtus innotuerant, an. 1566. Nouemb. 15. post varias in nostra Prouincia obitas præfecturas: & transactis annis quatuor, ad eiusdem Pont. Max. pedes dimissa Ecclesia, in Fesulanum S. Dominici cœnobium se recepit, expectans beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, quod illi contigit an. 1574. ibidem tumulatus.

F. Angelus de Portasolis Perusinus in patria ad Ordinem receptus Sulcitanen. Episcopus effectus, ad Grossetanum Sacerdotium translatus est à Ioanne XXII. an. 1330. 2. Id. Febr. Decessit in visitatione sibi commissi gregis an. 1334.

F. Antonius Cellius de Tuifa ex Conuentu Mineruæ, cum esset in Romana sapientia Sac. Theologiæ cathedraticus, ab Vrbano VIII. factus est Insulanen. Episcopus 6. Septemb. an. 1641. decessit in sua Ecclesia Pastor bonus, & doctus an. 1645. in Cathedrali conditus.

F. Antonius de Senis, conuentus S. Dominici dictæ Ciuitatis alumnus. Lunensem Ecclesiam regendam consequutus est, in qua decessit anno millesimo trecentesimo sexagesimo tertio.

F. Antonius de Roma Signinus Pastor effectus est à Boni-

facio Papa IX. an. 1496. II. Kal. Ianuarij, quam Ecclesiam rexit annos sex, ad illam S. Leonis in Calabria ab eodem Pont. Max. translatus 1402. & paulò post quieuit in Domino.

F. Archangelus Baldinus Florentinus verbi diuini preco celeberrimus in Nouella religiosa toga donatus, ab Vrbano VIII. Grauinen. Episcopus creatur 19. Iulij an. 1629. & post peractum quartum regiminis sibi creditæ Ecclesiæ annum obdormiuit in pace.

F. Arnulphus de Viterbio ab Innocentio IV. creatur Episcopus Humanaten. an. 1254. Maij 2. Id. cumque sibi creditam sponsam per annos 25. rexisset, Viterbij decessit 1279. in communi Fratrum ossuario apud S. Mariæ ad Gradus Ecclesiam sepulturæ datus.

F. Bartholomæus Dominici de Senis, Bononiæ publicus S. Theologiæ professor, in regulari obseruantia versatissimus, cum quo S. Catharina Senen. dulcia cœlestium archanorum colloquia frequentabat, ex Procuratore Ordinis Coronen. Episcopus factus est. Arimini diem extremum vidit 3. Iulij an. 1417. ætatis suæ 72.

F. Bartholomæus Lapatius de Vbertinis Florentinus vir præstantissimus, & doctissimus, in Sanctorum Patrum lectione versatissimus, atque græcæ linguæ peritissimus post Turrecrematam in MagisterioSacri Palatij dignus successor ab Eugenio IV. institutus, Florentino Concilio interfuit, ibique coram eodem Pont. Max. ac Patribus de processione Spiritus Sancti ità mirabiliter, atque egregiè cum Græcis disputauit, atque illos conuicit; vt Ioseph Patriarcha Constantinopolitanus eorum Dux, & antesignanus Catholicam veritatem de processione Spiritus Sancti à Patre, Filioque publicè sit amplexatus, in qua paulò post decessit, in hac nostra Ecclesia sepultura electa. Ab eodem Pont. Max. terminato Concilio Cortonen. Episcop. delectus an. 1440. post an. octo à Nicolao V. Apostolicus Nuncius in Hungariam, & Bohemiam directus est, sequentique anno 1449. Coronen.

nen. Episcopus in Græcia, vt Græcos Latinæ Ecclesiæ vnitos in fide constabiliret, creatus est. Perrexit Bartholomæus ad sibi creditam nouam sponsam, quam tandem mundanarum curarum pertesus ad Pontificis pedes liberè dimisit, Florentiam reuersurus, vbi Ecclesiæ S. Romuli Commendatarius effectus Spiritum creatori suo reddidit anno 1466. in nostra Ecclesia sepultus.

F. Benedictus Vallatus Romanus ab Vrbano v. Cortonen. Pastor creatus 10. Kal. Aug. an. 1364. decem & octo annos eidem Ecclesiæ præfuit, tandemque & ipse mortis iacula expertus est.

F. Benedictus de Paganottis cœnobij S. Mariæ Nouellæ filius vir laudabilis scientia, ac sacri verbi prædicatione, in hoc vno cunctandus, quod nostrum Sauonarolam cum socio degradauerit publicè Florentiæ, ab Innocentio viii. Nationen. Episcopus creatus vltima Febr. an. 14. decessit an. 1523. in Nouella tumulatus.

F. Bernardus del Nero, Simonis Patritij Florentini filius Leonis x. ex Sorore nepos, Fesulani cõuentus alumnus Bissinianen. Episcopus à Clemente viii. delectus est 27. Maij an. 1590. assumptoque ad summum Pontificatum Leone, Vrbeuetanus Episcopns fuit nominatus, at ipso defuncto, electoque Paulo v. remansit Bernardus in sua Bissianen. Ecclesia. Verum claustralis vitæ desiderio recalescens, dimissa Ecclesia, in suum Fesulanum conuentum se recepit, vbi in paupercula cella spiritum Deo reddidit 17. Kal. Aug. an. 1619. ibidem sepultus.

F. Bernardinus de Luca ex Buccaurata nobili familia à Leone Papa x. Octob. 16. an. 1521. Accien. Pastor renunciatus, viginti quatuor annos commisso sibi gregi sacrum ius dixit, tandemque propriæ quietis cupidus ad Pauli iii. pedes Ecclesiam dimisit an. 1545.

F. Branca de Vrbe, Tiburtinus Pastor creatus est à Benedicto xii. an. 1337. & paulò post decessit.

F. Cherubinus Malaspina de Conuentu Florentino S. Ma-

riæ Nouellæ ab Alexandro VII. constituitur Episcopus Burgi S. Sepulcri 30. Aug. an 1654. cum in suo præfato cœnobio Prioris, atque Romana Prouincia Prouincialis, munia obiuisset. Decessit in sua Ecclesia an. 1668. mense Martio die...

F. Dominicus de Senis Germanicen. Episcopus ab Vrbano VI. creatus est anno 1380. Decemb. 20. datusque suffraganeus Lucæ de Bertinis Senen. Episcopo.

F. Dominicus ex hac Rom. Prouincia Reatinus Episcopus à Gregorio Papa IX. promotus fuit circa annum 1335. & sub Innocentio IV. dimissa Ecclesia ad claustra lætus redijt an. 1250. in quibus dies suos terminauit.

F. Federicus Frezzius de Fulgineo Fulginaten. Episcop. ex Romanæ Prouinciæ Prouinciali à Bonifatio IX. renunciatus est 17. Octob. an. 1404. Concilio Constantien. adstitit in quo diem extremum clausit.

F. Franciscus ex Rom. prouincia ad Cæsenaten. Ecclesiā assumitur ab Vrbano IV. an. 1263. decessit an. 1270.

F. Franciscus Maria Burattus Romanus de conuentu Querquensi 10. Maij an. 1623. Episcop. Vulturarien. & Montis Corbini vnitarum Ecclesiarum creatur. Decessit autem sequenti mense Octob. eiusdem anni.

F. Franciscus Seruandi de Bindis Florentinus de conuentu Nouellæ Arben. Episc. à Martino V. creatus circa an. 1420. ad Iustinopolitanum Sacerdotium translatus 7. Kal. Maij 1428. in eo decessit an. 1448.

F. Franciscus Paggius Lucensis à Clemente Papa V. Perusinus Episcopus declaratus est 8. Id. Maij an. 1312. & 17. sui regiminis anno, bonus Pastor quieuit in pace die 16. Nouembris apud nostros Perusij sepultus.

F. Gabriel Narus Romanus de Conuentu Mineruæ à Paulo V. S. Marci Episcopus nominatur 12. Nouemb. an. 1613. & post annos decem ad Apostolorum limina reuersus decessit in Vrbe 16. Nouemb. 1623. ætatis suæ 46. in suo gentilitio Sacello nostræ Ecclesiæ S. M. sup. Mineruam sepulturæ datus.

F. Gas-

F. Gasbertus Orgaglius Florentinus à Clemente VI. Idib. Nouemb. an. 1349. Ceneten pastor delectus est, missusque eodem anno ad Ioannem Catauozenum Imperatorem Constantinopolitanum pro grauibus Ecclesiæ negotijs à Pont. Max. Carolo IV. Imperatori longè charissimus fuit. Annos 27. huic præfuit Ecclesiæ, in qua decessit 1376.

F. Gaufridus de Pisis ex Ronciona familia Agrigentinus Episcopus constituitur à Clemente IV. an. 1265. Decessit post annum 1270. in sua Ecclesia.

F. Gentilis Bentiuenga Tudertinus à Ioanne XXII. Nepesinus Episcopus fit anno 1328. in qua Ecclesia vixit annos nouem, & mortuus est.

F. Guillelmus Dulcinus, dum Procurator Ordinis esset, à Ioanne XXII. die 28. April. an. 1330. Lucanus Episcopus creatus est, Auenioni à præfato Pont. Max. consecratus, qui statim de sua assumptione Fratres conuentus S. Dominici de Senis, in quo religionis lac sumpserat, certiores fecit. Decessit in sua Ecclesia, apud S. Romanum sepultus in choro.

F. Herricus de Grandonibus Florentinus de conuentu Nouellæ ab Innocentio VI. Suessanus Episcop. creatus 1358. ibidem præfuit vsque ad annum 1363. quo decessit.

F. Iacobus Nuclantes Florentinus dum theologiæ lector esset in conuentu Mineruæ, Clugien. Episcopus à Paulo III. creatus, Concilio Trident. interfuit. Decessit 6. Martij an. 1569. apud nostros ibidem conditus.

F. Hiacyntus Serronus de conuentu Mineruæ à Michaele Mazarino Magistro Sacri Palatij socius assumptus, eo promouente Arauxicanus Episcopus datus est ab Innocentio X. anno 1646. cui Ecclesiæ præfuit vsque ad annum 1662. quo ad Mimaten. traslatus est. Viuit hoc anno 1669. quo hæc scribimus.

F. Hiacyntus Petronius Romanus in conuentu Mineruæ ad Ordinem receptus, post peractum ibi Baccalaurei, ac Regentis onus, Sacri Palatij Magister, ac tandem Melphiten. Pastor creatus est à Gregorio XV. die 5. Septemb. an. 1622.

& ab

& ab Vrbano VIII. in Neapolitano Regno Inquisitor. Ordinis cœnobium in sua Ciuitate fundauit, & redditibus auxit. Decessit anno 1647. mense Septembri in sua Ecclesia.

F. Hiacintus Ceulus de conuentu Mineruæ, dum Supprior in eodem cœnobio esset, ab Innocentio X. S. Marci Episcopus creatus est 2. Martij 1648. Decesit communibus pauperum lacrymis, quorum vixerat pater, parentatus an. 1650. in sua Ecclesia.

F. Hiacyntus Tarugius Vrbeuetanus, ex Montepolitiano oriundus, Venusinam Ecclesiam regendam obtinuit ab Innocentio X. anno 1654. die 5. Octob. Viuit hoc anno 1669.

F. Iacobus Castelbonus Perusinus, Florentinus Episcopus (nondum enim Archiepiscopali dignitate ornata erat hæc Ecclesia) creatus, ab Honorio IV. an. 1286. cum Prior apud S. Sabinam esset, solemnem sui muneris possessionem inijt, Florentiam ingressus 8. Iunij eiusdem anni, & transactis 40. diebus obijt.

F. Iacobus de Altouitis nobilis Florentinus, cœnobij Sanctæ Mariæ Nouellæ filius, à Bonifatio IX. an. 1390. 12. Kal. Febr. Fesulanus Pastor creatus, pro Florentina Repub. legationes ad Innocentium VII. & Gregorium XII. obiuit. Decessit autem an. 1409.

F. Iacobus de Perusio Narnien. Episcopus constituitur à Gregorio XII. an. 1407. sequenti anno de terra viuentium sublatus.

F. Iacobus Cinus, de S. Andrea dictus, etruscus, patria Collensis, de conuentu S. Dominici Senen. ab Vrbano VI. an. 1379. Termulanus Episcopus creatus, paruo tempore commissum sibi gregem rexit, à Deo ad reddendam rationẽ villicationis suæ vocatus.

F. Iacobus de Clusio de Vrbeuetano conuentu á Nicolao V. fit Tarsen. Episcop. circa annum 1450. qui cum linguarum peritia calleret, infideles ad Christum perduxit.

F. Iacobus de Vrbeueteri ab Vrbano IV. Sulmonen. & Valuen. Episcopus fit anno 1263. Non. Maij in qua Ecclesia

vsque

vſque ad annos 1278. vixit, & inter mortales eſſe deſijt.

F. Ignatius Dantes Peruſinus ex Conuentu S. Marci de Florentia, mathematicarum rerum peritiſſimus, Alatrinus Paſtor à Gregorio XIII. creatus 14. Nouemb. an. 1583. Deceſſit anno ætatis 49. ſalutis verò 1586. in cathedrali ſepultus.

F. Ignatius Ciantes Romanus conuentus Mineruæ alumnus F. Nicolai Rodulphi Mag. Gen. ſocius, & Prouincialis Angliæ, Biſacien. & S. Angeli Epiſcopus ab Innocentio X. creatus, podagræ; morbo præpeditus, Eccleſias ſibi commiſſas ad pedes Alex. VII. dimiſit an. 1661. & an. 1668. 20. Aprilis, ex hac luce migrans, ſepulturam in S. Sabina recepit.

F. Ioannes Aldobrandinus Florentinus de conuentu Nouellæ Eugubinus Epiſcopus renunciatus an. 1370. 10. Kal. Maij, octo annos eidem Eccleſiæ præfuit; tandemque clauſtralis vitæ deſiderio recaleſcens in præfatum ſuum cœnobiũ ſe recepit, vbi mortem amplexatus eſt 1383.

F. Io: Maria Canigianus Florentinus Leoni X. affinis Abbas Generalis Vallombroſanæ Congregationis conſtitutus an. 1515. Hipponenſis Epiſcopus poſtmodum euaſit.

F. Io: de Fulgineo Hortanus Epiſcopus ab Vrbano V. renunciatus an. 1366. decem & ſeptem annos commiſſæ ſibi Eccleſiæ præfuit, deceſſitque 1393.

F. Io: Iordanus ex nobiliſſima Sabellorum familia Romana Patauinus Epiſcopus à Bonifacio VIII. an. 1295. Decembris 18. Kal. creatus eſt, cum eſſet Romanæ Prouinciæ Prior Prouincialis. Duos tantùm annos hanc rexit Eccleſiam, ad Bononien. ab eodem Pont. Max. translatus 4. Id. Ianuar. 1298. Deceſſit tertio ſui regiminis anno, ad pedes Fratrum ſuorum in Eccleſia S. Dominici, prout mandauerat, ſepultus.

F. Io: Della Robbia Florentinus ex conuentu Nouellę Vrbano VIII. affinis ab eodem Pont. Max. Bertinorien. & Foropopilien. Epiſcopus conſtitutus 29. Iulij an. 1624. ſexdecim

cim annos commiſſo ſibi gregi ſacrum ius dixit, & mortuus eſt 25. Octob. 1641.

F. Io: de Viterbio Ciuitatenſis Epiſcopus creatus eſt ab Vrbano v. an. 1366. Maij 17. Kal. præfuitque ſuæ Eccleſiæ annos plures.

F. Io: Florentinus Plebeio ſanguine ortus Conuerſorum habitu ſuſcepto in S.Mariç Nouellæ conuentu litteris adductus, clericalique habitu donatus prædicator famoſus effectus ad Tefelicen. Eccleſiam promotus eſt circa annũ 1340. Deceſſit 1348.

F. Io:Mayneſyus dum Conuentui Graden. Prior præeſſet à Martino iv. Ciuitatis Caſtellanæ Paſtor creatus, deceſſit in ſua Eccleſia an. 1288.

F. Io: Leo Romanus ab Eugenio iv. Larinen. Epiſcopus inſtitutus eſt 16. Kal. Septemb. an. 1440. cui Eccleſiæ annis pluribus ſacrum ius dixit, & mortuus eſt.

F. Io: de Piſis Litteren. Eccleſiæ Paſtor delectus à Bonifacio ix. an. 1392. Febr. 9. Kal. circa annum 1403. appoſitus eſt ad patres ſuos.

F. Io: de Senis Sichien. Eccleſiæ in Creta datus eſt Epiſcopus ab Vrbano v. à quo conſtitutus fuit iudex in cauſa Malauoltæ Senen. Epiſcopi an. 1364. in Creta.

F. Io: de Florentia Tefelicen. Epiſcopus creatus eſt circa annum 1340.

F. Io: Carolus Baldouinettus nobilis Florentinus de conuentu S. Mariæ Nouellæ in præfato cœnobio, atque S. Dominici de Prato aliquando Prior, ad Epiſcopatum Burgi S. Sepulchri poſt noſtrum Malaſpinam aſſumitur à Clemente Papa ix. anno 1668. menſe Maij. Viuit in ſua Eccleſia hoc anno 1669.

F. Ioſeph à Cornea ex Ducibus Caſtilioni de Lacu Peruſino cum Piſis ſtudiorum cauſa, domum, propè Eccleſiam noſtram S. Catharinæ Mart. inhabitaret, Deo cor eius dirigente, noſtram Dominicanam Religionem ingredi decreuit. At parentum, conſangu neorumque in hoc ſibi inferendam

vim

vim pertimescens, Neapolim petijt, ibique apud Conuentum B. Marię de Arcu Ordinis habitum petijt, & obtinuit. Quod cum Card. Sfortiæ patruo suo innotuisset, ipsumque ab assumpto proposito remouere nollet, cum Seraphino Sicco Magistro Generali egit; vt pro conuentu S. Mariæ super Mineruam sacram emitteret professionem, quod exequtioni mandatum est. In Vrbem igitur reuersus post Lectoris exequutum munus ab Vrbano VIII. Casertanus Episc. 28. Maij an. *1626.* creatus, ab eodem Pont. Max. ad Squillacen. translatus *9.* Septemb. an. *1636.* tandem ab Alexandro VII. Vrbeuetanus Episcopus constitutus est 20. Martij an. *1656.* in qua Ecclesia viuit pastor optimus, hoc anno *1669.*

F. Ioseph. Maria Ciantes Romanus de conuentu Mineruę Ignatij Episcopi S. Angeli germanus frater in Hæbraica lingua versatissimus cum per annos plures Hebreorum prædicator in Vrbe fuisset Marsicen. Episcopus ab Vrbano VIII. creatus est 4. Martii an. *1640.* quam Ecclesiam cum probè an. *16.* rexisset, eidemque Saponariam subegisset, in Vrbem reuersus ad Alexandri VII. pedes Ecclesiam dimisit an. *1656.* Plura scripsit quę inferius referimus. Moritur in Vrbe hoc anno *1670.* apud S. Sabinam sepultus.

F. Iulianus de Montelupo Citarien. Episcopus creatus, obijt an. 1485.

F. Iulius Dossus Florentinus Alessanen. Episcopus creatus est à Clemente VIII. an. 1595. Martij *6.* Decessit in Curia Rom. sequenti anno, in Mineruа sepultus.

F. Laurentius de Viterbio Ciuitaten. Episcopus in Apulia constituitur à Ioanne XXII. circa annum 1330. in qua Ecclesia decessit.

F. Laurentius de Bernardis, seu Bernardinis fit Episcop. Coronen. à Gregorio XIII. an. 1572. 13. Augusti datus Suffragan. Ostien. & Veliternen.

F. Leonardus de Roma Aquilanus Episcopus fit à Bonifatio VIII. circa annum 1300.

F. Laurentius de Castro Florentino ad Acaiæ præsulatum

assumptus in excolenda vinea Domini Sedulam curam impendens, decessit an. 1458. cum in conuentu S. Mariæ Nouellæ Religionis lac cum pietate suxisset.

F. Lucas Mannellus Florentinus & ipse de conuentu Nouellæ, a Clemente VI. in sui pontificatus primordijs Ziconen. Episcopus factus, ad Auximanam Ecclesiam translatus ab eodem Pont. Max. Non. Nouemb. an. 1345. Florentiæ decessit, in Nouella sepultus 1363.

F. Marcus Roncionus Pisanus ex Priore dicti conuentus fit Episcop. Vrbinas à Clemente VI. an. 1342. Decemb. 12. Kal. naufragio perijt an. 1347.

F. Marcus Ardinghellus nobilis Florentinus de conuentu Nouellæ à Clemente VI. Adrien. seu Hadrianen. & Pennen. Ecclesijs in vnitis Aprutio datus Episcopus à Clemente VI. an. 1352. Non. Nouemb. & ab Innocentio VI. circa annum 1363. ad Camerinen. translatus, ibidem quieuit cũ Christo.

F. Michael Pauli de Pelagallo Senen. dum Theologiam in S. Maria Nouella doceret, à Capitulo Senen. ad quem Episcopi electio tunc temporis spectabat, proprius Pastor electus an. 1384. Octob. 10. eius electionem cassasse Vrbanum VI. affirmat Vgurgerius, suum verò sortitam fuisse effectum profitentur Plodius, & Fernandez. Fuit autem vir præstantissimus apud Senen. Respub. in magno pretio, à qua ad Ioannem Galeatium Mediolanen. Ducem orator missus est, à Gregorio XII. S. Galgani Monasterij in agro Senen. Cistercien. Ord. Abbas institutus. Decessit an. 1420.

F. Morandus de Signia in conuentu Nouellæ vna cum Aldobrandino de Caualcantibus ad Ordinem receptus à B. Ioannem Salernitano, sacris litteris edoctus, insignis theologus euasit. Ab Alexandro IV. Callien. Episcop. an. 1259. factus, à Clemente, IV. ad Fanen. Ecclesiam translatus est 1265. in qua post XI. annos mortuus est.

F. Nicolaus de S. Martino Pisanus Maceratensis Episcopus à Clemente VI. an. 1349. creatus, facta vnione, eiusdem Ecclesiæ cum Recanaten. ab Innocentio VI. Recanaten. &

Maceraten. Paſtor euaſit. Deceſſit autem anno 1367.

F. Nicolaus Leporus noſtri conuentus S. Mariæ ſuper Mineruam nobilis alumnus, apud Imperatorem, Ducem Sabaudiæ, atque in Italia tota prædicator celeberrimus, ad nominationem Sabaudiæ Ducis efficitur Salutien. Epiſcopus à Clemente IX. an. 1668. menſe Aprilis. Viuit in ſua Eccleſia hoc anno 1669.

F. Paparonus de Paparonis Romanus, natalium ſplendore clariſsimus, à Clemente IV. Fulginaten. Epiſcopus 5. Kal. Iulij creatus an. 1265. ad Spoletanam Eccleſiam translatus eſt a b Honorio IV. an. 1285. Aug. 12. Kal. in qua deceſsit.

F. Paſchaſius Ventacordius de conuentu Nouellæ Florentinus, ad Lamacen. Eccleſiam promotus eſt circa annum 1365. & mortuus eſt.

F. Paulus Pucciarellus de conuentu Querquenſi Andren. Epiſcopus à Gregorio XV. creatus eſt 17. Martij an. 1621. Quieuit in pace ſub Vrbano VIII. circa annum 1630.

F. Paulus Lapus de Bolentijs Florentinus de conuentu Nouellæ, Calcedonen. Epiſcopus à Clemente VI. circa annum 1345. creatus, deceſsit ſub Innocentio VI.

F. Paulus Zuccarus Florentinus & ipſe de conuentu Nouellæ Lubren. ſeu Maſſæ Lubren. Epiſcopus à Clemente VI. creatur 4. Id. Nouemb. an. 1348. cui Eccleſiæ præfuit annos tres, & mortuus eſt.

F. Paulus Vrſinus nobilis Romanus de conuentu Mineruæ à Paulo V. Montis Alti in Piceno Paſtor effectus an. 1608. 14. Iulij, creditam ſibi Eccleſiam vſque ad annum 1640. rexit, quo in mortis amplexus corruit, in ſua Cathedrali conditus.

F. Petrus de Anagnia ex Romana Prouincia Beriden. ſeu Beden. & Stephanen. Epiſcopus in Albania ab Vrbano V. creatus eſt an. 1365. qui in ſua Eccleſia deceſſit.

F. Petrus de Viterbio Callien. Epiſcopus à Nicolao V. creatur an. 1448. dum ſuo conuentui S. Mariæ ad Gradus præeſſet Prior. Deceſsit anno quinto ſui regiminis.

F. Petrus de Tuscia Castren. Episcopus effectus circa an. 1350. sibi creditam Ecclesiam vsque ad annum 1350. optimè rexit, quo ex hac lacrymarum valle abiit.

F. Petrus Angelellius Lucensis post Guillelmum Bonderinen. Sacri Palatii Mag. creatus, à Gregorio x. 14. Maii an. 1272. Lucanus Episcop. factus, ad Lugdunen. Concilium properauit, in quo decessit an. 1274.

F. Philippus Romanus Viterbien. Episcop. à Gregorio x. factus an. 1272. vbi cum præesset Io: xxi. ex ruina palatii ibidem subsecuta interiit. Decessit & ipse an. 1286.

F. Reginaldus Lucarinus de Trebio ex conuentu Mineruæ cum Sacri Palatii Magister esset, Ciuitatis Plebis Episcopus ab Vrbano viii. cui acceptissimus erat, creatus est, 9. Febr. an. 1643. Viuit in sua Ecclesia Pastor Optimus, sacris studiis, ac pietatis operibus semper addictus, hoc anno quo hæc scribimus 1669.

F. Robertus de Robertis nobilis Romanus de conuentu Mineruæ à Paulo v. Tricaricen. Episcop. electus 5. Decemb. 1611. tredecim annos Ecclesiam illam rexit, & mortuus est in illa an. 1624. Vrbano viii. regnante.

F. Rogerius ex Casole Senen. Diœcesis Senen. Episcop. institutus à Clemente v. an. 1307. ab eodem Pont. Max. suus in Vrbe Vicarius creatus est datis Apostolicis litteris 10. Kal. Maii Pontificat. sui anno 9. Romæ moritur 1317. in Minerua tumulatus

F. Rogerius Calcagnus Florentinus, primus in Tuscia Inquisitor ad Castren. Ecclesiam in Tuscia Pastor promotus circa annum 1240. Lugdunen. Concilio sub Innocentio iv. celebrato interfuit an. 1245. & decessit an. sal. 1274.

F. Romanus in cœnobio S. Sabinæ supprior, ab Innocentio iv. an. 1254. April. 5. Kal. Allifanus Episcopus creatus, optimè sibi commissum gregem rexit annis pluribus, & decessit.

F. Saluius fit Recanaten. Episcopus à Nicolao Papa iv. 2. Id. Decemb. an. 1289. cuius fuit in Vrbe Vicarius; Hic con-

concefsit quafdam Indulgentias Ecclefiæ noftræ Tiburtinæ vt ex litteris talis concefsionis, quæ in eodem conuentu af-feruantur, apparet, Decefsit anno Iubilei 1300.

F. Theodoricus Burgundionus Lucenfis, Ceruien. Epif-copus conftitutus à Gregorio x. an. 1271. viginti feptem annos eidem Ecclefiæ cum laude præfuit, & an. 1298. ad patres fuos appofitus, in noftra Ecclefia fepultus eft.

F. Thomas Fufconi de Berta nobilis Rom. ab Innocentio iv. Senen. Epifcop. conftitutus Id. Decemb. an. 1253. bre-ui tempore commiffum fibi gregem rexit è viuis euocatus.

Thoma defuncto alter F. Thomas ex Balzeta gente in Senen. Ecclefiæ regimine fuccefsit, in cœnobio S. Domi-nici ibidem educatus, qui decefsit an. 1263. in Cathedrali, fepultura accepta.

F. Thomas Tomafonus filius conuentus Mineruæ ad Vm-briaticen. Ecclefiam promotus ab Innocentio x. an. 1652. Ianuarij 8. tertio fui regiminis anno 25. Octob. decefsit, in Cathedrali fepultus.

F. Vguccionus de Spoleto Strongulen. Epifcopus à Boni-facio viii. renunciatus 15. Kal. April. an 1297. annis cin-citer viginti commiffam fibi Ecclefiam rexit, & mortuus eft.

F. Vincentius Bonardus Rom. in conuentu Mineruæ Re-ligionis lacte enutritus, Sacræ Congregat Iudicis Secreta-rius, deinde Sacri Palatij Mag. effectus, tandem Hieracen. Epifcopus creatus eft à Gregorio xiv. Martij 20. an. 1591. Decem annos fibi commiffæ Ecclefiæ præfuit, abijtque ex mortalium oculis.

F. Vincentius Herculanus Perufinus vir doctiffimus Sar-nen. Epifcopus à Sanctifs. Pontifice Pio v. creatus 14. De-cemb. an. 1569. ad Imolen. Ecclefiam à Gregorio xiii. an. 1573. translatus, Perufinus tandem Paftor effectus ab eo-dem Pont. Max. 9 Decemb. an. 1579. cui Ecclefiæ annos feptem incorruptum facrum ius dixit, & mortuus eft 29. Octob. an. 1586. in noftra Ecclefia S. Dominici electa fe-pultura.

F. Zeno-

F. Zenobius Medices Florentinus de conuentu S. Marci, dum in S. Mariæ Maioris de Vrbe templo Pœnitentiarius Apostolicus esset, ab Vrbano VIII. Burgi S. Sepulchri Episcopus deligitur mense Iulio anni 1634. Dierum suorum terminum vidit Florentiæ 17. Octob. an. 1637. apud S. Marcum tumulo delecto.

TITVLVS V.

De Legatis, ac Nuncijs Apostolicis.

F. Iacobus Boncambius natalium præstantia spectabilis, peracto Romanæ Prouinciæ regimine, ab Innocentio IV. anno 1243. S. R. E. Vicecancellarius delectus est, sequenti anno ad Ecclesiam Bononien. promotus, qua in Vrbe natus, Florentiæ in Ordine fuerat educatus.

F. Michael Bonellus de conuentu Mineruæ ab Auunculo Pio Papa V. S. R. E. Camerarius creatus est in locum Card. Vitellotij de Vitellis an. 1568. quod munus anno 1570. in subsidium sacri belli contra Turchas ad eiusdem Pont. pedes deposuit, à quo in recompensationem Magnus Prior Hierosolymitanorum equitum in Vrbe creatus fuit, & à Sixto V. Papalis Vicarius cum plenissima auctoritate institutus est an. 1585.

F. Bonas Pemius de Perusio Angelici Doctoris auditor, & Alexandro IV. longè charissimus, atque à sacris confessionibus, recusato Fanen. Ecclesiæ regimine, S. R. E. maior Pœnitentiarius creatus est, quo in munere toto eiusdem Pontificatus tempore permansit.

F. Aldobrandinus de Caualcantibus Florentinus Vrbeuetanus Episcop. atque Papalis Vicarius constituitur à Gregorio X. ad Generale Concilium Lugdunense properante anno 1273.

F. Mat-

F. Matthæus de Vrſinis S.R.E. Card. à Ioanne XXII. Auenione commorante Papalis Vicarius cum pleniſſima auctoritate inſtitutus, Romanos, atque ditionis Apoſtolicæ incolas in debita obedientia erga eundem Pont. Max continuit, ſub quo deceſſit in Curia Auenioni an. 1340.

F. Io: de Columna Romanus Tomicellus ab Vrbano IV. ſuus in Vrbe Vicarius conſtitutus eſt, quo in munere anno 1263. conſecrauit apud S. Sabinam Altare S. Petro Mart. dicatum, cum Meſſanen. quoque Archiep. eſſet.

F. Rogerius ex Caſali Senen. ditionis eiuſdemq; Ciuitatis Epiſcopus, à Clemente v. ſuus in Vrbe Vicarius creatur 10. kal. Maij ponticat anno 9. Romæ moritur 1317. Iunij 6. in Minerua ſepultus.

Cardd. Anibaldenſis ab Vrbano IV. Legatus de Latere creatus eſt, vt ſacro diademate Carolum Siciliæ Regem redimiret. Latinus Malabranca de Vrſinis à Nicolao III. Auunculo Legatus de Latere ad Florentinos pro pace ſtabilienda inter Guelphos, ac Gibellinos miſſus fuit. Nicolaus de Prato ad Florentinos Legatus de Latere deligitur à Benedicto XI. pro ciuilibus contentionibus amouendis. Philippus Gezza Rom. ab Vrbano VI. fit Legatus de Latere per Italiam, vt populos in ſui obedientia confirmaret: Io: Dominici Florentinus in Conſtanſienſi Concilio, Præſes eiuſdem delectus, à Martino v. Legatus de Latere in Hungariam dirigitur vbi moritur anno 1420.

F. Algyſius de Roma à Gregorio IX. Legatus Apoſtolicus mittitur ad Ianuenſes, vt claſſem triremium, & nauium ad duos menſes Eccleſiæ nomine conduceret pro Eccleſiaſticis Prælatis ad Concilium pergentibus an. 1240. quod & executioni dedit, ab eodem Pot. pecunia ſoluta.

F. Raynonus Viterbien. & Saluus Lucanus à Ioanne XXI. an. 1276. ad Paleologum Orientis Imperatorem Legati mittuntur, vt in Concilio Lugdunen. ab eo promiſſa executioni daret: quod præſtitum eſt.

F. Laurentius de Tuderto cum Ioanne de Vercellis Magiſtro

F. Iordanus Sabellus nobilis Romanus à Bonifacio VIII. cum Paduanus Episcopus esset Commissarius Apostolicus pro colligendis decimis in Flamminia pro sumptibus Siculi belli deligitur an. 1301.

Et hoc loco digni sunt Cardinalis Io: Dominici, & Mag. Generalis Leonardus Statij de Datis qui fuerunt electi Præsides Concilij Constantiensis, in quo multa operati sunt pro electione Martini v. Pont. Max. & tranquillitate, ac pace Catholicæ Ecclesiæ reddenda: In sequentibus autem Concilijs plura præstiterunt Patres Romanæ Prouinciæ, de quibus copiosam relationem habuimus in nostro Sacro Theatro Dominicano anno 1666. Romæ impresso.

TITVLVS VI.

De Magistris Generalibus Ordinis.

INTER Apostolicæ Sedis Ministros recensendi quoq; sunt Magistri Generales nostri, qui sacris Congregationibus S. Inquisitionis & Sacrorum Rituum Consultores assistunt. Ex Romana autem Prouincia sequentes ad Ordinis regimen fuerunt assumpti.

F. Leonardus filius Statij de Datis nobilis Florentinus apud cœnobium S. Mariæ Nouellæ eiusdem Ciuitatis Religionis habitu indutus, atque in regulari obseruantia enutritus, in Generali Capitulo Florentiæ an. 1414. congregato, post Thomæ de Firmo decessum, summo Patrum consensu Magister Ordinis electus est, tantaque valuit existimatione apud Magnates; vt in Constantien. Concilio vnus ex electoribus Martini v. sit delectus pro natione Etrusca; Electioneque subsequuta reddita est Ecclesiæ, atque Ordini optata vnio, & pax: F. Ioanne de Padio nucis altero Magistro Generali suo muneri cedente, assumptoque ab eodem Pont.

Max. in conſcientiæ ſuæ directorem ac confeſſarium, quem & Catanen. Epiſcopum nominauit. Prater præfatum Florentinum, celebrata ſunt Generalia Capitula ab ipſo Argentinæ 1417. Metis 1419. Florentinę 1421. & Napię 1423. Præfuit Ordini laudabiliter annos decem, & vltra, illoque in Gallia, Germania atq; Italia viſitato reuerſus in patriam, Martij 16 an. 1425. deceſſit in S. Maria Nouella tumulatus.

F. Leonardus Manſuetus de Peruſio, poſt deceſſum Martialis Auribelli ſummo Patrum conſenſu Romę in Capit. Generali congregato an. 1474. Magiſter Ordinis eligitur, qui in Peruſino cœnobio ad Ordinem receptus, atq; ſacris litteris, ac pietate imbutus, poſt obitam Romanæ Prouinciæ præfecturam Magiſter Sacri Palatij creatus eſt, ex quo munere ad Magiſterium Ordinis fuit aſſumptus. Præter Romanum Capitulum, aliud celebrauit in patria an. 1478. Deceſſit Romæ 27. Iulij an. 1480. in Minerua ſepultus poſt completam multarum Prouinciarum viſitationem.

F. Franciſcus Romeus de Caſtilione Aretino, defuncto Alberto Caraus, Magiſter Generalis eligitur Romæ communi Patrũ voto an. 1546. cũ eſſet in Curia Procurator Generalis, Vicariuſq; Ordinis Generale Capitulum quoq; Salmanticæ celebrauit, viſitatiſque Prouincijs Malliæ, Hiſpaniæ, atque Italiæ Tridentino Concilio inter fuit. In Vrbem reuerſus Apoplexiæ morbo interijt an. 1552. ætatis ſuæ 60.

F. Nicolaus Rodulphius Florentinus, in conuentu Mineruę ad Ordinem receptus, cum eſſet Sacri Palatij Magiſter, defuncto Seraphino Sicco, Vicarius Ordinis ab Vrbano VIII. creatus, maximo, imo & vnanimi Patrum conſenſu, Magiſter Ordinis ſalutatus eſt an. 1629. in vigilia Pentecoſtes. Prouincias cunctas Gallię, Lombardię Regnorumque vtriuſque Siciliæ viſitauit, vir ſtrenuus, atque magnanimus, in maxima exiſtimatione apud Principes, & Magnates habitus. Aemulis quibuſdam inſtantibus, exceſſuſque prętenſos in Ordinis regimine eidem obijcientibus, ab Vrbano VIII. à Magiſterio depoſitus, aduerſantis fortunæ ictus inuicto animo

mo delusit. Electo autem in summum Pontificem Innocentio X. Causa depositionis eiusdem discussa, tale in fauorem Rodulphij sancitum est decretum.

NOS *Cardinales Lantes, Ceninus, Spada, Cornelius, & Franciottus Iudices Commissarij in causa, & causis coram nobis vertentibus inter* D. *Faustum Gallutium* S. *D. N. PP. &* Reu. Cam. *Apost. Generalem Procuratorem Fiscalem, & pratensos illi adhærentes ex vna, & Reuerendissimum P. Nicolaum Rodulphium Ord. Prædicatorum partibus ex altera super pratensis excessibus, de quibus in litteris in forma Breui S. M. Vrbani VIII. sub* Dat. *Romæ die* 23. *Aprilis*, 20. *Maij, &* 27. *Iunij* 1642. *nec non in processibus contra ipsum desuper fabricatis, visa commissione S. D. N. Innocentij PP. X. Visis accurateque discussis ijsdem processibus ad hunc effectum ex Arcæ S. Angeli vigore Chirographi* S. *D. N. extractis sub die* 5. *Ianuarij præsentis anni* 1645. *visis alijs litteris in simili forma Breuis eiusdem fel. rec. Vrbani* VIII. *super abolitione eorundem processuum sub* Dat. *Romæ die* 27. *Aprilis* 1644. *Item visis monitionibus vigore nostrarum litterarum missiuarum per Reu. D. Nuncium Neapolis Fratribus Thomæ Catoni, &* D*ominico Elisio prædicti Ord. qui supplicem libellum Eminentissimis DD. Card. Verospio, & Antonio Barberino Protectori porrexerant contra præf. Reuerendissimum P. Rodulphium factis sub diebus* 11. *&* 23. *Aprilis* 1645. *seu, &c. ad comparendum, & deducendum coram nobis per se, seu per Procuratorem quicquid sua putarent interesse ratione, & ex causa dd. processuum, visaque respon-*

sione prædictæ intimationi per d. Fr. Dominicum Elisium in scriptis facta, necnon audito in plena Congregatione d. Fr. Thoma Catone à præf. Vrbe Neapolitana Romam profecto, alijsque visis videndis, consideratis considerandis.

Christi nomine inuocato. Pro Tribunali sedentes, & solum Deum præ occulis habentes per hanc nostram diffinitiuam sententiam, quàm ferimus in his scriptis dicimus, declaramus, & diffinitiuè sententiamus eundem Reuerendiss. P. Rodulphium à prætensis excessibus in prædictis litteris S. M. Vrbani VIII. enunciatis, & in eisdem processibus deductis nil reperto, quod eiusdem integritati, labem, aut præiudicium inferat, vel inferre possit, fore, & esse absoluendum, prout nos per hanc nostram diffinitiuam sententiam absoluimus, & liberamus, & pro liberato haberi volumus, & mandamus, processusque prædictos de iure cassandos, & abolendos fore, & esse prout cassamus, & abolemus, ac olim iure merito cassatos, & abolitos fuisse, declaramus, proptereàque molestationes & perturbationes eidem Reuerendissimo P. Rodulphio illatas fuisse illicitas, & temerarias, & de facto præsumptas, illasquè minimè fieri potuisse, nec posse. Fiscoq; & prætensis illi adhæren. perpetuum silentium imponen. fore, & esse prout de facto imponimus, ex dictis processibus, alijsque contra eundem Reuerendissimum P. Rodulphium intentatis, nullum prorsus illius optimæ famæ, æstimationi, atque honori præiudicium illatum fuisse declaramus. Et ità dicimus, pronunciamus, declaramus, & diffinitiuè sententiamus, non solum præmissio, sed omni alio meliori modo, &c.

It

Ità pronunciaui ego M. Episcopus Ostien. Card. Lantes.
Ità pronunciaui ego F. Card. Cenninus Sancti Marcelli nuncupat.
Ità pronunciaui ego B. Card. Spada.
Ità pronunciaui ego F. Card. Cornelius.
Ità pronunciaui ego M. A. Card. Franciottus.

Defuncto Turco eius sucessore, iterum Ordini sub titulo Præsidentis Ordinis, ab Innocentio x. præfectus, in ipsius indicti Generalis Capituli inchoatione, vnanimi Patrum voto Generalis Mag. iterum acclamatus, & reassumendus interijt, Patribus cunctis tanti viri iacturam deflentibus 8. Kal. Iunij an. 1650. ætatis suæ 72. in Minerua tumulatus.

F. Io: Baptista de Marinis ex conuentu Mineruæ post Rodulphij decessum electus est Magister Ord. an. 1650. cui annos supra decem & acto præfuit. Capitulum aliud Romæ an. 1656. ex Alexandri VII. decreto habuit, quod infaustum nimis ex suborta in Vrbe pestilentia, fuit. Ordinem, non visitauit, sed in Vrbe manens ibidem decessit anno 1669. Maij 6.

TITVLVS VII.

De Magistris Sacri Palatij.

PLurimos Sacri Palatii Magistros Apostolicæ Sedi dedit Romana Prouincia, enumeranturque sequentes.

F. Anibaldus de Anibalis nobilis Romanus, ex Senatoria familia Dominicana toga in S. Sabinæ cœnobio donatus, dum post peracta sacra studia Parisiis in dicto Romano conuentu theologiam doceret, ab Innocentio IV. Sacri Palatii Magister creatus est: ad purpuram postmodum vocatus ab Vrbano IV. an. 1263.

F. Pe-

F. Petrus Angelellius Lucen. à Clemente IV. Sacri Palatij Magister renunciatus est. A Gregorio X. Lucen. Episcopus creatus cum eodem Pont. Max. ad Lugdunense Concilium properauit, ibique diem extremum clausit.

F. Petrus Ilperinus ex nobili Romana familia, quæ modò de Alberinis dicitur, de conuentu Mineruæ ab Vrbano VI. Sacri Palatij Magister creatus an. 1378. ab eodem Pont. Max. ad Marsicen. Ecclesiam promotus est sequenti anno 1379.

F. Vgolinus de Camerino, promotione facta Ilperini, eodem anno 1379. nominatus est Magister Sacri Palatij ab Vrbano VI. mansitque in tali munere schismatis Ecclesiæ tempore.

F. Leonardus Statij de Datis à Gregorio XII. an. 1407. Magister Sacri Palatij deligitur, quo in munere vsque ad 1414. mansit, ad Magisterium Generale Ord. assumptus Florentiæ.

F. Andreas de Pisis de conuentu S. Catharinæ Constansien. Concilio interfuit Romanæ Prouinciæ Prouincialis, cum Leonardo Mag. Generali suprad. & Magister Sacri Palatij creatus est à Martino Papa V. an. 1424. factus postmodum Surrin. Episcopus ab eodem Pont. Max. prid. kal. Martij anno 1429.

F. Bartholomeus Lapatius de Vbertinis ex conuentu Nouellæ, vir doctissimus, Florentino Concilio sub Eugenio IV. interfuit, latinæ linguæ peritissimus. Sacri Palatii Magister in locum Ioannis de Turre Cremata ad purpuram vocati, an 1439. creatus, sequenti anno ab eodem Eugenio Pont. assumptus fuit ad Cortonen. Ecclesiam 14. Ianuarij: A Nicolao V. postmodum ad Coronen. in Græcia translatus anno 1449. eaque dimissa, in patriam se recipiens Abbas Comendatarius Ecclesiæ S. Romuli effectus ibidem mortuus est.

F. Leonardus de Mansuetis Perusinus Sacri Palatij Mag. creatus est à Paulo II. post decessum Iacobi Aegidii, quo in munere mansit vsque ad suam ad Magisterium Ordinis assumptionem, quæ illi contigit an. 1474.

Assum-

Assumpto ad Magisterium Generale Ord. Saluo Casseta; non Paulus de Monelia eidem in Magisterio Sacri Palatii successit, vt retulimus in nostro Sylabo Magistrorum Sacri Palatii, Romæ impresso an. 1664. Sed F. Marcus Maronus, de quo Io: Burckardus Apostolicus Cerimoniarum Magister sub Sixto Papa IV. in suo diario hæc,quæ propria manu excripsimus,habet. *Eadem die* (nempè Martii 6.Aprilis 1484.) *coram præfato Reuerendiss. Domino Card. Senen. personaliter constitutus R. P. D. Robertus Episcop. Licien. ad quam de Aquinaten. Ecclesia translatus est, ratione Ecclesiæ suæ Licien. in manibus supradicti Reuerendiss. Card. nomine, quo supra recipientis, corporale præstitit iuramentum de verbo ad verbum, prout in forma &c. tactis &c. & act. &c. vt supra, præsentibus DD. Fratre Marco Marono Sacri Palatij Magistro, & D. Antonio Balistario Presbytero Senen. testibus ad præmissa*. Quod concordat cum Regestis Magg. Ordinis, in quibus apparet tunc temporis fuisse Prouincialem Lombardiæ Paulum de Monelia, quem simul Magistrum Sacri Palatii, ac Prouincialem esse credidimus. Mirum est autem, quod nullus ex Ordinis scriptoribus, neq; etiam extraneis de hoc Magistro mentionem faciat: tamen indubitatum est ex præfato testimonio ipsum in hoc munere fuisse, anno prædicto constituendumque inter alios Magistros Sacri Palatii post Saluum Cassetam.

F. Io: Nannius Viterbien. de conuentu Graden. linguarum Græcæ, Hæbraicæ, atque Caldaicæ peritissimus ab Alexandro VI. Sacri Palatij Magister creatus an. 1499. vitam cum morte commutauit 13. Nouemb. an. 1502.

F. Bartholomeus Spina Pisanus conuentus Pisani alumnus vir doctissimus post regimen Prouinciæ Calabriæ Sacri Palatij Magister post assumptionem Card. Thomæ Badiæ anno 1542. factam constitutus à Paulo III. Congregationi de rebus fidei quæ in Vrbe fiebat ascriptus est ab eodem Pont.

Max.

Max. Deceſſit ſenio confectus anno 1546.

F. Petrus Paulus Giannerinus de Aretino conuentu aſſumitur ad Sacri Palatij Magiſterium ex Priore Prouinciali Rom. Prouinciæ à Iulio III. an. 1553. cumque annos vndecim in illo vixiſſet, mortuus eſt.

F. Vincentius Bonardus de conuentu Mineruæ à Sixto v. an. 1589. Magiſter Sacri Palatij conſtituitur ex Secretario, Sacræ Congregationis Indicis à Gregorio XIII. inſtituto. Ad Hieracen. Epiſcopatum deinde à Gregorio XIV. promotus, compleuit dies ſuos an. 1601.

F. Hiacintus Petronius Rom. de conuentu S. M. ſuper Min. à Paulo v. creatus eſt Sacri Palatij Magiſter anno 1614. & poſt annos octo, à Gregorio XV. ad Melphitenſem Eccleſiam promotus, atque ab Vrbano VIII in Neapolitano Regno ſupremus Inquiſitor delectus, de terra viuentium ſublatus fuit an. 1647.

F. Nicolaus Rodulphius & ipſe de conuentu Mineruę poſt Petronium deligitur à Gregorio XV. Sacri Palatij Magiſter an. 1622. & anno 1629. vnanimi Patrum voto vocatus eſt ad regimen Ordinis, Magiſter Generalis electus. Deceſsit Romæ 1650.

F. Gregorius Donatus Romanus de conuentu Mineruæ poſt aſſumptionem ad purpuram Vincentij Maculani, Magiſterium Sacri Palatii obtinuit an. 1641. ab Vrbano VIII. At tranſactis menſibus quinque mortuus eſt.

Defuncto Donato fit Sacri Palatii Magiſter F. Reginaldus Lucarinus de Trebio, filius tamen conuentus Mineruæ ab eodem Vrbano Pont. Max. At breui tempore in eo Magiſterio effulſit, ad regimen Eccleſiæ Ciuitatis Plebis Paſtor vocatus ſequenti anno 1643. vbi viuit Paſtor egregius.

F. Michael Mazarinus ab Vrbano VIII. poſt aſſumptionẽ Lucarini creatus Magiſter Sacri Palatii an. 1643. quo in Magiſterio permanſit vſque ad annum 1645. nominatus à Galliæ Rege Aquen. Archiepiſcopus, & poſtmodum ad purpuram vocatus ab Innocentio X. Pont. Max.

F. Vin-

F. Vincentius Candidus ſiculus, filius tamen conuentus Mineruæ aſſumpto ad Inſulam Mazarino, creatus eſt Sacri Palatij Magiſter ab Innocentio x. quod Magiſterium geſsit vſque ad annum 1654. quo 8. Id. Decembris perrexit ad Chriſtum: vir vitæ ſanctitate venerabilis.

F. Raimundus Capiſuccus Romanus de conuentu Mineruæ Candido datur ſucceſſor in Magiſterio Sacri Palatij ab Innocentio x. an. 1664. quo in munere permanſit vſque ad annum 1664. quo officium dimittente.

F. Hiacyntus Libellus Tyfernas, & ipſe de conuentu Mineruæ anno 1664. conſtitutus Sacri Palatij Magiſter ab Alexandro VII. tale munus laudabiliter gerit hoc anno, quo hæc ſcribimus 1670.

TITVLVS VIII.

De Commiſſario Generali S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis.

VNICVM Generalem Commiſſarium S. Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis ex Romana Prouincia,& hunc ex cœnobio S. Mariæ ſuper Mineruam, prodijſſe, certum eſt, Fratrem Andream Iuſtinianum, à Paulo Papa V. inſtitutum, atque ab eodem ad Inſulanam Eccleſiam Epiſcopum promotum, virum doctum & cordatum, 24. Nouembris anno 1614. vbi deceſsit 4. ſui regiminis anno, de quo ſupra.

TITVLVS IX.

De S. Congregationis Indicis Secretarijs.

F. Vincentius Bonardus ex conuentu Mineruitano Sanctæ Congregationis Indicis constituitur à Gregorio XIII. subijtque demandati sibi muneris possessionem 3. Iunij an. 1583. & defuncto Zobio, Sacri Palatij Magister effectus est 1589. ac tandem Hieracen. Episcop. an. 1591.

F. Paulus Picus de Burgo S. Sepulcri Bonardo datus est successor in munere Secretarij S. Congregationis Indicis, habuitque primam Congregationem 23. Martii an. 1591. Permansit in officio vsque ad annum 1613. quo 15. Iunii à Paulo v. Vulturarien. Episcopus creatus est. Decessit 1622.

F. Thomas Pallauicinus post Picum denunciatur Sacræ Congregationis Indicis Secretarius à Paulo v. an. 1613. qui anno 1615. in Vaticano palatio mortuus ad Mineruam pro sepultura delatus est. Eius Magisterium in Actis Capituli Romani 1608. approbatum reperimus §. *In Prouincia Romana*.

F. Franciscus Magdalenus de Capiferreis Romanus à Paolo v. Secretarius declaratur post Pallauicinum die 27. Ianuarii anno 1615. Quieuit in pace in visitatione Romanæ Prouinciæ, cui præerat Prouincialis, Perusii anno 1632.

F. Io. Baptista de Marinis de conuentu Mineruæ datus est successor Magdaleno, qui anno 1650. Magister Ordinis electus, decessit 6. Maii anno 1669. in Vrbe.

F. Raymundus Capisuccus filius S. M. super Mineruam suffectus est Marino Secretarius vsque ad suam ad Magisterium Sacri Palatii assumptionem, quę contigit anno 1654.

F. Hiacyntus Libellus, & ipse de conuentu Mineruæ post Capisuccum renunciatus est ab Alexandro Papa VII. Sacræ

Con-

Congregationis Indicis Secretarius, quod munus laudubiliter exercuit vsque ad suam assumptionem ad Magisterium Sacri Palatii, facta anno 1664.

F. Vincentius Fanus Viterbien. ex Graden. conuentu effectus est Secretarius an. 1664. quod officium actualiter exequitur hoc anno 1670.

TITVLVS X.

De *Praeceptore Sancti Spiritus de Vrbe*.

NVLLA fuit in Dei Ecclesia dignitas, prefectura nulla, nullumque in Romana Curia munus, seu nobile officium, quod ex Apostolicæ Sedis benignate inclitis Dominicanæ Religionis filiis collatum non sit, vt ex nostro Sacro Theatro Dominicano apparet. Quia verò in Romana Curia inter cœteras, Præfectura Hospitalis S. Spiritus refulget, atque de hoc mentionem nullam in illo fecimus, eandem in presenti tali modo recensemus.

P. F. Cosmus de Tornabonis Florentinus nobilis genere, sed doctrina, & virtutibus nobilior, in regulari obseruantia apud conuentũ S. Marci de Florentia enutritus, suis exigentibus meritis à Clemente Papa vii. plurimum adamatus, ab eodem Præceptor nobilissimi Archiospitalis S. Spiritus de Vrbe creatus est; cumque infirmis illius, grassante lue, & cibum & potum, & Sacramenta sua manu ministraret, eodẽ morbo correptus, transiit ad superos, ab illo perpetua percepturus retributionem, qui dixit *Quod vni ex minimis meis fecistis mihi fecistis*. Anno 1527. sicut testantur monumenta conuentus S. Marci de Florentia, in quo Ordinis tyrocinia habuit.

ALIOS Apoſtolicę Sedis Miniſtros ex Romana Prouincia, nempè Vicesgerentes, Capellanos, ac Pœnitentiarios Dom. Papæ, Procuratores Ordinis, Examinatores promouendorum ad Eccleſias, Hæbræorum Prædicatores, Inquiſitores, &c. in noſtro Dominicano Theatro recenſemus, ad quod Lectorem remittimus.



CAPVT VI.

DE SCRIPTORIBVS

Romanæ Prouinciæ.

A.

FRATER Accoldus de Florentia in Theologia doctor famosus, nec non linguarū peritia conspicuus, & Arabicam linguam præcipuè callens, scripsit volumen grande contra Saracenos, eorumque perfidiam, & alterum de modo disputandi cum infidelibus. Viuebat an. 1260. Lucarinus. Ex de Susato *in Cronologia de script. Ord.*

F. Albertus Campana de conuentu S. Marci, Farsaliam Lucani Poetæ in ætrusca carmina vertit: Multa super Metaphysicam scripsit, quæ non impressit: Fuit lector extraordinarius Metaphysicæ in Patauino studio annos 21. vbi decessit 1639. à Veneta Repub. perpetuus Collegij Doctorum promotor institutus vt vidimus.

Aldobrandinus de Foscanella sui sæculi prædicator celebris

bris edidit volumina duo Sermonum, de tempore, & Sanctis: nec non Historiam vitę S. Patris Dominici in octo partes distributam an. 1314. *Ex monumen. Conuen. Graden.*

B. Ambrosius Sansedonius Senen. scripsit duo volumina Sermonum de tempore & Sanctis, nec non de B. Virgine. Viuebat an. 1285. *scrip. Ord.*

F. Alexius Figliuccius Senen. de conuentu tamen S. Marci vertit in Italicum sermonem Cathechismum Romanum à S. Concil. Trident. euulgatum ex Pij v. mandato. *Ex monumen. eiusd. Conu.*

Ambrosius Catherinus Politus Senen. de cõuentu S. Marci, Archiep. Compsanus Iulij Papæ III. in minoribus præceptor scripsit libros quinque in Lutherum, adhuc Nouitius Florentiæ an. 1521. Carolo v. dicatos. Librum prænotatum Speculum Hæreticorum. Tractatum quo iure, & qua pœna plectendi sint Hæretici. Tractatum Vtrum expediat Sacram Scripturam in linguam vulgarem verti. Librum inscriptum claues duæ ad aperiendum, intelligendumque scripturas. Commentaria super priora quinque capita Genesis. Super omnes Epistolas D. Pauli. Super Epistolas Canonicas. Euulgauit & in latinam linguam transtulit S. Catharinę Senen. vitam à B. Raymundo de Capua sciptam. Scripsit & de Conceptione B. Virg. libros tres. De veneratione Sanctorum. De præsentia, & Prouidentia Dei. De Prædestinatione Dei lib. 3. De eximia Prædestinatione Christi lib. 2. De Angelorum bonorum gloria, & de malorum lapsu. De consummata gloria solius Christi, & B. Virg. De lapsu hominis & pecato originali. De vniuersali omnium morte, & resurrectione. De veritate Purgatorij. De præmio bonorum, & suplicio æterno. De statu puerorum absq; baptismo decedentium. De perfecta iustificatione, Fide & Operibus, in quo interpretatur caput ıx. Concilij Tridentini de Iustificatione. De Residentia Episcoporum. Scripsit cõtra Caietanum & Dominicum Soto (imprudenter tamen) & contra Baldum. De recipiendis pueris Iudæorum venientibus

entibus ad Baptiſmum. Aſſertiones 14. pro aſſertione gratiæ ad Concilium Tridentinum. De cultu Imaginum. De veritate incruenti Sacrificij. De Sacramento Euchariſtiæ, & communione ſub vtraque ſpecie. De charactere & per quæ Sacramenta imprimatur. De differentia inter Baptiſmum Chriſti & Ioannis. De Baptiſmo paruulorum. De Matrimonio. De Diuinis & Canonicis Scripturis defenſionem ſuæ doctrinæ, contra deferentem illam ad Summum Pont. confirmationem ſuæ doctrinæ circa reſidentiam Epiſcoporum. De cælibatu aduerſus Eraſmum, de reprobatione doctrinæ F. Bernardini Ochini, & contra Sauonarolam. Lutherus in ſuis ſcriptis, quibus Ambroſium reijciebat indicat euidenter eius argumentis, quibus proprias impietates impugnabat, ſenſiſſe ſe grauiter torqueri. Cum maximò pollerct ingenio, à communibus ſententijs receſſit, & à S. Thomæ doctrina alienus, in multis defecit, vnde in errores, & in doctorum obiurgationes incidit: Omnia tamen ſua placita S. Rom. Eccl. correctioni ſubegit. Obijt Neapoli an. 1552. ex apoplexia *Luſitan. in Bibliot.*

F. Ambroſius Brandius Rom. de conuentu Mineruæ ſcripſit Italice Triumphum B. Virg. de Roſario an. Iubilei 1625. obijt verò 1645. vt vidimus.

F. Ambroſius Viola dum Prioris munere fungeretur in conuentu Mineruæ ſcripſit de Primatu D. Petri, quod opus obtulit Innocentio x. an. 1646. Deceſſit Ep. Laquedonicen. an. 1651. vt vidimus.

Andreas de Piſis tranſtulit ex latino in vernaculam linguam vitam B. Agnetis de Montepolitiano, quam Raymundus de Capua ſcripſerat, appēdice ſuper addita viuebat 1508. *Lucarin.*

F. Andreas de Boccagnis Epiſcopus, ac Ciuis Piſtorien. ſcripſit ſermones de tempore, & Sanctis, & in Quadrageſima pro ſingulis diebus quatuor ſermones varios. Deceſſit an. 1400. *Fernandez.*

F. Andreutius de Camerino in Theologicis, ac Philoſophicis

phicis versatus, scripsit super libros Phisicorum Aristotelis, & reduxit textum Aristotelis ad formam Sylogisticam.

F. Angelus Negronius de Viterbio mandante Bonifacio viii. scripsit de auctoritate Romani Pontificis anno 1300. *Lusitan.*

F. Angelus de Ciuitate Montis Ilcini scripsit summam casuum conscientiæ, quæ dicitur Lucerna animæ. Panopliam Catholicam, & veri boni Theoremata. Viuebat anno 1590 *Lucarin.*

F. Angelus de Pientia scripsit quinque libros doctos contra Sectam Mahometanam italico sermone impress. 1596. & de S. Iubileo lib. 4. impress. Romæ an. 1575. & Venetijs 1600. *Lucarin.*

F. Angelus de Senis scripsit super Prædicabilia Porphirij, super Prædicamenta Aristotelis, super lib. Phisicorum, & de Anima. Viuebat an. 1575. *Lucarin.*

F. Angelus Paciuchellus de Monte Politiano doctus, theologus, piusque, ac facundus concionator edidit Italicè super Ionam Prophetam tom. 3. Tractatum de Pœnitentia. Alium de Passione D. N. Iesu Christi, & latino sermone expositionem super Epist. ad Romanos: super canticum *Magnificat*. Super salutationem Angelicam: super *Salue Regina* & alia plura præparabat, quæ morte præuentus non compleuit. Obijt in hoc conuentu Mineruæ dum in Quadragesima conciones ad populum haberet 14. Martij an. 1660. Prouincialis Romanus, vt vidimus.

F. Angelus Rampi Florentinus scripsit Italicè *la Fionda Dauidica* pro Rosario B. Virg. contra blasfemias Caluini. Viuebat an. 1646. vt vidimus.

F. Angelus Nuzza de Grottola scripsit Quadragesimale cui tit. *La Tromba Euangelica* impress. Romæ 1653. morietur hoc anno 1669. in Mari mersus, dum deuotionis causa Masiliam pergeret sacras Reliquias B. Mariæ Magdalenæ veneraturus.

F. Antonius de Senis Episcopus Lunen. scripsit commentaria

taria in lib. S. Augustini de Ciuitate Dei. Obijt an. 1363. *Lucarin.*

F. Antonius Pauli scripsit hystoriam, & Miracula B. Virg. de Saxo prope Bibienam. Viuebat 1625. *Lucarin.*

F. Antoninus de Pazzis scripsit Italicè *Dell'eccelenza di Christo*. Discursus theologicos, & morales; super historiam Tobiæ discursus 200. de amore Dei, super tria capitula Genesis de diuina prouidentia, super septem visiones Apocalip. Tractatum de Diuinis attributis; & perfectione religiosa: de vitijs & virtutibus: de Ecclesiastica libertate: Italicè verò, *De la virtù trionfante*: *il Prelato Ecclesiastico*: *il Prencipe Catholico*: *il Cortegiano*. Viuebat an. 1644. *Lucarin.*

F. Archangelus Maria Radus scripsit *La noua scienza d'horologij à poluere, che mostrano, è sonano*. Obiit Perusii an. 1667. vt vidimus.

S. Antoninus Archiepisc. Florentinus scripsit Summam Theologiæ moralem in quatuor partes distributam. Quadraginta & sex sermones de B. Virgine. Summam historialem tribus voluminibus constantem. Summam de casibus conscientiæ. Dialogum Christi cum discipulis euntibus in Emaus. Volumen super cap. 1. Lucæ de Anunciatione, & Salutatione Angelica. Confessionalia duo. Tractatum de decem præceptis, & septem peccatis mortalibus. Euolauit in cœlum anno 1459. 5. Non. Maii ipso Ascentionis D. N. Iesu Christi die. *Fernandez.*

F. Athanasius Nellus Viterbiensis scripsit De origine Imaginis B. Virginis super Quercum de Viterbio. Viuebat an. 1580. *Lucarin.*

F. Augustinus de Monte Alcino scripsit Summam moralẽ de casibus, cui tit. *Lucerna animæ*. Viuebat anno 1605. *Lucarin.*

B.

F. Bartholomeus Pisanus, dictus de Sancto Concordio, scripsit Summam, quę Pisanella dicitur, ab Authore

verò *Magistrucia* nominatur. Super Virgilium, & Tragedias Senecæ. Viuebat an. 1338. *Lucarin.*

F. Bartholomæus Dominici de Senis, vnus ex primis reformatoribus Ordinis, vir doctus, ac prius scripsit, De initio status Fratrum & Sororum Ord. de pœnitentia B. Dominici. Viuebat circa annum 1404. *Fernand. ex Lusitano.*

F. Bartholomæus Lapatius de Vbertinis Florentinus sub Eugenio IV. in Concilio Florentino famosus, scripsit volumina duo concionum de tempore & sanctis Commentaria super ps. quinquagesimum Librum de glorificatione sensuum post resurrectionem. Tractatum de distinctione Spiritus Sancti à Filio, & de eius à filio processione Cardinali Bessarioni dicatum. De sanguine Christi in Cruce effuso, opus Pio II. dicatum. De gloria paradisi, & de Incarnatione. Moritur Coronen. Episcopatu dimisso Florentiæ an. 1466. *Ferrand.*

F. Bartholomæus Spina Pisanus, vir celebris, Magister Sacri Palatij, scripsit contra Petrum Pomponatium Mantuanum tutelam veritatis. De immortalitate animæ, Propugnaculum Aristotelis de animæ immortalitate. Flagellum Astrologiæ in tres libros Pomponatij. Quæstiones de Ordine sacro. Quæstiones tres de Deo contra Caietanum; Quęstiones 4. de personalitate. De primis operibus Angelorum. De formatione animæ intellectiuæ. De vniuersali corruptione generis humani. De conceptione B. Virg. De præsumptuoso appetitu ad Episcopatum; De Simoniaca redemptione vexationis Ecclesiæ. De forma Baptismi. De neutra intentione baptizati. De necessitate Baptismi paruulorum. De forma consecrationis sanguinis Christi. De Strigibus. De necessitate confessionis ante communionem. De Coniugio in gradibus diuino Iure prohibitis. De dispensatione coniugij cum vxore Fratris relicta. Declarationem potestatis Ecclesiæ super gradibus prohibitis. Multa dubia de Simonia. De vsuris. De matrimonijs, & quæstionem de præstantia Alexandri super Salomonem in potestate, & afluen-

fluentia diuitiarum. Moritur anno 1546. *Lucarinus.*

F. Basilius Pisanus concionem habuit in Concilio Tridentino an. 1563. quam impressit cum cœteris concionibus in eodem Concilio habitis *Lucarinus.*

F. Benedictus Vrbeuetanus scripsit sermones de tempore, & sanctis. Viuebat an. 1260. *Fernandez.*

F. Benedictus de Paulo Florentinus, scripsit opusculum quod inscripsit Fons vitæ. Tractatum de sua conuersione, Opuscula in fauorem Sauonarolæ. Viuebat anno 1500. *Lucarin.*

F. Bonauentura Tolomei Senen. vir nobilissimo sanguine ortus, sed maiori sanctitatis stemmate nobilitatus, scripsit de contemptu, & vanitate mundi: de Grauitate peccati, & de damnis, quæ recidiua peccata animæ ingerunt. Tractatum de sui ipsius cognitione. De virtute castitatis. Historiam vitæ, ac miraculorum B. Ambrosij Sansedonij, librum spiritualium collationum, & volumina tria concionum de Sanctis, in quadragesima, & in Dominicis pertotum annum. Obijt an. 1340. *Fernand.*

F. Bonauentura Borsellius de conuentu Senen. S. Dominici impressit vitam Dom. Mariæ Magdalenæ de Vrsinis fundatricis Monasterij S. Mariæ Magdalenę de Vrbe in Quirinali. Romæ apud Tinossium an. 1668. impress.

C.

S. Catharina Virgo Seraphica Senen. scripsit Dialogos in sex tractatus distributos: nec non litteras 364. ad Summos Pont. Cardd. Reges, & Princeps, pro Ecclesia. In cœlum euolauit an. 1380.

F. Carolus Garofanus Perusinus, scripsit Italicè. *Il Ciel stellato. L'Idea celeste. Gl'Applausi Anagrammatici. Il Pelicano suenato. Il tratenimento Eliconico. Il riscatto pietoso per li defunti. L'esposizione delli salmi* 18. *e* 22.

è del cantico Magnificat sopra la B. Verg. Il compendio della Filosofia : e la Sommetta della Theologia morale. Viuit hoc anno 1670.

F. Cherubinus Florentinus scripsit Italicè *Il Confessionale*, in quo de forma manifestandi confessario peccata tractat. Floruit circa annum 1530. *Fernand.*

F. Clarus Romanus Prouincialis, atque Pœnitentiarius D. Papæ scripsit spirituales tractatus circa annum 1230. *Fernand.*

F. Cosmus Rosellius de conuentu S. Marci scripsit de memoria artificiali, & locali, quod opus ab eius germano fratre Damiano Rosellio typis datum est circa annum 1550. *Ex monum. eiusd. conu.*

F. Constantinus Medices Vrbeuetanus Ep. pietate, atq; eruditione clarus, scripsit vitam S. P. Dominici, & ad instantiā F. Ioannis Theutonici composuit officium, quo in festo eiusdem Sancti Patris vtimur Moritur in Græcia Legatus Apostolicus an. 1257. ossibus Perusium postmodum translatis. *Fernand.*

F. Cyprianus de Luca prædicator famosus scripsit librū de confessione sacramentali circa annum 1610. Fuit de conuentu Lucen. *Ex monum. illius conuen.*

D.

S. Dominicus Pater noster gloriosissimus, quatuordecim ferè annorum spatio Europæ regiones verbo Dei replens, hæreticosque confundens, in illorum errores libellum scripsit de sacramento corporis Christi, qui coram illis ter in flammas traditus, ter exiuit illesus penitus, quo facto sic error vincitur, fides extollitur. Magister Sacri Palatij ab Honorio III. institutus, scripsit Paraphrasim in Epistolas D. Pauli. Bononiæ quoque scripsit in Epistolas Canonicas, Psalterium, Euangeliumque Matthæi, & separatim super illa verba cap. 8. *Abeunte Iesu in Nauiculā* & sermones de

B. Virg.

B. Virg. Euolauit in cœlum anno 1221. *Lucarinus*.

F. Dominicus de Montelupo, ſcripſit da Conceptione B. Virg. circa annum 1348. *Gozeus*.

F. Dominicus Ayanus in politioribus litteris optimè verſatus, ſcripſit commentaria in Senecam circa annum 1348. *Fernandez*.

F. Dominicus Petri Nardi Florentini ſcripſit Sermones Quadrageſimales, de Sanctis, & tempore, in Bibliot. Sanctæ Mariæ Nouellæ de Florent. exiſten. Obiit anno 1385. *Lucarin*.

F. Dominicus Pantaleonus Florentinus ſcripſit de peccato originali. De corpore Chriſti. De ſubſtantia Orbis contra Auerroem. De Conceptione B. Virg. & de ſalutatione Angelica. Deceſsit an. 1376. *Lucarin. ex Foſſeuin.*

F. Dominicus Paulacius de Montefaliſco Mag. Ord. Nicolai Rodulphij diſcipulus, & Secretarius, concionator egregius impreſsit conciones quadrageſimales, *& Li penſieri Prædicabili in honore di Maria Verg.* Obijt Patauij Lector Sacræ Script. an. 1646. in Vniuerſitate illa. Fuit de conuentu Graden.

F. Dominicus de Marinis Rom. conuentus Mineruę Archiep. Auenionen. ſctipſit Commentaria in primam partem, in primam ſecundæ: in ſecundam ſecundę, & in tertiam partem Summæ S. Thomę. Moritur an. 1669. Auenioni Iunij 20. vt Vidimus.

F. Dominicus Leonius Florentinus ſcripſit Thomiſticam Matheſim. Viuit hoc an. 1670.

F. Dominicus Ioannis Florentini de conuentu Nouellæ, ſcripſit lib. 4. de laudibus B. Virg. De laudibus quoque Sancti Vincentij Ferrerij, & S. Cathar. Senen. atque hiſtoriam Florentinorum. Deceſsit an. 1483. Florentino Magiſtratu ſumptibus communibus funus celebrante. *Ex monumen. eiuſd. Conuent.*

F. Donatus Carneſechius de Bibiena conuentus Graden. ſcripſit Italicè librum cui tit. *I feliciſſimi Martiri Vincen-*

zo Vescouo di Beuagna, è Benigno suo fratello Diacono restituiti à Treui, circa annum 1660. Decesit Prior eiusd. conuent. Graden. vt vidimus.

E.

F. Eustachius de Pisis scripsit de Rosario B. Virg. libellum impressum Florentiæ per Laurentium de Morgianis an. 1497. vt vibimus.

F.

F. Franciscus de Prato scripsit Quæstiones de Anima, Methaphisicales, & Theologicas. De ente rationis. De terminis Logicalibus. De connexione accidentium cũ substantia. Viuebat an. 1577. *Lucarin.*

F. Franciscus Romeus de Castilione Aretino Mag. Ord. nostri scripsit de libertate, & necessitate operum aduersus Pseudophilosophos, & Pseudochristianos Contra librum cui tit. *Interim*. Introductionem ad animæ immortalitatem ostendendam, Christianè, & Peripateticè deductam, & Epistolas hortatorias ad piè, rectèque viuendum. Moritur anno 1552. *Lucarin.*

F. Franciscus Thomæ Florentini scripsit in Vniuersalia Porphirij. In libros Aristot. Posteriorũm. Quadragesimales conciones. Vertit homilias S. Cyrilli in Isaiam Prophetam de græco in latinum. Obijt Florentiæ anno 1614. *Fernandez.*

F. Franciscus Donatus Romanus de conuentu Mineruæ, F. Gregorij Mag. Sacri Palatij germanus frater scripsit tria opuscula, vnum de Accentibus: aliud de Abreuiaturis linguæ Hæbraicæ, Tertium de Doctrina Christiana, quod opus Poma aurea inscripsit. Hic apud Orientales Indos Apostolicus Missionarius diu fuit, & tandem anno 1635. mense Aprili glorioso pro Christo agone consummato, à Barbaris occisus

occisus, in cœlum truncato capite euolauit, vt supra diximus.

F. Franciscus Lerma Rom. de conuentu Mineruæ Concionator in Italia famosus, qui coram Clemente VIII. pluribus vicibus conciones habuit, scripsit sermones Quadragesimales, & de Sanctis, qui in Bibliotheca nostra Mineruæ custodiuntur. Decessit an. 1631.

F. Franciscus Madalenus Capifferreus Rom. de conuentu Mineruæ Sacræ Congregationis Indicis Secretarius edidit Elenchum omnium librorum prohibitorum vsque ad sua tempora. Moritur Perusij Prouincialis Romanus in visitatione Prouinciæ an. 1632. vt vidimus.

F. Franciscus Orsuccius Lucen. de conuentu eiusdem Ciuitatis post peractum Regentis studij Gen. Rom. Prou. in conuentu Querquen. summa cum laude munus, Opuscula plura scripsit in obsequium Batiss. Virg. Viuebat an. 1646. & paulò post decessit, vt vidimus.

F. Franciscus Maria Samuelius Chusinus edidit de electione Canonica, & de Sepulturis. Obijt an. 1660. vt vidimus.

G.

F. Gabriel Pollionus Viterbien. de conuentu S. Mariæ ad Gradus scripsit additionem ad Historiam Imaginis B. Virg. super Querqum. Viuebat 1610. *Lucarin.*

F. Galganus Senensis Episcop. Massen. in Tuscia scripsit Commentaria in lib. D. Augustini de Ciuitate Dei. Obijt anno 1348. *Lucarin.*

F. Gaspar de Perusio scripsit super Euangelia Quadragesimæ, & in fauorem Magistri sui Pauli de Soncino. Viuebat anno 1513. *Lucarin.*

F. Gregorius Primaticius Senen. Concilio Trident. interfuit, & scripsit in Epistolam Canonicam Iudę, Venetijs 1564. impress. & Tabulam super ius Canonicum. Decessit anno 1578. *Fernandez.*

F. Gregorius Buccatellus de conuentu Gradense scripsit Sum-

Summam de vitijs & virtutibus. Decesit anno 1446. *Ex monumen. eiusdem conuent.*

F. Gregorius Donatus Rom. Sacri Palatij Mag. scripsit Sermones multos in laudem S. Thomæ de Aquino, dictos coram Sac. Cardinalium Collegio. Opuscula quædam super Summam S. Thomæ. Author ipse fuit vt in lucem prodiret S. Thomæ Summa in tom. 12. distincta, Romæ impressa, & ab eodem correcta, quæ Donati Summa dicta est. Decessit in Palatio Apost. anno 1642. vt vidimus.

H.

F. Hanibaldus de Anibalis, Anibaldensis dictus, S. R. E. Card. tit. XII. Apostol. scripsit super lib. Sententiarum & Quodlibeta. *Fernandez.*

F. Hieronymus Sauonarola de Ferraria conuentus S. Marci alumnus scripsit Epitomen Philosophiæ. In 6. priora cap. Genesis sermones 10. & in priora pariter 6. cap. Exodi serm. 14. In Ruth serm. 5. In duo priora cap. Iob serm. 40. In Prophetas, Ezechielem serm. 46. Amos serm. 40. Zachariam serm. 20. Micheam serm. 30. Aggæum serm. 5. Comentarium super 7. Psalmos pœnitent. In psal. 42. serm. 24. In psalmorum varios versiculos serm. 20. In 1. Canonicam Ioannis serm. 19. De Arca Noè Meditationes. Orationis Dominicæ expositionem triplicem. De Triumpho Crucis opus singulare, quod præteritis annis typis S. Congregationis de Propaganda Fide impressum prodijt in Vrbe. Scripsit præterea vernacula lingua. *Della simplicità della vita Christiana. Il* D*ialogo della verità profetica. Manuale de Confessori, e penitenti.* D*e Cambij, delle Vsure*: D*ella Simonia.* D*ella difesa del prossimo.* D*el furto notabile. Contro l'Astrologia diuinatrice* lib. tres, quod opus impressum Venetijs anno 1586. per Bernardinum Staginum est apud huius operis Authorem cum libro Ioannis Francisci

Pici

Pici Mirandulani cui tit. *De iniusta excommunicatione pro Hieronymi Sauonarolæ inocentia* . impreſ. Florentiæ per Laurentium de Morgianis an. 1497. Pridie autem quam moreretur ſcripſit inter imminentes anguſtias Latinas meditationes ſuper pſalmos 31. & 50. Moritur Florentiæ anno 1598. *Lucarin.*

F. Hieronymus Ioannis Florentini Prouincialis Græciæ, qui in Florentino Concilio perorauit, Græcam linguam optimè callens, Procurator Ordinis inſtitutus, ſcripſit duo volumina concionum quadrageſimalium, & Opuſculum de Antiphonis. Moritur anno 1454. ætatis 77. *Fernandez.*

F. Hieronymus Vielmus Venetus; de conuentu tamen Peruſino S. Carolo Cardinali acceptiſsimus, apud quem Theologi titulum conſequebatur, Argolicen. primò, Aemonien. poſtmodum Ep. Concilio Trident. interfuit, in quo libros duos de ſcriptis S. Thomę edidit, ſcripſit præterea. De ſex diebus conditi orbis. De optimi Epiſcopi munere De Epiſcopis titularibus. De reſidentia Epiſcoporum, & Orationem Apologeticam contra detractores theologię. Moritur Venetis anno 1582. die 7. Maij *Ex monum. huius Conuent.*

F. Hieronymus Pollinus Florentinus ſcripſit vitam B. Margaritæ de Caſtello. Nec non copioſam hiſtoriam Angliæ idiomate Italico ab Henrici VIII. tempore vſque ad Elizabeth, vel Hyezabelem Reginam circa annum 1590. cuius ſtatuam tortoreo igni adiudicauit eadem Regina propter hunc librum. *Fernandez.*

F. Hieronymus Mercurius Romanus ſcripſit Italice libros tres prænotatos *La Commare*. Quos vulgauit ſub proprio Scipionis in ſæculo, nomine. Scripſit præterea lib. 7. de erroribus popularibus. Horologium Philoſophicum; nec non & librum cui tit. Aulicus Catholicus. Commentaria item in Torquati Taſsi carmina. Obijt circa. an. 1615.

F. Hiacyntus de Nobilibus ex conuentu Gradenſi ſcripſit hiſtoriam fundationis, & progreſſus ſui conuentus S. Marię ad Gradus de Viterbio. *Ex illius monum.*

ſtri Sacri Palatij,& librum vnum quæſtionum in Apocalipſim quem Sixto IV.dicauit,oſtendẽs beſtiam in cap.13.commemoratam, nempe Antichriſtũ,eſſe Mahumetem pſeudoprophetam cum ſua ſecta. Moritur Romæ ann.1502.*Lucarin.*

Io.Leonis Ro.Epiſc.Larinen.ſcripſit de Concilijs Baſileien. Ferrarien.& Florentino.De Synodo,& Eccleſicaſtia poteſtate. Viuebat ann.1440. *Lucarin.*

F. Io. Maria de Toloſanis à Colle de Conuentu S Marci ſcripſit expoſitionem in difficiliora loca ſac. Scripturæ. De computatione annorum Domini. De correctione Kalendarij pro vera celebratione Paſchæ impreſſ.Venetij ann,1545.quo viuebat: dilucidarium ad Fratrem Zenobium Acciaiolum, & diſputationem de Maria Magdalena ad opuſculum Iacobi Fabri *ex monumen. eiuſd. Conu.*

F. Ioannes Baptiſta Lancius Romanus ſcripſit elencum Scriptorum ordinis;Erat confeſſarius Card.Laurentij Raggi. Viuebat ann.1636. vt vidimus.

F. Io: Michael Vanslebius Erfordienſis Turingus,de Conuẽtu tamen Mineruæ,adhuc in ſæculo in lucem dedit dictionarium,& grammaticam ætiopicam Iacobi Ludolfi vna cum cõfesſione fidei Claudij Regis AEtiopiæ impreſſ. ann.1661. Item ſcripſit poſt reditum ſuum ex AEgipto relationem de ſtatu præſenti AEgipti,& ferè iam abſoluit librum ſynodorũ, in quo continentur plurima Concilia, tam Generalia, quàm Prouincialia, & ordo Baptiſmi Abisſinorum,ex AEtiopica lingua in Latinam translata:opus imprimendum AEtiopicè, ac latinè typis Cong.de Propaganda Fide. Viuit.

F.Ioſeph Maria Ciantes Marſicen.Ep. Romanus de Conuentu Min. dimiſſa Eccleſia in Vrbem reuerſus ſcripſit de Trinitate ex teſtimonijs antiquis Hæbreorum comprobata impreſſ.Romæ ann.1668.de Sanctiſſ.Incarnatione clarisſimis Hæbreorum doctrinis ab eorundem argumentorum oppoſitionibus euidenter defenſa,impreſſ. 1668. Item *Della perfettione douuta allo ſtato del Veſcouo* impreſſ.ann.1669.et D.Thomæ Summam contra gentes de latino in hæbraicam linguam

ver-

Virginis, alphabetico ordine digeſtum bina continens volumina: nec non et vitam Venerab. Sororis Dominicæ de Paradiſo fundatricis Monaſterij, dicti *Della Crocetta*, duobus voluminibus compilatam: moritur in ſuo Conuentu an. 1648. vt vidimus.

F. Ignatius Feſtinus ſcripſit epigrammata plura. Obijt ann. 1617.

F. Ignatius Ciantes Rom. de Conuentu Mineruæ Ep. Sancti Angili, & Biſaccien. ſcripſit Ordinarium Sac. ceremoniarum in diuino officio, & Cœremoniale Ordinis dum eſſet Epſcopus, impreſſ. Neapoli ann. 1654. Moritur Romæ 26. Aprilis 1667.

F. Io. Columna nobilis Romanus Vicarius Dom. Papæ, Arch'ep. Meſſanenſ. & Nicoſien. ſcripſit Mare Hiſtoriarum vſque ad annum 1250. in libros 10. diſtinctum. De viris Illuſtribus Epiſtolas eruditas ad diuerſos. Viuebat ann. 1263.

F. Ioannes Piſtorienſis ſcripſit lecturam in 4. lib. ſentent. contra correptorium S. Thomæ. De Tranſubſtantiatione panis, & vini, in Sacramento de Aduentu Antichriſti. de vnitate eſſe, & eſſentia in Creaturis. Ferunt vixiſſe anno 1295. *Lucarin.*

F. Ioannes Gorinus de S. Geminiano ſcripſit ſummam de Exemplis, & Similitudinibus. Sermones de tempore, & Sanctis, Librum collationum variarum. Legendam Petri de Fulgineo. De opere 6. dierum. Sermones funebres Coloniæ 1611. & 1616. impreſſos. Dialogos inter Chriſtum, & Latronem, atque Abelem, & Cainum. Sermones in peruigilio Paſchatis. Meditationes in Euangelia: diſtinctiones, & cordiale de quatuor Nouisſimis. Deceſſit an. 1323. *Lucarin.*

F. Ioannes Romanus ſcripſit ſpeculum hiſtoriale adinſtar Vincentij Bellouacenſis circa ann. 1262. *Fernand.*

F. Io. de Viterbio ſcripſit tractatum in forma Dialogi contra hæreticos ſui temporis ſub Pontificatu Clementis Papæ IV. *Ex Monumen. Conuent. Graden.*

F. Io. Dominici Florentinus S.R.E. Card. S. Antonini præ-

F. Iacobus Castelbonus Perusinus Ep. Florentinus scripsit Sermones prædicabiles. Decessit in sua Ecclesia an. 1286. *Lucarin.*

F. Iacobus Scalza Vrbeuetanus scripsit Sermones Prędicabiles. Viuebat 1262. *Plodius*.

F. Iacobus Cinus de S. Andrea dictus patria Collensis Termulanus Ep. scripsit super 4.lib.Sentent. Sermones Quadragesimales, Dominicales, & de mortuis, & redegit in seriem alphabeti librum Ethymologiarum S. Isidori. Moritur circa annum 1380. *Lucarin.*

F. Iacobus Columna Rom. nobilissimis ortus natalibus scripsit Chronicon egregium vsque ad an. 1340. quod S. Antonino in componendis historijs vtile fuit. Viuebat eodem tempore. *Fernandez.*

F. Iacobus Naclantes Florentinus de conuentu S. Marci Clugien. Ep. vnus ex insignioribus PP. qui Concil.Trident. astitère, scripsit in Epistolas ad Romanos, & Ephesios. Medullam Sac. Scripturę in 16. tractatus distributam. Suntq; sequentes. De existentia, & modo existendi Corporis Christi. De communione nobis præcepta. De summo Sacerdotio Christi. De Regno Christi. De Hierarchia Ecclesiastica. De Episcoporum institutione. De Primatu Petri. De Auctoritate Papæ, & Concilij. De Actis Concilij approbatis à Papa. De Indulgentijs. De Episcoporum residentia. De Sacramento Matrimonij. De Missę sacrificio. De irritandis clandestinis Matrimonijs. De Arreptis. De Monte pietatis. Scripsit præterea in alio volumine Theoremata Logicalia 14. Methaphisicalia 16. Naturalia 12. De alimento. De sensibili, & sensu. De regula posita à Philosopho in calce 7.lib. Phisicorum. De Creatione rerum. De Animę immortalitate. De Rerum contingentia. De Infinitate primi motoris. Scripsit & super Psal. 90. Moritur 6. Martij an. 1569. *Sixtus Senen.*

F. Iacobus Viterbiensis ex Procuratore Ord. Tarentinus Archiep. creatus scripsit oposculum de venditione, dicatum

M.

FRater Matthæus Vrſinus S. R. E. Card. nobilis Rom. ſcripſit De Auctoritate Eccleſiæ. Obijt anno 1341. *Lucarin.*

F. Marcus Arighettus de conuentu S. Marci ſcripſit Expoſitionem ſuper Pſalterium Dauid. *Ex monum. eiuſd. conuen.*

F. Martialis Auribellus Mag. Ord. compoſuit Officium S. Vincentij Ferrerij, quo nos vtimur. Moritur 1473. *Lucarin.*

F. Matthæus Marinettus de Conuentu Querquen. ſcripſit expoſitionem vulgarem ſuper pſalmum 50. *Ex monum. eiuſd. conuen.* circa an. 1500.

N.

FRater Nicolaus Fortiguerra Senen. Ep. Alerien. ſcripſit ſuper Iſaiam, Ezechielem, & Danielem; In epiſtolas D. Pauli. In Apocalypſim. Super 4. Euangelia, ſermones Quadrageſimales, Dominicales, & de Sanctis: De duabus naturis in Chriſto. De Cœlibatu. De Officio Paſtoris, & ſuper Dijoniſium de Diuinis nominibus. Super Orationem Dominicam. De S. Nicolao Ep. Obijt an. 1270. *Fernand.*

F. Nicolaus Card. de Prato ſcripſit librum De Paradiſo. Moritur an. 1322. Auenione. *Fernand.*

F. Nicolaus de Alexijs conuentus S. Marci alumnus Gen. Inquiſitor Vmbriæ ſcripſit 4. lib. Regum carmine heroico: eodemque vitas Virorum Illuſtrium Ordinis, qui vſque ad annum 1577. claruère compilauit. Scripſit preterea ſuper Logicam, & Philoſophiam Ariſtotelis. De Summo Bono. De Euchariſtia. De SS. Trinitate. Duo volumina concionum. Super libros Ioſue, Iudicum & Ruth. moritur Peruſij an. 1583. *Lucarin.*

F. Nicolaus Columbus Peruſinus ſcripſit Lucubrationes plures eruditas ſuper Sacram Scripturam. Moritur ſub Clemente VII. circa annum 1530. *Lucarin.*

F. Nicolaus Sciomberg. Suueuus, de conuentu tamen S. Marci de Florentia, scripsit epistolas plures, inter Principum Epistolas recensitas. Orationes 5. de Pugna in deserto Christi cum Diabolo, quas habuit in pontificia Capella Procurator Ord. Decessit S. R. E. Card. an. 1537. *Lucarin.*

F. Nicolaus Barberius scripsit Italice *La prodiga figliola* idest *Il Raguaglio dell' attioni della B. Margarita di Cortona*. Item *La vita del B. Guido da Cortona*, aliaque opuscula. Viuit hoc anno 1670. in Montepolitiano.

F. Nicolaus Berardus scripsit Italice *Il Geremia piangente. Mosè trionfante. Conclusioni predicabili. Leggi d' affetti sagri. La fenice di Castiglia* idest *La vita del P.S. Domenico: l' Eugenia. Guglielmo d' Aquitania. La solitudine errante.* Viuit hoc anno 1670.

F. Nicolaus Rodulphius Conuentus Mineruæ, Mag. Generalis Ord. scripsit pro Nouitijs: *Il breue modo di far l' oratione mentale*, vt vidimus: moritur in Mineruæ conuentu anno 1650.

P.

PRædicatorum Ord. Fratres anno 1252. edidère doctum tractatum, in quo Græcorum errores refellebant, & schisma detestabantur. *Spondanus eod. an. num. XII.*

F. Paulus de Pilastris Florentinus, Patriarcha Gradensis scripsit Commentaria in Aristotelem, & notas ad nouum testamentum: moritur in sua Ecclesia an. 1313.

F. Paulus Romanus Bonifacio IX. à sacris confessionibus scripsit librum de B. Catharina Senen. alterum concionum diuersarum, & opuscula quedam. *Plodius lib.* 1.

F. Paulinus Bernardinus Lucensis, vir pijssimus & doctus scripsit librum cui tit. *Concordia contra hereticos*. Quodlibeta de Attributis, quæ Deo conueniunt. De Trinitate, Angelis, Incarnatione, Gratia, & Sacramentis. Indicem quoque præcipuarum sententiarum, quæ continentur in Commen-

mentarijs nostri Card. Caietani:moritur an. 1585.*Plod.lib.4.*

F. Paulus Guastaferrus Perusinus concionum quadragesimalium volumina duo scripsit, duoque alia de sanctis & de Tempore circa annum 1275. *Lusitan. in Bibliot. & Fernand.*

F. Paulus Grisaldus Perusinus scripsit Decisiones Fidei Christianæ ex Sac. Scriptura,Concilijs, & Patribus collectas & alphabetico ordine digestas quod opus impressit Venetijs anno 1587. *Lucarin.*

F. Paulinus Berti Lucensis collegit in vnum opera omnia Alberti magni, quam collectionem Tesaurum omnium scientiarum impress. Venetijs an. 1615. *Lucarin.*

F. Petrus Castrucius Florentinus scripsit Hebdomadam historicam. Centurias duas axiomatum politicorum,& moralium. Viuit hoc anno 1670.

F. Petrus Martyr Frosciantes de Collescipionis conuentus Spoletani alumnus scripsit. *De Sacri chiodi di N. Signore, è di quello si conserua in S. Saluatore di Spoleto del nostro Ord.* Viuit hoc anno 1670.

F. Petrus Fratinus de Florentia scripsit eruditam Epistolam in vestibulo operum Fratris Iacobi Naclantis Episcopi Clugien. & alia. Viuebat an. 1567. *Lucarin.*

F.Petrus Martyr Buccionus Rom.de Conuentu Querquen. scripsit miracula B.Virg.super querqũ Viuebat 1600.*Lucarin.*

F. Petrus Martyr Naldinus scripsit vitam Venerab. Sororis Mariæ Benignæ de Seruis monialis S.Clementis de Prato ex ord. nostro,impressam Venetijs an. 1663. ab eodem Authore,vt vidimus.

F. Petrus Pichius de Trebio in hæbræa lingua versatissimus, atque in Vrbe hæbreorum per 20. ferè annos prædicator feruidus, quapropter multi ex ipsis, & ex Rabinis præcipuis,depositis perfidiæ tenebris,ad veritatis Euangelicæ lucem accesère. Scripsit de B. Virginis partu aduersus Iudeos: præterea italico sermone *Vn Epistola à gli Hebrei d'Italia,in cui dimostra la vanità della loro penitenza,& aspettatiene del Messia contro gl' istessi. Le stolte dottrine dell' Hebrei.* Moritur

apud Trebium circa annum 1637. vt vidimus.

F. Petrus Paulus Philippius de Conuentu Mineruæ scripsit Logicalia quædam, & Introductionem ad doctrinam 2. libri misticæ Theologiæ Henrici Harpij. Viuebat an. 1621. *Lucarin.*

F. Petrus Paulus Giannerinus Aretinus Sac. Palatij Mag. scripsit super lib. Phisicorum, & Metaph. Arist. de cælo, & mundo. De generatione, & corruptione. In Politicam, & etiam, & in lib. Sententiarum. Tridentino Synodo theologus interfuit. Moritur an. 1564. *Plodius.*

F. Petrus Martyr Romanius à Balneoregio. Scripsit Carmina in laudem B. Virginis. In Rosarium eiusdem. De Columba cœlesti, & Historiam B. Mariæ super Quercum; nec non sermones de Rosario. Viuebat an. 1646. vt vidimus.

F. Petrus Paulus de Cianciano ex Conuentu S. Dominici de Senis scripsit volumen concionum, aliaque opuscula circa an. 1470. *Fermand.*

F. Petrus Strozius nobilis Florentinus scripsit super Aritmeticam circa annum 1360. *Plodius.*

F. Petrus Antonius de Viterbo in politioribus litteris egregiè versatus scripsit volumen concionum, & carmina multa circa annum 1480. *Fernand.*

F. Philippus Guidius Serenniss. Principissæ Vrbini à sacris confessionibus scripsit vitam Venerab. Sororis Catharinæ de Riccis Sanctimonialis monasterij nostri S. Vincentij de Prato impressam Florentiæ an. 1622.

F. Pius Manardus Camerinen de conuentu S. M. super Mineruam, socius Reuerendissimi P. Magistri S. P. Apost. scripsit vitam Sororis Iuliæ Ciccarllæ de Camerino fundatricis monasterij. S. Catariæ eiusdem ciuitatis, quæ cum opinione sanctitatis obijt an. 1621. impressam Romæ apud Mancinum an. 1668. vt vidimus.

F. Ra-

R.

FRater Raphael Columbus Florentinus ſcripſit lib. concionum Quadrageſimalium, & feſtiuitatum totius anni viuebat 1618. *Lucarin.*

F. Reginaldus de Piperno Doctoris Angelici diſcipulus, ſocius, & confeſſarius, cui S. opuſcula quædam dicauit, ad Epiſcopatum Marſicen. promotus ſcripſit Librum ſermonum. Opuſcula quædam in Pſalterium Dauidis, in Epiſtolas Pauli, & libros de Anima. Lecturam ſcolaſticam in Euangelium Ioannis incipientem : *Vidi Dominum* circa annum 1290. *Lucarin.*

F. Raimundus Capiſuccus Romanus, de quo in noſtro Syllabo Magiſtrorum Sacri Palatii, edidit ſequentia. Orationem in laudem S. Thomæ Aquinatis. Sermones in Sacello Pontificio ſuo tempore habitos Vitam B. Ioannis Chiſii. Anno verò 1670. Luculentum opus edidit in defenſionem doctrinæ D. Thomæ ſub hoc titulo. *Controuerſiæ Tehologicæ Selectæ, Scholaſticæ, Morales, Dagmatiæ, Scripturales, ad mentem D. Thomæ Doctoris Angelici reſolutæ, cuius dogmata inconcuſſa, tutiſſimaque demonſtrantur.* Edenda habet ſequentia. Quæſtiones Theologicas ad Sacrum fibei Tribunal ſpectantes. Reſolutiones morales, & Opuſcula varia. Viuit.

F. Reginaldus Lucarinus de Trebio Ep. Ciuitatis Plebis Vir poctiſſimus, & eruditiſſimus, de quo ſupra, ſcripſit Notaitones in Regulas, inſcriptionem, Authores, & libros indicis librorum prohibitorũ tom. 3. quod opus manuſcip. in bibliotheca Vaticana cuſtoditur. Maſſam auri : hoc eſt expoſitionem ſacræ ſcripturę veteris, & noui teſtamenti ex D. Thomæ Aquinatis Eccl. Doctoris ſparſis vbique operum eius ſententijs conflatam tom. 7. quæ modo imprimenda eſt. Manuale Thomiſticarum controuerſiarum in duas partes diſtributũ, impreſſum Romæ per ſucceſſores Maſcardi an. 1666. in quarũ prima S. Thomas ab omni obiecto errore vindicatur. In

2. au-

2. autem eiusdem S. doctrina in suis sententijs semper costans ostenditur. Responsiones ad obseruationes Magistri cuiusdã super conclusiones præfati manualis. Episcopum Regularẽ seu tractatũ de Regulari assumendo, & assumpto ad Episcopatum, impress. Romæ per Caballum 1659. Tertiam, & nonã Synodũ Diœcesanam impress. Perusii in Typogra. Episcopali an. 1669. Disputationẽ de sententia S. Thomæ Doct. Angelici in controuersia de Conceptione Beatiss. Virginis Immaculatæ. Scripsit præterea (non tamen vsque modo impresit) Catalogiam chronologicam scriptorum Ord. atque virorum Illustrium eiusdem in tomos duos distinctam. Responsiones ad dubia sibi proposita: nec non *Li Colloquij Spirituali sopra li Cantici di Salomone*. Viuit in sua Ecclesia eruditissimus Pastor, sedulam gregis sibi commissi curam gerens, & viuat diu in pauperum solatium, studiosorum commodum, & ordinis ornamentum, hoc anno 1670.

F. Remigius Clarus Florentinus doctor Parisinus celebris scripsit super sententias. Volumen theologicarum quæstionum per alphabeticam seriem. Quodlibeta, in quibus sunt 17. tractatus de modis rerum. Opus Philosophicum. Duo sermonum volumina, vnum de Sanctis, aliud de tempore. Obiit Florentiæ ann. 1309. Scripsit quoque arborem Summ. Pontt. Cardd. Archiepp. Epp. Sanctorum, ac Beatorum Ordinis nostri. *Lucarin.*

F. Remigius alter de Florentia scripsit tractatũ de Summi Pont. auctoritate, de residentia Episcoporum. In Italicam linguam vertit euangelia, & epistolas, quę per totum annum leguntur in Ecclesia. Dauidicos psalmos Hætruscis carminibus concinnauit. In vnum collegit præstantiores orationes, tum latina, tum italica lingua conscriptas, quas patrio sermone edidit. Marci Maruli librum de beatè, & benè viuendo è latino in Italicum sermonem vertit. Scripsit pręterea in sacros vtriusque testamenti libros annotationes eruditas. Vocatus fuit Romam à Sanctiss. Pio V. & præfectus nouis typis operum S. Thomæ excudendorum ann. 1669. *Fernand.*

F. Ri-

F.Richoldus Florentinus suscepta in Asiam peregrinatione alchoranum Mahumetis ex Arabico in latinum idioma vertit,& copiosis commentarijs impugnauit, quam confutationem in græcum transtulit Demetrius Cidonius.Scripsit et alterum librum,cui tit. *Improbatio Alchorani*. Obijt Florentiæ ann.1309. *Fernand.*

F.Robertus Rannucius Florentinus scripsit super dialecticam Aristotilis, & super rethoricam, circa anno 1510. *Plodius.*

S.

F. Sanctes Mormochinus Florētinus scripsit,at quo tēpore,in certum est, dialogum de tēpore, & dissertationem de festis mobilibus. Obijt in Conuentu S.Marci de Florentia *Plodius.*

F.Sanctes Pagninus Lucensis, concionator Apostolicus, sacris litteris eruditissimus,Græcę,Chaldaicæ,Syriacæ,& Hæbraicę linguarum peritissimus, vetus testamentum ex Hæbraico in latinum vertit: nouum testamentum ex Græco latinæ fidei reddidit.Edidit interpretationem Chaldearum,atq; Græcarum dictionum,quæ in sacris litteris continentur.Thesaurum linguæ sanctæ,hoc est Lexycon ex omnibus Hæbraicis Rabinorum dictionarijs collectum,quod à Ioāne Mercurio,& Antonio Caruallario caluinistis corruptum Romanum Index proscripsit. Isagoge ad sacras litteras, seu ad misticos scripturæ sensus impress.Lugduni an.1536.Cathenam argenteam in Pentateuchon continentem volumina septem.Scripsit præterea in psalterium Dauidis,& grammaticam hæbraicam. Obiit Lugduni 9. Kal. Septemb. ann. 1541. *Lucarin.*

F. Sanctius Arena Florentinus scripsit primam, & secundam partem horti spiritualis aduersus pertinaciam hæreticorum. Moritur apud portum Hærculis ann.1574.*Lucarin.*

F.Sebastianus Castellettus Romanus scripsit vitam S.Raymundi,& librum de S.Cæcilia:viuebat anno 1600.*Lucarin.*

F. Se-

F.Sebastianus Caccinus de Conuentu S.Dominici Senen. scripsit vitam Venerab. Sororis Catherinæ de Lenzijs Ord. nostri, impress. Viterbij ann. 1651. vt vidimus.

F.Sebastianus de Perusio scripsit vitã, & gesta B. Columbæ de Reate Ord. nostri tempore Alexandri Papę VI. quam vidimus.

F. Seraphinus Razius de Conuentu S. Marci scripsit centum casus conscientiæ. Hortum exemplorum. Vitam Venerab. Sororis Catherinæ de Riccis Ordinis nostri. Prælectiones de locis theologicis Melchioris Cano, quos in epitomen redegit. Quatuor tomos concionum super euangelia totius anni. Summam casuum moralium. Volumina tria de Sanctis, & viris Illustribus Ord. nostri. Alterum de Fratribus Prouinciæ Romanæ, sanctitate, litteris, ac dignitate conspicuis. Librum de BB. Maria Magdalena, Lazero, & Martha. De S.Osanna de Cataro: de S.Catarina Senen. de SS.Hyacinto, & Vincentio Ferrerio: Scripsit & vitam Ioannis Taulerij. Historiam dominij Ragusini. Conciones Sanctorum. Libros de cõcionibus pænitentiæ, & de defectibus linguæ: tomũ de Angelis. lib. 4. de Sphera orbis. Vitam Regis Dauid. Super Ruth, & Esther. de anima, & metheoris: summam casuum prænotatam gemma confessorum, coronam Angelicam, commentaria super Logicam, ac summulas Petri Hispani: Super Philosophiam naturalem Aristotelis, et de Physico auditu. Viuebat ann. 1615. ætatis 84. annorum. *Fernand.*

F. Serafinus Bancus de Conuentu Fesulano scripsit librũ de Rosario B. Virg. in Cõgregatione Gallicana regulari obseruantiæ deditus, ann. 1616. *Fernand.*

F. Simon de Angelis confessor venerabilis Virginis nostræ sororis Catherinæ de Lenzijs, eius gesta, vitam, ac miracula compilauit, prout vidimus, quæ in Cœlum euolauit anno 1492.

F.Simon de Bertis scripsit Diuersorium concionatorum, in quo integrum quadragesimale, ac sermones sexaginta continentur. Moritur Lucæ ann. 1591. *Lucarin.*

F.Sixtus

F. Sixtus Senensis ex Hebręo doctissimo Rabino Christianus effectus, opera Fratrum nostrum Prædicat. Zelo Catholicæ fidei adeo illuxit vt Pio. Pont. sanctissimo gratissimus fuerit; callebat enim Hæbraicam, Syriacam, Græcam, Latinamque linguam. Scripsit de vsu Concordantiarum Sacrorum Bibliorum, Astronomicarum quæstionum, & Geographicarum, super varios sacræ script. libros, ac textus. Super Epistolam ad Romanos, & Euangelia quadragesimalia, & Sanctorum; nec non solemnitatum totius anni. Homiliarum tomos sex. Scripsit & in totum Bibliorum corpus Bibliothecam sanctam octo libris distributam. Moritur Genuæ an. 1569. ætatis 59. *Lusitanus*.

T.

FRater Tancredus de Tancredis Senensis scripsit Centuriam concionum panegiricarum: de Sanctiss. Virginis encomiis, aliosque sermones. Viuebat an. 1241. *Lucarin.*

F. Thadeus Dini Florentinus Concionum summam magnam ad omnem materiam composuit, cuius exemplaria in multis conuentibus reperiuntur. Moritur Florentiæ anno 1359. *Fernand.*

F. Thadeus Vrbeuetanus in politioribus, sacrisque litteris versatissimus scripsit Commentaria super lib. S. Augustini de Ciuitate Dei circa annum 1470. *Lusitan.*

F. Theophilus Fedinus Florentinus in sacra pagina edoctus scripsit Italico sermone expositionem super psal. 118. & super psal. pænitentiales: super Orationem Dominicam: super psal. Graduales, & super psal. *In exitu Israel de Egipto*. Viuebat an. 1566. *Plodius*.

S. Thomas de Aquino Doctor Angelicus, diuinæque voluntatis Interpres, huius Romanę prouinciæ germen nobilissimum multa scripsit, eiusque opera purioribus authographis, mandante Pio V. Pont. Max. prodière Romæ an. 1570. in tom. 17. distributa.

Primus tomus continet Commentaria in primum librum Perhiermenias Aristotilis, cuius librum 2. à S.Thoma prætermissum commentatus est Gaietanus, & in lib. Posteriorum Analiticorum eiusdem.

Secundus tomus continet Commentaria in octo lib.Physicorum. In lib.4. de Cælo, & Mundo, & In lib. 2. de Generatione.

Tertius tomus continet Commentaria. In lib. 4. Metheororum. In lib. De Anima, &in parua naturalia.

Quartus tomus continet Commentaria in lib. 12. Metaphysicorum. Tractatum de Ente, & Essentia, & Expositionem in lib. de Causis.

Quintus tomus continet Commentaria in librum 10. Aethicorum, & in lib.8. Politicorum.

Sextus tomus continet Commentaria in primum, & secundum Sententiarum.

Septimus tomus continet Commentaria in tertium, & quartum Sententiarum.

Octauus tomus continet Quæstiones disputatas, & quodlibeta.

Nonus tomus continet Summam contra Gentiles.

Decimus tomus continet Summæ Theologiæ primã partem, & expositionem librorum D. Dionisij.

Vndecimus tomus cõtinet volumina duo, videlicet Summæ Theologiæ primam secundæ, & Secundam secundæ.

Duodecimus tomus continet Tertiam partem Summæ.

Tertius decimus tomus continet Commentaria in Iob. in vnum, & quinquaginta Salmos. In Cantica Canticorum. in Isaiam, in Ieremiam, & Threnos.

Quartus decimus tomus continet Commentaria in Matthæum, & Ioannem: Commentaria autem, quæ scripsit in Lucam & Marcum perierunt.

Quintus decimus tomus continet Catenam Auream, opus quod ex SS. Patrum sententijs contextum, Euangelium quatuor Euangelistarum exponit.

Sex-

Sextus decimus tomus continet Commentaria in omnes Epiſtolas D. Pauli, & ſermones de tempore, & de Sanctis, quorum originale in Vaticana Bibliotheca cuſtoditur.

Decimus ſeptimus tomus continet 73. opuſcula,& ſcriptum 2. in 4. lib. Sententiarum ad Hanibaldum.

Scripſit quoque S. Doctor Commentarium aliud primi Sententiarum, quod Ptolomeus Lucenſis Epiſcop. Torcellanus D. Thomæ diſcipulus in ſuis Chronicis teſtatur ſe manuſcript. in conuentu noſtro Lucenſi ſe vidiſſe; Sed euanuit ad oculis noſtris.

Præterea Caſtillus in chron. Ord. noſtri p. 1.lib.3.cap.31. refert S. Doctorem ſcripſiſſe quoque ſermones quadrageſimales, Octo libros concionum, & collationes, quæ tamen vſque in hodiernum diem non prodière in lucem, *Script. Ord.*

F. Thomas Agni de Leontino,qui dum conuentui S.Dominici de Neapoli Prior præſideret, S Doctorem Angelicum ad Ordinem recepit, ſcripſit lib. Sermonum, & res geſtas à S. Petro Martyre. Deceſſit Patriarcha Hieroſolymitanus anno à Redemptore nato 1276. *Lucarin.*

F. Tomaſellus de Peruſio S. Thomæ diſcipulus, doctiſſimus theologus ſcripſit ſuper Magiſtrum ſententiarum. Moritur Peruſij an.1285. *Lucarin.*

F.Thomas Caſſanus Florentinus ſcripſit volumen inſcriptum Sermones extrauagantes. Obijt in Vrbeueteri an.1528. Maij 2. *Lucarin.*

F. Thomas Gratianus Peruſinus ſcripſit de Bireto rubro dando Cardinalibus Regularibus, quod opus Card. Alexandrino Pij v. Pronepoti dicauit. Gregorius xiv. conceſſit Regularibus Cardd. Biretum rubrum, & Innocentius iv. in Concilio Lugdunen. 1. Galerum ipſum rubrum. Viuebat Gratianus an.1591. *Lucarin.*

F.Thomas Matthæus de Sardis Florentinus ſcripſit Italico carmine opus in tres libros diſtinctum ſub nomine Animæ peregrinantis, ad Magiſtratum, & conſiliarios Reip.

Florentinæ. Moritur Florentiæ in suo conuentu S. Mariæ Nouellæ 17. Octob. 1517. *Lucarin.*

F. Thomas Bandonus Lucensis de conuentu Querquensi scripsit de B. Maria super Quercum, & eius miraculis: viuebat an. 1636. vt vidimus.

F. Thomas Boninsegna Senensis; de conuentu tamen S. Marci, scripsit duos tractatus morales nobilissimos, de cambijs, & venditione ad tempus: & de Incarnatione ac Angelis: erat Magni Ducis Etruriæ Theologus, & viuebat an. 1600. vertit quoque in latinum tractatum de Astrologia Sauonarolæ. *Ex monumen. eiusd. Conu.*

F. Thomas de Strozzis Florentinus, dum esset Vicarius Nephesinus scripsit Confessionale, in quo recenset inuentionem corporum, cum Martyrio S. Tholomæi, & sociorum, circa annum 1542. quod viximus.

F. Thomas Antonij de Senis scripsit vitam S. Catharinæ Senen. compilauitque gesta, & miracula eiusdem pro processu canonizationis construendo, illiusque Epistolas in vnũ collegit. Scripsit quoque de confirmatione Ord. nostri: & gesta S.P. Dominici, nec nõ librum de merito vitæ religiosæ. Obijt an. 1430. *Fernand.*

F. Thomas Nerius Florentinus, vir pius, scripsit librum eruditum pro doctrina F. Hieronxmi Sauonarolæ circa annum 1512. *Flodius.*

F. Thomas Caccinus de conuentu S. Marci scripsit etrusca lingua Historiam Concilij Niceni. Scripsit & Ecclesiasticam historiam à nato Domino ad annum, vsque 202. impresso primo volumine Florentiæ an. 1639. secundum verò dum Lucæ sub prælato esset, non fuit perfectum, è mortalibus sublato authore, an. 1648. vt vidimus.

F. Thomas Tomasonus Rom. de Conuentu Mineruæ Episcopus Vmbriaticen. scripsit librum impressum Romæ apud Ignatium de Lazaris an. 1656. prænotatum: Decretorum Apostolicæ Sedis Conciliorum, Sac. Congregationum. & Patrum Aurea Catena, vt vidimus.

Fra-

V.

FRater Valerius de Camerino Philoſophus præſtantiſsimus ſcripſit 150. quæſtiones de Metaphiſica: moritur Peruſij anno 1550. *Lucarin.*

F. Vbaldus de Luca ſcripſit opus in 12. lib. diſtinctum, cui *Collationes Sententiarum Doctorum Sanctorum* titulum dedit. Opuſcula quædam de expoſitione quarundam auctoritatum Sac. Scripturæ. Item de Ciuitate Beatorum. Item de Dotibus corporum, & animarum Beatorum. Aliud de Ciuitate Babilonis. Aliudque de ſeptem vitijs capitalibus. Quæ omnia in eodem continentur. *Ex monum. huius Conu.*

F. Vbertinus de Albizis Florentinus, Epiſcopus Piſtorien. ſcripſit Commentarium in Metaphyſicam Ariſtotelis. Obijt 1424. *Plodius.*

F. Vgolinus de Camerino S. Palatij Mag. ſcripſit Sermones de Sanctis, de B. Virgine, & Quadrageſimale. Viuebat an. 1390. *Plodius.*

F. Vincentius Herculanus Peruſinus Apoſtolicus Inquiſitor in Belgio, & Peruſinus Epiſcopus ſcripſit Cõmentarium ſuper Petrum Hiſpanum. Super tractatum D. Thomæ de Fallacrijs: ſuper Prædicabilia Porphirij: ſuper plures libros Ariſtotelis. Sententias prædicabiles. Rituale ad Parochos pro certa adminiſtratione Sacramentorum, & *Dieci ricordi ſpirituali.* Moritur in ſua Eccleſia anno 1586. Octob. 26. *Luſitanus.*

F. Vincentius Mainardus de S. Geminiano compoſuit officium, & miſſam cũ cantu, quibus vtitur Ordo in feſto S. Antonini Archiep. Florentini: ſcripſit & vitam eiuſdem iubente Clemente VII. Pont. Max. viuebat anno 1530. & erat de Conuentu S. Marci. *Ex monum. eiuſd.*

F. Vincentius Bonardus Ep. Hieracen. ſcripſit de virtute cerei Agni. Moritur in ſuá Eccleſia an. 1601 *Plodius.*

F. Vincentius Candidus Siracuſanus de Conuentu Miner-

neruæ, vitæ sanctitate celebris, & Sac. Palatii Mag. scripsit Disquisitionum Moralium tom. 4. & de Primatu D. Petri, Moritur in Quirinali anno 1654. vt vidimus.

F. Vincentius Fanus Viterbien. de Conuentu Gradensi, Sac. Congreg. Indicis Secretarius edidit Indicem librorum prohibitorum, Romæ impressum: viuit hoc anno 1670.

F. Vincentius Maria Fontana de Melide, Comen. diœcesis, Equitis Dominici Fontana, in Architecturæ scientia præstantissimi, Romanorum Obeliscorum sub *Sixto* v. Pont. Max. restitutoris, pronepos, ex Conuentu S. Mariæ super Mineruam scripsit sequentia.

Omnium Capitulorum Generaliũ Ordinis, decreta à S. P. Dominico vsque ad ann. 1650. inclusiuè, in vnum volumen digesta compilauit, cui titulus. *Constitutiones, Declarationes, & Ordinationes Capitulorum Generalium Ord. Præd. ab anno* 1220. *vsque ad* 1650. *emanata*. Impress. Romæ per Franciscum Caballum ann. 1655. Historiam fundationis, translationis, & progressus nobilissimi Monasterij S. Catharinæ Senensis de Vrbe, quam manuscriptam apposuit principaliori libro eiusdem Monasterij inscripto: *Ab Ingressu*, dum earundẽ Sacrarum Virginum Confessarius esset anno 1658. Syllabum Magistrorum Sacri Palatij à S. P. Dominico, vsque ad F. Raymundum Capiluccum, tunc temporis S. Pal. Magistrum, impressum in Vrbe per Nicolaum Angelum Tinassium anno 1663. Sacrum Theatrum Dominicanum, in quo de Viris Illustribus Ecclesiasticis præfecturis agitur: & in Prima parte recensentur Pontifices Max. S.R.E. Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates. In Secunda verò referuntur Ministri Sedis Apostolicæ, videlicet, S. R. E. Vice Cancellarij, Maiores Pœnitentiarij, & Camerarius: nec non Summus Inquisitor, Papales Vicarij, Vicarij D. Papæ in Vrbe, Legati de Latere, Nuntij Apostolici, Apocrisarii, & Commissarii Apostolici, Collectores Spoliorum, Patres in Concilijs, & operata ab ipsis in illis. Recensentur prætérea, Defensor Fidei, Magnus Vrbis

Prior,

Prior, Vicesgerens, & Præceptor Archiospitalis S. Spiritus de Vrbe, Auditores Sacræ Rotæ, Cappellani Dom. Papæ, Bibliothecarij Apostolici, Sacræ Congregationis Indicis Secretarij, Pœnitentiarij Apost. Examinatores promouendorum ad Ecclesiarum regimen, Prædicatores Iudæorum, Custos Conclauis, & Conclauia apud Prædicatores habita: Procuratores Generales Ord. Insuper & Vicarius Imperatoris, Proreges, Magni Regum Cancellarij, Oratores Principum, Capellanique Regum: & iterum in eadem 2. p. impressit Syllabum Magistrorum Sac. Palatij, priore inter studiosorum manus iam consumpto.

Scripsit quoque ad instantiam Reuerendiss. P. Commissarii S. R. & Vniuersalis Inquisitionis F. Vincentii Preti de Seraualle opus de Sacro Inquisitionis Tribunali; at illo ante impressionem mortuo, appositum est pro 3. p. sacri Theatri, in qua referuntur, S. P. Dominicus Primus Inquisitor in Ecclesia Dei, Inquisitores in Vrbe, & Orbe, Institutio Congregationis S. R. & Vniuersalis Inquisitionis, Bullæ Pontificiæ in fauorem eiusdem Sacri Tribunalis emanatæ, S. R. E. Cardinales Generales Inquisitiones in tota Repub. Christiana, atque Commissarii Generales eiusdem, impress. Romæ ann. 1666. per eundem Tinassium.

Scripsit preterea Epinicia Sacra D. Thomæ Doctoris Angelici ex recensitis Bullis, ac Breuibus Apostolicis: nec non præstantioribus Auctoribus selecta, relatis eisdem Breuibus, impressa Romę per eundem Tinassium anno 1670. Reuerendiss. Patribus, Magistro Generali, Prouincialibus, ac Diffinitoribus in Generali Capitulo eodem anno in Vrbe congregatis dicata, quo in opere impressit & Crucem Angelicam eiusdem s. Doctoris contra tonitrua, & fulgura.

Euulgauit pręterea eodem anno Historiam hanc Romanę Prouincię ad Maiorem Dei gloriam, & in Fratrum posterorum illius exemplum, ac documentum.

Z.

F. Zacharias de Lunigiana ex conuentu S. Marci de Florentia, magni nominis sui sęculi Concionator scripsit Apologiam in fauorem nostri Sauonarolæ, circa ann. 1499. *Ex monumen. eiusd. Conu.*

F. Zanobius Medices scripsit tractatus multos de theologia, in Bibliotheca s. Marci de Florentia asseruatos, cuius fuerat alumnus. *Ex monum. eiusd. Conuentus.*

SOLI DEO HONOR, ET GLORIA
In Sæculorum Sæcula.



IN-

INDEX

Eorum, quæ in hoc opere continetur.

Cap. I.

Cap. II.

Ccc De

Cap. III.

Cap. IV.

De. S.

Cap. V.

Cap. VI.

ER-

E R R A T A

Fol.	lin.	erratum	correctum
32.	23.	ſuppoſitem	ſuperſtitem
314.	18.	affectus	effectus
320.	17.	patriati	patritia
321.	26.	Antonius	Antoninus
323.	11.	epertus	expertus
ibid.	15.	Nationen.	Vaſionen
324.	12.	1250.	1350.
ibid.	27.	Paggius	Poggius
326.	33.	peritia	peritiam
328.	7.	adductus	addictus
ibid.	22.	in Creta	deleatur
330.	14.	in	inuicem
ibid.	18.	quem	quod
ibid.	23.	Reſpub.	Rempub.
335.	6.	Tomicellus	Domicellus
336.	18.	eſt	&
341.	15.	acto	octo
346.	5.	adde	Secretarius
347.	3.	facta	factam
ibid.	15.	hoc	hac
ibid.	24.	perpetua	perpetuam

Et fol. 323. lin. 28. vbi dicitur F. Bernardinus de Luc ex Buccaurata &c. dicas F. Benedictus ex nobili familia Lu censi de Nobilibus à Leone X. &c.

LAVS DEO.